



V
B
J
C
58914
III

R. D.

MICHAELIS ANTONIJ

HACKI

ABBATIS Monasterij B. M. V. de Oliva S. O. Cisterciensis S. Th. Doctoris Proton. Apost. S. R. M. Polon. Intimi Cameræ Secretarij & Commissarij

SERMONUM ASCETICORUM,

Speciali Methodo

Copiosis & fermè perpetuis S. Scripturæ Textibus

concinnatorum

TOMVS PRIMVS,

in quo

Tractatus Quatuor Sermonum

ab Adventu Anni 1683 ad finem Anni 1687.

Accedit

Breve Compendium vitæ Spiritualis & devotæ. Opusculum Asceticum ejusdem Autoris, in Sermonibus Anni 1687 Tractatu Quarto commendatum.

Cum Indice locupletissimo

Pro Viris Religiosis & pro Concionatoribus.

Cum Licentia Superiorum

Typis Monasterij B. *M.* de *Oliva*
Anno Verbi Incarnati MDCXCI.

SERMONES
CAPITVLARES

Majori ex parte Extemporales

SUPER PRINCIPALIA
ANNI FESTA

CONSCRIPTI ET PRÆDICATI,

Nec non

Alii in Diversis Occurrentiis Habiti

A

P. AC R. DOMINO D.

MICHAELE
ANTONIO HACKI

Abbate Monasterij B.M. de Oliva S. O. Cist.
Sac. Theol. Doct. Prot. Apost. Sac. Reg. Majestatis
Pol. Int. Cam. Sec. G. P. P. Commissario.

PRÆLO DATI

á Typographia Olivensi
Cum Licentia Superiorum.

ANNO

QVoVerbVM DeI In Carne LoqVens
orbI InnotVIt VnIVerso.

Imprimebat

JOANNES JACOBUS TEXTOR Factor.

CLama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum, & domui Jacob peccata eorum. *Isaiæ* 58. *vers.* 1.

Noli subtrahere Verbum, si fortè audiant, & convertantur à via sua mala. *Jerem.* 26. *v.* 2.

Fili hominis speculatorem te dedi domui Israël, & audies de ore meo Verbum, & annunciabis eis ex me. *Ezech.* 3. *vers.* 17.

Nam etsi evangelizavero, non est mihi gloria. Necessitas enim mihi incumbit. Væ enim mihi est, si non evangelizavero! 1. *Cor.* 9. *vers.* 16.

Prædica Verbum, insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. 2. *Timoth.* 4. *vers.* 2.

Oportet Abbatem esse doctum lege Divinâ sic, ut sciat unde proferat nova & vetera. *Regul. cap.* 64.

Abbas nihil extra præceptum Domini, quod absit, debet aut docere aut constituere, vel jubere; sed jussio ejus vel doctrina fermentum Divinæ justitiæ in discipulorum mentibus conspergatur. *Regul. cap.* 2.

Illu-



Illustrissimo ac Reverendissimo Domino,

DOMINO

JOANNI PETIT,

In Supremo Burgundiæ Senatu Primo Consiliario,
Universi Cisterciensis Ordinis Supremo Capiti
ac Superiori Generali ejusdem Capituli Generalis,
plenariâ fungenti potestate;

Domino, Patri, Patrono ac Benefactori Colendissimo,
Tres primos Sermonum suorum Tractatus
D. D. D.

Filiorum, Clientum ac Servorum
minimus & infimus
F. MICHAEL ANTONIUS
Abbas Olivæ.



PRimitias laborum meorum in prædicatione Verbi Divini Fratribus meis impensorum; cuinam justiùs dedicarem, quàm Tibi Antistes totius Sacri Ordinis Illustrissime, à quo primas alicujus in Ordine primatûs & prærogativæ gratias existens in Capitulo Generali Anni 1672 à Provincia Polona illuc destinatus Mandatarius percepi? Ibi equidem ignita eloquia tua (*Ps.* 118.) Præsul Zelosissime, & simul dulciora super mel & favum (*Ps.* 18.) sæpiùs auribus libavi & corde ruminavi, ita ut in me quoquè Spiritum meditādi & custodiendi eloquia

DEI

DEI (*Psalm.* 118) excitaverint. Quid enim? Nonne ſacris oris Tui eloquijs ſtat Ordo Sacer, & disjectis diſſenſionum diſſonantijs unanimis in domo DEI in unitate ſpiritûs, uno corde & ore eloquia Domini (*Psalm.* 11.) conſonè concinit & cuſtodit? Eloquia Tua ſunt eloquia pulchritudinis, (*Gen.* 49.) eloquia juſtitiæ, (*Psalm.* 118.) eloquia veritatis. (*Prov.* 22.) Benedictum eloquium Tuum; (1. *Reg.* 25.) quo inflammamur (*Psalm.* 104.) omnes & vivificamur. (*Psalm.* 25.) Tu prudens eloquij Myſtici, (*Isaiæ* 3.) dulcis eloquio (*Prov.* 16.) & decorus, (2. *Mach.* 15.) mittis eloquium tuum Terræ (*Psalm.* 147.) Ciſtercienſis ubiquè plantationis; velociter currit Sermo Tuus, (*Ibidem*) cui Orbis Ciſtercij obtemperat univerſus. Fluit ut ros eloquium Tuum, (*Deut.* 32) imò mittis tanquam imbres eloquia Tua (*Eccleſ.* 39.) ad irrigandam faciem terræ totius Ciſtercij, & floribus & fructibus fœcundandam. Permitte quoquè Pater Reverendiſſime, ut Filij Tui balbutientis eloquium ſit Tibi jucundum. (*Psalm.* 103,) Complaceant Tibi eloquia oris mei, (*Psalm.* 18.) licet impeditioris ſint ſermonis, (*Exodi* 4.) & fortè non plenè digeſti. Utiquè etiam ex ore infantium & lactentium perficit laudem ſuam DEUS, (*Psalm.* 8.) qui linguas infantium facit eſſe diſertas. (*Sap.* 10.) Accedat benedictio Tua, quam ſupplex exoro, ut & ſequentium annorum Sermones lucem videant; & ſic credita nobis eloquia DEI, (*Rom.* 3.) (DEUS enim eſt annuncians homini eloquium ſuum; *Amos* 4.) non ſub modio lateant, ſed ponantur ſuper candelabrum (*Matth.* 5. *&* *Marci* 4.) ad majus Divini honoris & gloriæ augmentum; Sacri Ordinis decus, Tuæquè in laude & benedictione perpetim duraturæ memoriæ monumentum.

Hoc vovet ac toto corde precatur
Idem qui ſupra.

Lectori Benevolo

Typographia Olivensis.

SErmones hosce Domesticos, majori ex parte sub manu natos, placuit publicæ luci dare non tàm Authoris, quàm aliorum voto; non quòd aliquid novi aut rari in se contineant, sed quòd ædificationi plurimorum, ac potissimùm Religiosorum queant inservire. Stylus est planus ex verbis & sententiis Sacræ Scripturæ passim contextus, nequé levioribus redundat conceptibus; sed habet Mysticos & Morales sensus stylo Sanctorum Patrum conformes. Nequé est, quod vitio vertat Lector, aliquos sensus alicubi recurrere; Author enim non relectis anterioribus Sermonibus, prout Materiæ contextus ferebat, successivè alios fundebat; ubi in eadem materia aliquid non replicari, non erat possibile. Reperimus hoc & in ipsa Scriptura, in Psalmis & in aliis Authoribus practicatum; quia si lectio lecta placet, aliquoties repetita non minùs placebit. Sed & Authori scribenti hosce Sermones ut plurimùm absque libris, ex sola duntaxat memoria, aliquid indulgendum. Juxta annorum seriem prout scripti & dicti Sermones, ita quoqué prælo sunt dati; ubi si qui desunt, accidit id ob absentiam Authoris. Cæterùm si quæ varietas Styli advertitur, provenit ex eo, quòd Author ubi erat impetus Spiritûs, illuc gradiebatur. Boni consulat Lector Benevolus, & si quid invenerit boni & utilis animæ suæ, fruatur eo; Authoriqué benè precetur: ex cujus Voto, Censuræ Ecclesiæ Romanæ hæc omnia sunto subjecta.

FACULTAS SUPERIORUM.

SErmones Capitulares R. D. M. A. H. A. O. imprimantur, quandoquidem ſerviunt omnium devotioni & eruditioni. Datum Landæ die 15. Sept. Anno 1688.

Fr. Joannes de Roxyce Zapolski Abbas Landen. S. O. C. Vicarius & Commiſſarius Generalis per Regnum Poloniarum, Pruſſiam & Litvan. S. R. M. S.

APPROBATIO
LOCI ORDINARII.

VArmiâ 24. Octob. Anno 1689. Fœtum literarium piæ & zeloſæ mentis R. D. V. ignoſcat, quòd non remittam ad alterius cenſuram. Ego ipſe lego illum cum magna ſatisfactione, quandoquidem redivivum in eo reperio Melliflui Doctoris ſtylum & genium: remittam brevi pro prælo.

VArmiâ 9. Decembris. Per primam occaſionem tranſmittam approbatum digniſſimum optimæ & piæ mentis R. D. V. fœtum.

VArmiâ 20. Decembris. Sermones Capitulares R. D. V. extemporaneos, ſimplici, puro, religioſo, & Sacris Literis conformi zelo, non cum involucris ſecularium verborum ſcriptos, ipſe vidi, legi, & pro Jure Officij mei imprimendos libenter concedo & approbo.

Joannes Georgius Kunigk J. U. D. Vladiſlavienſis, Plocenſ. Varmienſ. Pultovienſ. Canonicus, Officialis Gedanen. Vicarius in Spiritualibus, & per Pomeraniam Generalis. S. R. M. S.

Tract-

A

TRACTATUS I.
SERMONUM CAPITULARIUM
Ab Anno 1683. ad Annum 1684.

B

Sermo à R. D. M. A. H. Abb. Colbacensi post Electionem Coadjutoriæ R. D. Christophoro Carolo Łoknicki Abbati Olivensi in personam ipsius à Conventu factam, Præsidente P. ac R. D. Joanne Roxyce Zapolski Abbate Landensi Vicario & Commissario per Poloniam, in Præsentia P. & A. R. D. Joachimi Pastorii Officialis Gedanen. nomine Illust. & Reverend. D. Bonaventuræ Madalinski Episc. Vladislaviensis die 14. Decemb. Anno. 1679. habitus.

C

ET Cælestes & Terrestres quandoquè egere adjutorio, sacra nobis Scriptura clarè manifestat. De Cælestibus, Vir ille vestitus lineis apud Danielem Prophetam, (*Cap. 10.*) cui renes accincti auro obrizo, corpus quasi chrysolithus, facies ut species fulguris, oculi ut lampas ardens, brachia quasi species æris candentis, vox sermonum ut vox multitudinis: utiqué Vir planè cælestis & potens, cui tamen Princeps Regni Persarum 21. diebus restitit, ipsemet ingenuè fatetur: (*Vers. 13.*) Ecce Michael unus de Principibus primis venit in adjutorium meum. Quin etiam agnoscit: (*Vers. 21.*) Nemo est Adjutor meus in omnibus, nisi Michaël Princeps vester. De Terrestribus magnus Apostolus in Epistolis suis, varios sibi declarat fuisse Adjutores. (*Coloss. 4.*) Quid dico Cælestes & Terrestres? Ipse Dominus Majestatis, omnipotens nomen ejus, (*Exod. 15.*) cui proprium est adjuvare, tamen voluit etiam habere adjutores; uti idem Doctor gentium testatur dicens: (*1. Cor. 3.*) Dei enim adjutores sumus. Pauper planè & pusillus vocatur in Sacris Literis, cui non est adjutor: (*Psalm. 71.*) imò inter maledictiones primas censetur, ut non sit illi adjutor; (*Psalm. 108.*) & ille infelicem se æstimat, qui dicit: (*Psalm. 87.*) factus sum sine adjutorio. Nemo proinde est, qui adjutorio non indigeat: sed verum & firmum adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram. (*Psalm. 123*) Infelix homo, qui non posuit Deum Adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum, & prævalere in vanitate generis sui putavit. (*Psalm. 51.*) Felix, qui dicere potest: Ego sicut Oliva fructifera in domo Dei

D

Adjutoria cælestium.

Adjutoria terrestrium.

Adjutorium Divinum verum & firmũ.

Dei, speravi in misericordia Dei in æternum. (*Ibidem.*) Exultemus igitur Deo Adjutori nostro, (*Psalm. 80.*) qui verè Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione, (*Psalm. 9.*) in cujus adjutorio qui habitat, in protectione Dei cœli commoratur. (*Psalm. 90.*) Sed quis ego, ut merear nomen Adjutoris? Infirmitatem meam agnosco, (*Psalm. 50.*) & imperfectum meum viderunt oculi vestri. (*Psalm. 138.*) Quia tamen à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis multorum: (*Psalm. 117.*) Dextera Domini fecit virtutem, Dextera Domini exaltavit me. (*Ibidem*) Sed cur Domine non posuisti adjutorium super potentem & non exaltâsti electiorem de plebe tua? (*Psalm. 88.*) Respondet Vas electionis Divinæ: Infirma mundi & contemptibilia & ignobilia elegit Deus, ut confundat fortia. (*1. Cor. 1.*) Quia igitur sic visum in oculis tuis, ut me Vas Electionis (*Act. 9.*) hodiernæ, in Adjutorem constitueres; Tu Deus meus in adjutorium meum intende: (*Psalm. 69.*) Tu Illustrissime ac Reverendissime Præsul & Pater Patriæ Cisterciens. adjuva infirmitatem meam. Tu Perillustris ac Reverendissime Domine Antistes Olivæ pulchræ, uberis, frugiferæ, (*Jerem. 11.*) accepta infirmitatem adjutorii mei, fortem de cœlo semper habiturus adjutorem. (*2. Mach. 11.*) Tu Perillustris & Admodùm R. Domine, Tuo Tuique Principalis patrocinio me adjuva. Vos quoque Admodùm Reverendi Patres ac Fratres dilectissimi scientes, quòd frater qui adjuvatur à fratre, sit quasi civitas firma, (*Prov. 18.*) sitis in adjutorium mihi. (*2. Reg. 10.*) Deniqúe verbis Apostoli concludens, obsecro Vos omnes per Dominum nostrum JEsum Christum, & per charitatem S. Spiritûs, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me apud DEum, (*Rom. 15.*) quatenus Spiritus Domini adjuvet infirmitatem meam, (*Rom. 8.*) & me Olivæ dignum ac sufficientem reddat Coadjutorem.

Divina Vocatio & Electio.

Adjutorium Fraternum orationum.

Sermo habitus Pôlplini post Benedictionem P. & R. D. Ludovici Alexandri Łoś Abbatis ibidem, factam per P. & R. Domin. Commissarium Generalem præfatum, & dictus in Ecclesia à R. D. Coadjutore Olivensi supranominato protunc Assistente in Pontificalibus die 26. Decemb. Anno 1679.

PLantaverat Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem quem formaverat, ut operaretur & custodiret illum. (*Gen. 2.*) Hôc cùm per propriam excidisset culpam, Divinâ sic dispensante gratiâ factum est, ut homo pro uno, complures & varios sibi quæreret ac reperiret Paradisos. Et quidem in statu gratiæ primus fervor hominum Magno coram Domino (*Luc. 1.*) Joanne præcurrente in eremo, Paradisi quærebat delicias, ubi Magni Antonii, Pauli, Pachomii, Onufrii, Hilarionis, Macariorum, aliorumque Eremicolarum eluxêre virtutes: quas posteà Basilii, Augustini, Benedicti Regulæ & manuductiones in Cænobia transtulêre. Inter hæc sanè non postremum Viridaria

Paradisi Eremicolarum.

A daria Cistercienſia ſub Magnæ Virginis & Matris tutelâ fundata locum obtinuerunt: adeoque Gallia ſuis gaudet Roſeriis & Pinetis, Normandia Alneto, Brabantia Vineâ, Sicilia Nucariâ, Leodium Jardineto & Alno, Burgundia Buxeriâ, Auſtria fruitur Pomeriis & Campo Liliorum, Græcia Lauro, Caſtilia Horto & Spineto, Anglia Cellâ Florum, Hibernia Roſea Valle gloriatur. Deniq́ue cùm Hiſpania Olivetum & Populetum, imò etiam amænam habeat Paradiſi vallem; Polonia ipſum poſſidet Paradiſum. Nec deeſt Pruſſiæ gloria ſua, gloria Paradiſi ab Oliva & Pôlplino aliàs Populeto. Quis neget hìc ubiq́ue homines ut arbores excreſcere, quos ſic ambulantes (*Marci 8.*) ille à Luce vera illuminatus Cæcus obſervaverat? quandoquidem & Divinus Plato hominem eſſe arborem in-

Viridaria Cœnob. Cisterciensium.

Homines ut Arbores.

B verſam definivit. Nec abs re, quatenus radicem ſuam cœlis inſertam recognoſceret; & ſic non ſaperet, nec quæreret ea, quæ ſunt ſuper terram, (*Coloſſ. 3.*) ſed potiùs ſolo corpore, quod inſtar folii eſt, quod vento rapitur, (*Job. 13.*) in hac peregrinatione conſtitutus, totâ animi aviditate in illa æterna Patria radicaretur, ut cum Vaſe electionis dicere poſſit: Noſtra converſatio in cœlis eſt. (*Phil. 3.*) Hoc autem ubinam magis ad effectum deducitur, quàm in Cœnobiis & Clauſtris, ſigillatim Cisterciensibus? ubi tanquam in Paradiſo vita ducitur verè cœleſtis, ubi Juſtus germinat ſicut lilium, (*Oſee 14.*) tanquam palma floret, & ſicut cedrus Libani multiplicatur in domo Domini plantatus. (*Pſalm. 91.*) Te quo-

C que Perilluſtris ac Reverendiſſime Domine Neo-Præſul Pôlplini, Divina vocatio implantaverat Olivæ, ubi ritè dicere poteras: Ego quaſi Oliva fructifera in domo DEI. (*Pſalm. 51.*) Nunc feliciter Divinâ Providentiâ transplantaris in hoc Populetum, & Anteceſſori Tuo Leonardo nonminùs Olivenſi plantæ ſuccedis. Gaudet Oliva germina virtutis & honoris à ſe produci. Gratulatur Populetum eadem ex Oliva ubere, pulchra, frugifera, ſpecioſa (*Jerem. 11.*) ſibi implantari. Gloriatur Ordo Sacer ſe tantis ac tam celſis decorari Olivæ germinibus, non tantùm generis, verùm etiam, quod majus eſt, virtutis, quæ ſola nobilitat & omni generi funda-

Abbates Pôlplini & Profeſſ. Olivenſ. duo.

D menta jacit, ſplendoris ſpecimina præferentibus. Progredere igitur fauſto omine Neo-Antiſtes Reverendiſſime, proſperè procede, (*Pſalm. 44.*) & Inaugurationis Tuæ Coronam Die S. Stephani Primi coronati Martyris, & coronam nomine ſuo indig tantis de manibus Primi Præſulis & Patris Provinciæ perceptam, ad multos præfer annos: Populetum jam tuum reple oleo lætitiæ & exultationis, (*Ibidem*) ac in cœleſtem illud felici metamorphoſi perge transformare Paradiſum.

Sermo Primus in Quartâ Dominicâ Adventûs poſt poſſeſſionem Abbatiæ acceptam die 14. Dec. Anno. 1683. habitus.

Venit Joannes prædicans Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. Lucæ 3.

PRima vox prædicationis à Voce clamantis in deserto procedens, fuit Pœnitentia. Ita proclamat apud Matthæum Evang. *cap. 3.)* Pœnitentiam agite. Quod docuit, hoc fecerat Ipsemet ante. Tota vita Joannis, Pænitentia fuit. Triennis antra deserti petiit, viginti septem annis eremum inhabitavit, extra hominum consortia positus, socius struthionum & bestiarum. *(Job. 30.)* Solitudo ejus: Pœnitentia fuit. Locustas & mel sylvestre edebat (*Lucæ 3.*) cibum hominibus inusitatum: Victus ejus, Pœnitentia. Pili cameli tegumentum ejus, & zona pellicea circa lumbos; non erat homo mollibus vestitus, teste ipsa æterna Veritate; (*Matth. 11.*) Amictus ejus, Pœnitentia. Quod Præcursor fecit & docuit, multò magis ipse Filius DEI homo factus, id factis & doctrinâ expressit. Tota vita Christi crux erat, crucis bajulatio erat; ergò Pœnitentia: quia verè langvores nostros Ipse portavit. (*Isaiæ 53.*) Primum verbum prædicationis ab ipso Verbo Divino prolatum, fuit Pænitentia. Testatur id primus ipsius Cancellarius Matthæus (*cap. 4.)* Cæpit JESUS prædicare & dicere: Pœnitentiam agite. Primum Vicarii primi Christi Divi Petri responsum post descensum Spiritus Sancti interrogantibus quid faciemus? fuit: Pœnitentiam agite. (*Act. 2.*) Hæc primis Christi Fidelibus ab Apostolis potissimùm inculcabatur. Qui Pœnitentiam non agit, non est Christianus, multominùs Religiosus. Quid enim est Religio? nonne status Pœnitentiæ? quid Monasteria? quid Claustra? nonne Asyla & Sedes Pœnitentiæ? Interroget se igitur unusquisque nostrûm cum Mellifluo Patre & Doctore nostro: Ad quid venisti? & respondeat sibi; ad pœnitentiam. Quòd DEus de homine peccatore dixit; (*Gen. 6.*) Pænitet me fecisse hominem; hoc sibi continuò ingeminet quisque homo: Pænitet me fecisse peccatum. Quis enim est homo, qui non peccet? (*3. Reg. 8.*) Equidem in multis offendimus omnes, teste Jacobo Apostolo *c. 3.)* Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus & veritas in nobis non est, docet dilectus JEsu Discipulus *Epist. 1. c. 1.)* Peccatum sequi debet pœnitentia, id est pœnæ tenentia. Omnis enim culpa meretur pœnam. Tenere pœnam debemus, nec dimittere. (*Cant. 3.)* Utique Ecclesia præscribit Sacerdotibus, ut in oblatione Missæ quisque offerat pro innumerabilibus peccatis, offensionibus & negligentiis suis. Si innumera delicta, innumera sit & pœna; si non in effectu, fiat affectu & desiderio. Et hoc est, quod Lucas Verbi Divini præco monet; (*cap. 3.*) Facite fructus dignos pœnitentiæ. Qui plus deliquit, plus pæniteat: qui minùs excessit, minùs pœnæ sustineat. Jam verò, qui verè pænitet, & quem verè pænitet culpæ, non redit ad eandem, ut sit canis revertens ad vomitum, vel sus ad volutabrum luti. (*Prov. 26.* & *2. Petr. 2.*) Ut plurimùm dicitur, quòd bis peccare non liceat. Sed nobis, ah! quoties peccare licuit quia libuit illicitè? Nihilominus recurramus ad illum, qui dissimulat peccata hominum propter pœnitentiam; (*Sap. 11.*) non tamen abutamur bonitate Illius. Benignitas ejus ad pœnitentiam nos adducat, nec thesaurizemus nobis thesauros indigna-

Pænitentia vox prima Joannis, vita tota.

Tota Christi vita, pænitentia.

Petri responsum, pænitētia

Religio, status pænitentiæ.

Pænitentia q. pœnæ tenentia

Fructus pænitentiæ,

A B C D

A dignationis in die Iræ DEI. (*Rom.2.*) Primum ergò Prædicationis meæ Verbum ad vos PP. Reverend. & Fratres Dilectissimi, Pœnitentiam agite. Hoc agite quod estis, videlicet Religiosi, idem est quod pœnitentes. Inclamate vobis semper illud in Sacrificiis usitatum monitum: Hoc age quod agis; nimirum pœnitentiam; nec desinite, imò cum Regio Vate omnibus dicite momentis: Nunc cæpi (*Psal.76*) pænitere, nunc cæpi agere pænitentiam. Avertat DEUS, ut Domus Dei locus pœnitentiæ Nostræ, sit spelunca latronum, ergastulum iniquitatis, abominationum sentina. Absit ut mentiatur opus Olivæ (*Hab.3.*) & Oliva convertatur in amurcam. Quin imò luceat lux Olivæ coram hominibus (*Matth. 5.*) maximè Hæreticis, in quorum consortio Nos

Adhortatio ad Pænitentiam.

Olivæ

B DEus collocavit. Demùm non verificetur de ullo Nostrûm dictum Prophetæ; in Terra Sanctorum iniqua gessit; (*Isai.26.*) Ne illa terribilis sententia sequatur: non videbit Gloriam Domini. (*Ibidem*) Concludo verbis Prophetæ Regii: Apprehendite disciplinam, (*Psalm. 2.*) disciplinam dico Regularem; Disciplinam secundùm Regulam S. Benedicti & Statuta Ordinis Sacri; Nequando irascatur Dominus, & pereatis de via justa, (*Ibidem*) de via pœnitentiæ salutaris: Quin imò; quia Joannes idem est quod Gratia D E I & prædicat pœnitentiam; Vestra Pœnitentia vera, plenam DEI gratiam mereatur.

C

Sermo Secundus habitus ab eodem, in Capitulo in Die Natalis Domini. Verbum Caro Factum est. Joan 1.

MUltifariam multisque modis Deus olim loquens Patribus in Prophetis novissimè locutus est Nobis in Filio suo. (*Heb. 1.*) Qui cùm sit æternum ipsius Verbum quo cuncta creaverat; dixit enim & facta sunt (*Psal.148.*) ut hominibus loqueretur, Homo factus est; adeóque Verbum Dei Caro factum est, (*Joan. 1.*) ut homines ex eadem carne constitutos, suo bearet alloquio. Omnes enim Creaturæ Deo erant

Cur DEUS Homo?

D obtemperantes & subjectæ; solus homo rebellis non potuit nisi ipsius Verbi Divini sermone revocari. Sed quid loquitur? Ecce Verbum infans, non tamen mutum; etiam tacendo loquitur. Nonne cæpit Jesus facere & docere? (*Act. 1.*) Cùm nequit dictis, loquitur & docet factis. Et quia homines repererat bestiales, mundumque à se creatum valdè bonum, videns conversum esse in stabulum immundum, elegit stabulum pro Templo, Præsepium pro Cathedra. Fratres mei transeamus usque Bethleem; (*Luc. 15.*) Domum panis spiritualis, (non enim in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit ab ore Dei) (*Matt. 4.*) videamus hoc Verbum, quod factum est, (*Luc. 2.*) quod factis suis nos admonet, quid facere debeamus. Aperiamus aures, sed magis præparemus corda, ut audiamus quid loquatur in Nobis Dominus (*Psal. 84.*) loquere Domine, quia audit servus tuus.

Cur in stabulo?

Bethleem domus panis.

Verbum factis loquens.

(*1. Reg. 10.*) Hæc dicit Dominus ; Hæc fatur Filius Dei homo factus. A
Filii hominum uſquequò gravi corde, ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium ? (*Pſal. 4.*) Filii hominum, quibus ego do poteſtatem Filios Dei fieri, (*Joan. 1.*) quouſque tandem corde gravi, videlicet affectibus mundanis, terrenis & carnalibus gravato, more beſtiarum deorsùm reſpicitis, deorsùm tenditis, deorsùm quieſcere prætenditis ? utique homo, cùm in honore eſſet, & non intellexit, comparatus erat jumentis inſipientibus, & ſimilis factus erat illis (*Pſal. 48.*) Deſcendi de cœlo in Terram, ut homines de Terra ad Cœlum facerem aſcendere. Filii hominum nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, (*Pſal. 31.*) Sursùm corda erigite, quæ ſursùm ſunt quærite, quæ ſursùm
ſunt ſapite, non quæ ſuper Terram. (*Col. 3.*) Corda veſtra ſint levia B
levitate Spiritûs ; ſint Spiritualia, ſint cœleſtia, ſint Divina, tanquam Filiorum DEI. Ut quid diligitis vanitatem, (*Pſal. 4.*) cùm ego eligo & diligo vilitatem ? ut quid quæritis mendacium, (*Ibid.*) cùm me habetis veritatem ? Ego ſum via, veritas & vita ; (*Joan. 14.*) ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati, omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meam. (*Joan. 18.*) Sed ecce mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit. (*Ibidem*)

Mundus eum non cognovit.

Ita eſt PP ac Fratres Dilectiſſimi ; mundus in maligno poſitus, (*1 Joan. 5.*) plenus concupiſcentiâ carnis, concupiſcentiâ oculorum, & ſuperbiâ vitæ,
(*1. Joan. 2.*) diligit vanitatem & quærit mendacium. Nos qui jam C
extra mundum ſumus, neque enim ſumus de hoc mundo, (*Joan. 8.*) quia illum contempſimus, projecimus, dereliquimus ; nos qui abnegavimus noſmetipſos, portamus crucem, & corde non gravi, ſed jugo levi ſequimur Chriſtum, quorum converſatio in cœlis eſt ; (*Phil. 3.*) jam non debemus diligere vanitatem ſeculi, nec quærere mendacia Terræ.

Typus Chriſti nati.

Videte Filium Dei exinanitum in Filio hominis, ſtabulum inhabitantem, in medio duorum animalium poſitum, reclinatum in præſepio, pannis involutum, (*Luc. 2.*) vagientem, lachrymis inundantem, frigore
conſtrictum, fætore ſtabuli obſeptum, paupertate preſſum, omni com- D
moditate privatum, omni incommoditate gravatum, & ite jam Filii hominum diligere vanitatem honorum, officiorum præeminentiam, jucunditatem commoditatum : Ite quærere mendacium divitiarum, abundantiarum, recreationum, epulationum & comeſſationum.

Fuga vanitatum.

Et tamen ſecundùm carnem hæc affectamus ; illa carni contraria abhorremus & detrectamus. Nonne ſi quid duriuſculum occurrit, conquerimur : ſi quid aſperum, murmuramus ; ſi quid minùs commodum, lamentamur. Nihilominùs hæc ſunt, quæ Filius Dei eligit & diligit. Vilia, ignobilia, contemptibilia eligit Deus : (*1. Cor. 1.*) & homo eliget pretioſa, nobilia, honorata ? O gravitas cordis ! O Vanitatis fumus ! O error mendacii ! Hodie cùm vocem Verbi Divini audiamus, non obduremus corda Noſtra, (*Pſal. 94.*) non exacerbemus Deum Nobis loquentem, nec contriſte-

A tristemus spiritum ejus; (*Ephes. 4.*) non simus generatio perversa & infideles Filii, provocantes illum in eo, qui non est Deus (*Deut. 32.*) quorum Deus venter est, & gloria in confusione; (*Philip. 3.*) qui carnem, qui Terrena sapiunt, (*Ibidem.*) per avaritiam, quæ est servitus idolorum. (*Col. 3.*) Christus nudus nascitur, nudus moritur, non habens ubi caput suum reclinaret, (*Matth. 8. & Luc. 9*) factis prædicat paupertatem: imitemur nuditatem ejus per votum paupertatis. Christus mortificatus carne (*1. Pet. 3.*) doceat nos mortificare membra Nostra quæ sunt super Terram, (*Colos. 3.*) per votum castitatis. Christus natus qui dicit Patri suo, aures perfecisti mihi (*Psal. 39.*) sive corpus adaptasti mihi; tunc dixi, Ecce venio; In capite libri scriptum est de

Paupertas.

Castitas.

Obedientia.

B me, ut facerem voluntatem tuam; Deus meus volui (*Ibidem.*) (neque enim venit facere voluntatem suam, sed Patris, Patri obediens usque ad mortem Crucis) (*Phil. 2.*) instruat nos viam salutis per votum obedientiæ, ut ad eum per obedientiam redeamus, à quo per inobedientiam recessimus. Christus qui humiliavit semetipsum & exinanivit formam servi accipiens, (*Ibidem.*) ducat nos per gradus humilitatis in sacra Regula recensitos. Christus, qui cùm dilexisset suos ab æterno, usque in finem dilexit eos (*Joan. 13.*) animam suam ponens etiam pro inimicis, accendat corda Nostra, verâ, vivâ & stabili charitate, ut Nos invicem diligamus, (*Joan. 15.*) invicem alter alterius onera portemus, (*Gal. 6.*)

* (*Joan. 5.*)

Humilitas.

Charitas.

C etiam animas Nostras pro Fratribus ponere parati simus. (*1. Joan. 3.*) Sic igitur Verbum Divinum hodie factis suis ad nos loquens audiamus, ut illud operibus Nostris exprimamus. Pereat proinde mendacium & fallacia mundi, exulet à Nobis vanitas seculi; vivat Veritas Christus; Vivat mortificatio pœnitentiæ primus gradus. Mortui enim esse debemus, & vita Nostra abscondita esse cum Christo in Deo, (*Col. 3.*) ut cum ipso vivamus in æternum. Devotioni Nostræ sit Status uterque Ecclesiasticus & Politicus commendatus. Servet Deus Sanctissimum Nostrum cum Clero universo; Zelum ejus augeat in abundanti ad bellum contra

Mortificatio Pœnitentiæ.

Pro quibus orandum?

D Turcas provisione. Sit Salus Augustissimo Imperatori, & Serenissimo Regi Nostro; Serenissimæ Reginæ, Totique Familiæ Regiæ, & cuncto Senatui Regni, ac omnibus Ducibus & Exercitibus ejus. Salvum faciat sigillatim Divinum Numen Regem Nostrum Fidei Defensorem, verè prælia Domini præliantem. (*1. Reg. 25.*) Excitet Spiritus Sanctus in Ordinibus Religiosis Spiritum Religionis, potissimùm Nostrum faciat Observantiâ Regulari reflorescere. Sint in memoria Nostra agonizantes, sint & patientes animæ; ut ad requiem perveniant opulentam. Denique oremus pro invicem, ut salvemur (*Jacob. 5.*) viventes & manentes in charitate.

Sermo 3. in Circumcisione Domini.
Circumciditur Puer & vocatur JESUS. Luc. 2.

A

MAgnum & mirabile Sacramentum infert mellifluus Pater noster: Ingens equidem PP. Reverend. Fratresque Dilectissimi mysterium nobis in hisce verbis declaratur, ubi fundamentum & modus salutis Nostræ manifestatur. Ecquis est, qui non velit salvari? qui non desideret salutem? Et sanè salutem tàm animæ, quàm corporis; salutem & temporalem & æternam. Ecce modus ad salutem omnem adipiscendam: circumciditur Puer. (*Luc.* 2.) Nulla sine statu puerili salus. Æternæ veritatis edictum est; Nisi efficiamini sicut Puer iste (utique parvulus iste qui natus est Nobis (*Isai.* 9.) & circumciditur) non intrabitis in Regnum cœlorum. (*Matth.* 18.) Sicut Puer iste per innocentiam, sicut Puer iste per humilitatem, sicut Puer iste per obedientiam. Innocentiam in Nobis deperditam per peccatum parit vera pœnitentia, tanquam basi innititur humilitati, humilitas prompta est ad obedientiam; & sic Nostra sancta pueritia in innocentiæ decore, & humilitatis fundamento, & virtute obedientiæ commendatur, quæ sola sunt vera media ad salutem. Deinde nulla sine Circumcisione salus: Noster Divinus Puer non voluit vocari JEsus, quod est Salvator, nisi post Circumcisionem; neque nos speremus salutem, nisi per Circumcisionem Spiritualem. Memoria circumcidatur à vanis & perversis cogitationibus: Intellectus ab errore proprii sensûs & mendacio: Phantasia sive Sensus Communis ab imaginationibus & apprehensionibus futilibus: Voluntas ab inordinatis & pravis affectibus: ante omnia autem Conscientia circumcidatur à peccatis per integram confessionem ac pænitentiæ satisfactionem; & sic homo interior salvabitur: Sensus Nostri circumcidantur à deviis excursibus: Avertamus oculos, ne videant vanitatem. (*Psal.* 118.) Pangamus fædus cum oculis Nostris, (*Job.* 31.) ne cogitemus ea, quæ sunt à Nobis votisque Nostris aliena. Sepiamus aures Nostras spinis, ne audiant malum. (*Eccl.* 28.) Gustum felle & aceto crucis condiamus: Odoratûs oblectamenta, stabuli, carceris, & montis Calvariæ fætoribus repellamus: Tactûs illicia, flagellorum Christi, spinarumque asperitate reprimamus. Lingvam prohibeamus à malo, & labia Nostra, ne loquantur dolum, (*Psal.* 36.) ac ideò illam silentio cohibeamus, ponentes custodiam Ori Nostro, & ostium circumstantiæ labiis Nostris. (*Psal.* 140) Omnes denique peccandi occasiones, colloquia, & consortia prava præscindamus, & sic homo exterior salute potietur. Sic proinde, si scidimus corda Nostra (*Joel.* 2.) per veram pœnitentiam; si cor contritum (*Psal.* 50.) per mortificationem, & humiliatum per humilitatem in nobis est; si cor immaculatum per innocentiam; si cor non divisum inter Deum & mundum, inter Deum & carnem, inter DEum & Diabolum habemus, sed perfectè soli Deo

Medium ad salutem, effici sicut Puer JESUS.

B

Innocens, humilis, obediens.

Circumcidenda spiritualiter.

Memoria.

C

Intellectus.

Phantasia.

Voluntas.

Conscientia.

Sensus.

D

Peccandi occasiones.

Cor.

A li Deo unitum & ſubjectum per obedientiam poſſidemus; quatenus tale conſtanter perſeveret, circumcidatur, ne ſimus cordibus incircumciſi, (*Jerem.* 9. & *Act.* 7.) removeantur à cordibus Noſtris ſuperflua, abſtrahantur noxia, eliminentur criminoſa. Superflua tollet humilitas paupertatis; noxia pellet innocentia caſtitatis; criminoſa faciet exulare virtus obedientiæ. Ecquid criminoſiùs proprietate peſte veræ Religionis, veneno communitatis, boni Ordinis contagione, Capitali & acerrimo obedientiæ inimico? Non tantùm criminis damnatur proprietas in exterioribus & temporalibus, quod Sanctiſſimus Legislator Noſter nequiſſimum vitium appellat, & de quo ſic (*C.* 33.) edicit: præcipuè B hoc vitium amputetur de Monaſterio. Nonne Circumciſione opus? In quo conſiſtit hoc vitium Pater Beatiſſime? ne quis præſumat aliquid dare aut accipere ſine Juſſione Abbatis. Notemus hæc verba; dare aut accipere tanquam duo brachia proprietatis. Pergit Divus Patriarcha: Neque aliquid habere proprium. Itanè Sancte Pater? Nullam omninò rem, reſpondet. Quare? quippe, quibus nec corpora ſua, nec voluntates licet habere in propria poteſtate. Hinc meritò qui proprietarius eſt, quia à communitate ſe & ſua ſegregat, & hoc quod in & ex communitate collegit, ſibi appropriat (cùm tamen juxta Canones, Monachus quidquid acquirit, non ſibi ſed Monaſterio acquirit, potiſſi- C mùm ille, qui ex bonis Monaſterii acquiſita coacervat) cenſetur excommunicatus, etiam Eccleſiaſticâ privatur ſepulturâ, ſi contingat illum in ſua decedere proprietate. Et quodſi inſperata occurrat mors, cujus exemplum in Fratre Noſtro nuper defuncto habuimus: utique illa hora mortis eſt, quam neſcitis & quam non putatis: (*Luc.* 12.) Non tantùm, dico iterum, hæc temporalis & exterior proprietas criminis damnatur, ſed etiam illa interior, cui inſiſtit illa exterior proprietas ſenſûs, & proprietas voluntatis eſt execranda. In prima ſe ipſum Mellifluus Pater Noſter ſtatuit pro exemplo dicens: Semper minùs ſenſui meo, quàm alterius credidi. De ſecunda eloquitur: Si propria voluntas D non eſſet, infernus non eſſet. Huic tàm ſensûs, quàm voluntatis proprietati modum ponit obedientia ſecundùm modum Regulæ Divi Benedicti. Videte Fratres mei obedientiam Filii Dei in ejus Circumciſione. Nunquid opus ei erat Circumciſione, qui peccatum non fecit? (1. *Pet.* 2.) Circumcidere ei magìs congruebat, quàm circumcidi, qui venerat peccata tollere: (*Ibid.*) Nihilominùs per obedientiam & humilitatem ſubjicit ſe legi antiquæ, quàm non ſolvere venerat, ſed adimplere, (*Matth.* 5.) adeoque quæ non rapuit exoluere. (*Pſalm.* 68.) Quidni nobis convenit ſubjici legi Regulæ, quam vovimus, ut quod illa damnat damnemus, quod probat probemus, quod imperat exequamur; & ſic quoad paupertatē, habentes victum & amictum, his contenti ſimus (1. *Tim.* 6.) ſuperfluis amputatis; quoad caſtitatem, ibi vulnus agnoſcamus, ubi remediū eſt circumciſionis; adeoq; circumcidamus carnem No-

Superflua, Noxia, Criminoſa.

Proprietas exterior & interior.

Mors inſperata.

D. Bernardi Humilitas.

Chriſti Circūciſi Obediētia.

Paupertas.

Caſtitas.

ſtram, quam etiam crucifigere tenemur cum vitiis & cõcupiſcentiis ſuis; (*Gal. 5.*) abſciſſis omnibus pravis occaſionibus. Circumcidi enim nos neceſſe eſt, dicit Mellifluus Pater, & ſic nomen ſalutis accipere: Circumcidi non uno membro, ſed toto corpore ſimul. Deniq́ue quoad obedientiam, circumcidamus ſenſus & voluntates Noſtras, omnem proprietatem proſcribentes, & ſic cum hoc novo Anno, induemus novum hominem Chriſtum, renovabimur Spiritu mentis Noſtræ (*Eph. 4.*) & ſtatu corporis Noſtri; erimuſq́ue nova Creatura in Domino. (*Rom. 4.*) Deniq́ue veram ſalutem animæ & corporis, ſalutem temporis & æternitatis conſequemur; quam Nobis &c. Quandoquidem publicam ad invicem facimus reconciliationem, & hic Circumciſio requiritur, ut omnes offenſionis, averſionis, alienationis, rancoris, & quod DEUS avertat, iræ & odii malas inclinationes ex cordibus Noſtris reſcindamus, dimittentes ex animo, ſicut Nobis à DEO volumus dimitti, & ita verè uniamur, omniaq́ue fiant in DEO, id eſt in Charitate. (*1. Corint. 16.*)

Novus Annus, Novus Homo.

Publica Reconciliatio.

Sermo Quartus in Die Epiphaniæ Domini.

Per aliam viam reverſi ſunt in Regionem ſuam. Matt. 2.

UBi Herodes infernalis ex Syriaco draco ignitus, ex Hebraico Mons arrogantiæ, nempe Rex ſuper univerſos Filios ſuperbiæ (*Job. 41.*) ille ab initio homicida (*Joan. 8.*) imò infanticida, per quem ſtetit, quod nemo mundus ſit à ſorde, neq́ue infans unius diei ſuper terram; ubi inquam Herodes dominatur, ubi cum ipſo & per ipſum etiam Jeroſolyma, quæ eſt viſio pacis turbatur, ubi nulla Divini luminis claritas, nec Stella ex Jacob (*Num. 24.*) ampliùs prælucet, ſed tenebræ obſcuritatis operiunt Terram, & vera Regio umbræ mortis eſt, (*Iſai. 9.*) ibi eſt iter impiorum, (*Pſal. 1.*) via eſt iniquitatis, via perditionis, quæ ducit ad inferos. O nos felices, quod extra hanc viam ſimus! ſi tamen ſumus: O nos beatos, quòd per aliam viam Religionis Sacræ revertimur in Regionem Noſtram! ſi tamen revertimur: Regio Noſtra Paradiſus eſt, ex quo excidimus; Patria illa cæleſtis ad quam tendimus, ſi tamen tendimus; nam & peregrinamur â Domino, neq́ue habemus hìc manentem Civitatem, ſed futuram inquirimus. (*2. Cor. 5.*) Viatores enim ſumus: vita Noſtra, via eſt. In præſenti enim vita (teſte Gregorio magno) quaſi in via ſumus, quâ ad Patriam pergimus. Si vita bona eſt, & via bona erit. Si proinde per viam Herodis, per viam turbarum & caliginis, cui Propheta imprecatur: Fiat via illorum tenebræ & lubricum (*Pſal. 34.*) inceſſimus, recedamus ab hac via peſſima, fugiamus Babylonem viam confuſionis; Revertamur cum JESU ex Ægypto anguſtiarum & tribulationis, id enim ſignificat Ægyptus. Quid Nobis cum via Ægypti? revertamur in Nazareth Domum ex interpretatione Hebraica ſeparatam, ſanctificatam, cuſtoditam, floridam. Quid ſepa-

Herodes Syr. Draco ignitus, Hebr. Mons arrogantiæ. Trop. Diabolus.

Jeruſalem Viſio pacis ſub Herode. Trop. Mundus.

Viæ perverſæ & Rectæ.

Vita Via.

Ægyptus quid?

Nazareth.

A separatiùs Claustris Religiosorum? Quid sanctificatiùs Sacro Ordine? *Claustrum.*
Quid magis custoditum, ubi semper vigilandum est? Quid magis flo-
ridum, ubi disciplina Regularis semper reflorescit? In hanc Domum
(DEO laus) pervenimus, in hac Domo recepti maneamus; non præter-
grediamur limites, quos posuerunt Patres Nostri, sed potiùs hic præte-
ritæ vitæ & viæ Nostræ maculas sacro & unico veræ pœnitentiæ Baptis-
mate in remissionem peccatorum (*Marci. 1.*) Nobis concesso dilua-
mus. Sed quò ex Bethleem in Nazareth devenimus? utique benè:
utrobique Christus reperitur, & Domus Nostra Bethleem est, id est Do- *Bethleem.*
mus Panis. Hic verbi Divini cibus dispensatur. Hic Panis vivus, qui
B de cœlo descendit, (*Joan. 35.*) in parata nobis mensa Domini, mensa al- *Panis de Cælo*
taris Divini distribuitur. Et quidem Panis hic confortans cor hominis
(*Psal. 16.*) jam Nobis est quotidianus factus; utinam ad vitam & non
ad Judicium à Nobis sumatur. Sic igitur sumus in Bethleem, sumus
in Nazareth, procul à via Herodis, id est Diaboli; à via Ægypti, id est
carnis; ollas enim carnium appetebant desertores in deserto Israëlitæ: à
via Babylonis, id est mundi instabilis, in confusione sua stabilis, cujus fi- *Babylō Mūdus.*
gura præterit (*1. Cor. 9.*) aliam viam, id est viam Regiam, viam trium
Regum tenemus. Sed advertamus; Regia via est, ubi multi vocati;
semita autem Justorum, ubi pauci electi (*Matt. 20.*) Quis ex Nobis *Semita Justorum.*
C non velit in Electorum numero computari? teneat semitam Electo-
rum, Semita justi recta est, (*Isai. 26.*) non obliqua perversi cordis,
quia in circuitu, scilicet in labyrintho & anfractibus viarum, impii am- *Semita non Obliqua.*
bulant. (*Psal. 11.*) Non præceps, ambitionis, præsumptionis aut super-
biæ, cujus finis interitus & gloria in confusione. (*Philip. 3.*) Non retro- *Semita nō Præceps.*
grada, quia mittens manum ad aratrum & retrò respiciens non aptus *Semita non Retrograda.*
est Regno DEI, (*Luc. 9.*) Non remorans, quia in via DEI non progre-
di (Authore Mellifluo Doctore Nostro) regredi est. Non erronea, *Semita non Remorans, Non Erronea, Non Turbulenta.*
quia via est Veritatis; Non turbulenta, quia est via pacis. Rectus cal-
lis justi ad ambulandum. (*Isai 26.*) Ambulemus Fratres mei in Semitis
D hisce justorum, semitis electorum, per hanc aliam viam Trium Regum
procedamus. Videte illos, qui viam Herodis calcarunt, quomodo apud
sapientem lamententur: Lassati sumus in via iniquitatis, ambulavimus *Viam DEI nescire periculosum.*
vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. (*Sapien. 5.*) Nobis
hæc ignorantia viæ Domini non competit. Licet enim itinera æterni-
tatis ejus non scrutemur, (*Hab. 3.*) nec vias processionum Divinarum
Personarum ad intra, nec incomprehensibilium judiciorum ejus, (*Ps. 13.*) *Viæ DEI adintra & adextra*
investigabiles vias ejus (*Rom. 3.*) ad extra investigemus, quia sunt abys-
sus multa: (*Psalm. 35.*) viam tamen mandatorum ejus novimus & cur-
rimus, (*Psal. 118.*) & hæc est alia via, quâ incedere, & per quam rever-
ti ex Regione longinqua in Regionem Nostram debemus, via dico ter-
tiò Trium Regum; cùm simus facti DEO Nostro Regnum, (*Apoc. 5.*) *Munera Regia Devotio, Mortificatio, Amor.*
simulque Regale Sacerdotium. (*1. Pet. 2.*) Thus devotionis, Myrrham

 morti-

mortificationis, aurum amoris Domino offerentes Trium Regum; quia A
regnare & dominari tenemur Herodiano Diabolo, Ægyptiacæ carni, mundo Babylonico, ut sub nobis sint & infra, non supra nos; sint subjecti non præfecti, sint vincti & victi, non Victores Trium Regum; quia tres potentias animæ Nostræ, memoriam, intellectum, voluntatem, secundùm DEUM regere obligamur. In hac alia via, via arcta, quæ ducit ad cœlum, non illa spaciosa, quæ ducit ad perditionem, (*Matt. 7.*) apprehendamus disciplinam, (*Psalm. 2.*) quia hæc via Regia est, via Crucis. Væ illi, qui prætendit sequi Christum quia Christianus per fidem, & multo magìs, quia Christi assecla per vitam Religiosam, & non portat Crucem suam abnegans semetipsum (*Luc. 9.*) sui ipsius amator Philautus, sua quærens, non quæ JESU Christi. (*Philip. 2.*) Apprehendamus disciplinam Crucis, disciplinam mortificationis, nequando irascatur Dominus & pereamus de via justa (*Psalm. 2*) nequando dicat DEUS: Ipsi non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam, (*Psalm. 94.*) De torrente Passionis cum Christo in via bibamus, & sic exaltabimus caput (*Psalm. 109.*) cum ipso in Regione nostra. Nec deficiamus in hac via: Justorum enim semita, quasi lux splendescens procedit, & crescit usq; ad perfectum diem. (*Prov. 18.*) Quotidie proficiamus, de die in diem progredientes, de virtute in virtutem euntes, donec videamus DEUM Deorum in Syon (*Psalm. 83.*) Patriæ cœlestis Regione. Sic curramus, ut comprehendamus. (*1. Cor. 9.*)

Tres Reges Animæ, Potentiæ.

Via Regia, Crucis.

Adhortatio ad profectum Crucis.

(Margin letters: B beside "tat Crucem suam abnegans semetipsum"; C beside "tem euntes, donec videamus DEUM".)

Sermo in Festo Purificationis B.V.M. & pro inchoatione Annui Scrutinij Religiosi.

Lumen ad revelationem gentium. Lucæ 1

Lumen Mysticum.

LUx vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan. 1.*) hodie in templo illuxit Nobis (*Psalm. 117.*) P. R.
F. D. cujus specimen in gestatione candelarum accensarum repræ- D
sentatur, ut sic in lumine vultûs Divini ambulemus; (*Psalm. 98.*) Signatum enim est super nos lumen vultûs tui Domine, (*Psalm. 4.*) quando in tenebris hujus seculi exortum est lumen rectis corde (*Ps. 111.*) lumen fidei; lumen gratiæ, lumen vocationis sacræ ad Religionem. De primo dicit Propheta: Erumpet quasi mane lumen tuum, (*Isai. 58.*) videlicet in Baptismo. De secundo ait: educet quasi lumen justitiam tuam, (*Psalm. 36.*) quam gratia DEI nos justificans operatur. Ad Tertium ipse luminis Author prælucet dicens: Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ, (*Joan. 5.*) vitæ Religiosæ. Ita sanè Pater luminum DEUS, (*Jacob. 1.*) qui emittit lumen & vadit, dulce planè lumen, & delectabile oculis animæ Nostræ. (*Baruch. 3.*) Per hæc lumina fidei, gratiæ, & vitæ Religiosæ vocat nos

Fides.

Gratia DEI.

Vocatio Religiosa.

Media ad Lumen Gloriæ.

in ad-

A in admirabile lumen ſuum, *(1. Pet. 2.)* ut in lumine gloriæ ejus videamus lumen *(Pſal. 35.)* ipſum Deum. Interea viſitat nos frequenter ipſe Oriens ex alto *(Luc. 1.)* lumine verbi ſui, ita ut lucerna pedibus noſtris ſit verbum ejus, & lumen ſemitis Noſtris, *(Pſ. 118.)* ac verificetur in unoquoque noſtrûm illud Jobi: In viis tuis ſplendebit lumen. *(Job. 22.)* Super quem enim non ſurget lumen illius juxta eundem Jobum? *(Cap. 25.)* ut cum ipſo dicere queat: Quando ſplendebat lucerna ejus ſuper caput meum, & ad lumen ejus ambulabam in tenebris. *(Idem. 29.)* Lucerna corporis tui eſt oculus tuus dicit lumen noſtrũ Chriſtus. *(Luc. 11.)* Lucerna animæ tuæ eſt intellectus: Lucerna fidei tuæ, eſt Verbum DEI revelatum. Si oculus animæ tuæ ſimplex

Verbum DEI.

Oculus Myſticus.

B fuerit (utique rectis corde lumen oritur *(Pſalm. 111.)* totũ corpus tuum lucidum erit. *(Luc. 11.)* Si autẽ nequam, prauus, perverſus, obliquus, obſcurus oculus, etiam corpus tuum tenebroſum erit *(Ibid.)* dicit Scrutator cordium DEUS, & monet: vide ergò, ne lumen quod in te eſt, tenebræ ſint *(Ibidem.)* videlicet, ne obtenebretur lumen Verbi Divini, lumen inſpirationis ejus per contrarium & repugnantem intellectum ac perverſum affectum; lumen fidei obſcuretur per actus ipſi contrarios, quales ſunt Atheorum, vel Pſeudo-politicorum; lumen gratiæ per tenebras peccatorum extinguatur: lumen vitæ Religioſæ in caliginem vitæ Secularis tranſmutetur. Vide dicit Chriſtus; *(Ibidem.)* Si tamen ta-

Oculus Nequã.

Inſpirationes.

Atheiſm. ſ. Pſeudopoliticiſmus.
Peccata.
Seculariſmus.

C lis videre poteſt, qui exiſtens inter eos, qui fuerunt rebelles lumini, *(Job. 24.)* & qui conqueruntur apud Sapientem, quod lumen juſtitiæ non luxerit ipſis, ſol intelligentiæ non ſit ortus eis, *(Sapien. 5.)* cum Davide peccante fateri cogitur; lumen oculorum meorum & ipſum non eſt mecum. *(Pſal. 37.)* Ideò videamus, ut ambulemus in lumine DEI *(Iſaiæ 2.)* Ambulemus, dum lucem habemus *(Joan. 12.)* lucis & vitæ hujus uſuram poſſidemus, ne tenebræ mortis, tenebræ peccati, nos comprehendant *(Ibidem.)* Habemus lumen ad revelationem gentium *(Luc. 2.)* gentium illarum, quas DEUS populo ſuo

Caritas Spiritualis.

Ambulandum, dum Lucem habemus.

Revelatio gentium trop. Vitiorum.

D Iſraël extirpare & delere imperavit. Proh dolor! quantùm gentes iſtæ dominantur nobis! Principium gentium Amalec, id eſt populus lambens, & hic eſt voluptas per mundum & carnem ſe inſinuans. Amalec delere præcipit DEUS Sauli, non delet Saul; privatur Regno. *(1. Reg. 15.)* Idem nos manet, ſi non deleverimus Amalec, qui etiam dicitur populus percutiens; nam extrema gaudii luctus occupat *(Prov. 14.)* voluptas in fine mordet ac percutit ut coluber. *(Prov. 23.)* Gentes ergò quas debellare debemus, ſunt paſſiones noſtræ; gentes quas profligare & exterminare tenemur ſunt peccata capitalia, peccata mortalia, peccata venialia. Ut tollantur, ut peſſundentur, ut eliminentur, debent revelari, pro quo requiritur Scrutinium. Ego Dominus ſcrutans cor & probans renes *(Ierem. 17.)* dicit DEUS Omnipotens: Scrutabor Jeruſalem in lucernis, & viſitabo ſuper viros defixos in fæcibus ſuis,

Amalec Voluptas Mundi & Carnis.

Paſſiones.

Peccata triplicia.

Scrutinium Salutare.

qui dicunt in cordibus suis: non faciet benè Dominus, & non faciet A
malè. (*Sophon.* 1.) Hi sunt, vel Athei dicentes; non est DEUS, (*Ps.* 13.)
vel in spem peccantes, id est contra Spiritũ Sanctum, qui tamen scrutatur omnia, etiam profunda DEI. (*1.Cor.* 2.) Quapropter cum Jeremia scrutemur vias nostras, & quæramus, & revertamur ad Dominum;

Revelatio Conscientiæ.

(*Tren.* 3.) scrutemur conscientias nostras per seria examina exequentes illud Jobi: Revelabor loquens mecum (*Job.* 7.) (Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est? (*1. Cor.* 2.) Antequam reveletur ira DEI, (*Rom.* 1.) & justitia ejus in nobis reveletur (*Isaiæ* 56.) per eum, qui est revelans vestigia occultorum: (*Eccl.* 24.) reveletur homo peccati (*2. Tess.* 2.) per scrutinium nostrum, moriatur per pænitentiam, per emendationem vitæ deleatur. B
Et tunc scrutemur legem DEI, scrutemur mandata DEI nostri ad faciendum ea. (*Psal.* 118.) Beati enim qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum. (*Ibidem.*) Revelemus Domino opera nostra,

Revelantibus se revelat DEUS.

(*Prov.* 16.) ut dirigantur per ipsum cogitationes nostræ. Revelemus Domino viam nostram, & ipse faciet & revelabit oculos nostros, ut consideremus mirabilia de lege sua (*Psalm.* 36.) Revelabit etiam ipse auriculam servorum suorum, (*1. Par.* 17.) ut audiamus, quid loquatur in nobis Dominus, (*Ps.* 84.) ea nimirum, quæ revelat parvulis, (*Luc.* 10.) loquendo ad cor nostrum gratiâ suâ, per quam postea revelabitur gloria ejus in nobis, (*Roman.* 8.) ut revelata facie gloriam Domini speculemur. (*2. Cor.* 18.) Revelabit & aurem aliorum id est peccatorum, ut C
corripiat; & loquetur ut revertantur ab iniquitate (*Dan.* 9.) Eja igitur, qui in tenebris revelamini (*Isai.* 49.) Dicat quisq; DEO cum Propheta: Tibi

DEI Judicium alleviatur Scrutinio.

revelavi causam meam DEUS meus (*Ier.* 11.) Fiat in Judicio scrutinij privato, ne in Judicio DEI publico reveletur ignominia tua (*Isaiæ* 47.) reveletur stultitia tua, (*Oseæ* 2.) revelentur pudenda tua. (*Nahum* 3.) Nihil est occultum apud DEUM, qui revelat absconsa nostra (*Eccl.* 1.) quod non reveletur (*Luc.* 12.) in die illo, quando veniet Dominus judicare terram (*1. Par.* 16.) in igne, ubi cæli omniũ iniquitatem revelabunt. D
(*Iob.* 20.) Ignis ante ipsum præcedet (*Psal.* 96.) DEUS ipsemet ignis consumens est (*Deut.* 4.) consumens peccatores, consumens gentes prævaricatrices. Et quis poterit cogitare diem adventûs ejus? & quis stabit

Levi quid?

ad videndum eum? (*Malac.* 3.) Ecce enim quasi ignis conflans, purgans, purificans filios Levi; (*Ibidem.*) id est copulatos, qui DEO adhæserunt. Si tamen nos dijudicaverimus per scrutinium, utique non judicabimur. (*1. Cor.* 11.) Si lumen ad revelationem gentium (*Luc.* 2.)

Ignis Pænitentiæ.

coruscaverit in conscientiis nostris; erit lumen Israel; (*Isaiæ* 10.) id est videntium DEUM etiam in igne pænitentiæ, igne cordis contriti, igne feruoris Spiritûs, ut in quavis meditatione nostra exardescat ignis.

Profectus Spiritualis.

(*Psal.* 38.) Ambulate, monet Propheta, in lumine ignis, (*Isaiæ* 50.) illius ignis, qui nunquam dicit, sufficit; (*Prov.* 30.) ut semita nostra sit quasi

A quaſi lux ſplendeſcens, & procedens usq; in perfectũ diem (*Prov.*4.)Dili-
gite lumen ſapientiæ omnes, qui præeſtis aliis (*Sap. 6.*) adhortatur Sa-
piens Superiores. Sed cui radix, cui diſciplina ſapientiæ revelata eſt ? (*Ec-
clesiaſtic. 1.*) Revelata eſt Sanctis Patriarchis & Prælatis Ordinis Noſtri,
per quos incepit incorruptum legis lumen ſeculo dari, (*Sapient. 18.*)
legis inquam Religioſæ, in qua etiam ſtatuitur, ut quiſque Abbas an-
nuum in Monaſteriis ſuis peragat ſcrutinium, ut velut Paſtor agnoſcat
vultum pecoris ſui, (*Prov 27.*) quatenus poſſit dicere cum bono Pa-
ſtore: cognoſco oves meas & cognoſcunt me meæ. (*Joan. 10.*) Hoc
ſcrutinium fieri ſolet in Sacris Quadrageſimæ temporibus, cujus initi-
B um Septuageſima. Jllud ego quoque ex vi Officii mei inſtituere cogor.
Præmonitos proinde velim vos P. R. F. D. ut ad id vos præparetis, &
invocetis Spiritum Sanctum lumen cordium. (*Eccl. in Hymno.*) Lu-
men illius ſuper terminos terræ; (*Job. 37.*) Qui à terra recedit, à
DEO illuminatur. Recedite ab omni terrena, id eſt propria affectio-
ne, aperientes corda veſtra, & effundentes illa in conſpectu Domini,
(*Pſ. 61*) cujus vices licet indignus ego in terris gero. In hoc ſcru-
tinio adſit quoque nobis hodiernum lumen de lumine, lumen ad re-
velationem gentium, (*Luc. 2.*) qui eſt Via, Veritas, & Vita, (*Joan. 14.*)
Via ad inveſtigandum, Veritas ad cognoſcendum, Vita ad apprehen-
C dendum. Adſit dico hoc lumen nobis; nam omnia quæ arguuntur,
à lumine manifeſtantur. (*Eph. 5.*) Omne enim quod manifeſtatur,
lumen eſt; (*Ibidem.*) lumen ad revelationem gentium, (*Luc.2.*) quod
utinam quoque ſit ad gloriam ſuam & ad gloriam plebis ſuæ Iſrael
(*Ibidem.*) verorum Iſraelitarum, in quibus non eſt dolus (*Pſalm. 10*)
ſed quibus veritas, rectitudo & juſtitia eſt in aperto. Maria ſemper Vir-
go hodie purificans, Mater luminis Divini puriſſima, purificatione ſua
quâ non eguit, nos puritatis vacuos & indigos meritis ſuis & prece ſan-
ctificet, luminiſque æterni per Sanctam oblationem faciat participes.
Statui utrique tam Eccleſiaſtico, quàm Politico gratiarum ſuarum lu-
D mina impertiatur, ac ſigillatim Sereniſſimum Regem noſtrum, totam-
que Domum Regiam largis ditet & dotet benedictionibus; Ordines
Religioſos ac potiſſimùm noſtrum ſibi dedicatum favoribus ſuis com-
plectatur: Animabus Agonizantibus, & in purgatorio igne conſtitutis
Patrocinio ſuo aſſiſtere dignetur, nosque faciat vivere in ea, quæ lumen
& ignis eſt, nec unquam excidit (*Cor. 13.*) charitate.

Lumen Prælatorum Sapientia.

Scrutinium incumbit Abbati.

Scrutinij tempus.

Præparatio ad Scrutinium.

Via Veritas & Vita quid?

Purificatio Spiritualis.

Sermo in Dominica Septuageſimæ.
Pauci verò electi. Matt. 20.

DEUS ſupremus Elector electorum ſuorum, filium ſuum qui eſt
Chriſtus DEI electus (*Luc. 23.*) miſit in terras (*Joan. 3.*) ut ho-
mines electos ipſi faceret & congregaret, (*Iſaiæ. 24.*) de quo

Caput Electorum Christus D.

Isaiæ vaticinium impletum fuisse Matth. Evangelista manifestat: Ecce puer meus, quem elegi dilectus ex millibus, id est ex omnibus creaturis, in quo benè complacuit animæ meæ; *(Matt. 12.)* & habuit Matrem electam ut Sol, electam genitrici suæ (*Cant.6.*) quæ in electis DEI misit radices, *(Eccl. 24.)* quæ optimam partem elegit, nunquam à se auferendam (*Luc.10*) videlicet immaculatam esse, & esse semper cum DEO, Verbi Divini esse conservatricem: Ipse ante se præmisit Joannem, & posuit quasi sagittam electam. (*Isaiæ 49.*) Ipse est, qui elegit duodecim Apostolos (*Luc. 6.*) & (*Joan. 6.*) quibus ait: non vos me elegistis, sed ego elegi vos de mundo (*Joan. 51.*) posito in maligno (*Joan. 5.*) ubi concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ dominatur. (*Joan.* 2.) Ipse qui ostendit, quem elegerat, (*Act.1.*) Matthiam nimirum paruum & humilem in locum Judæ traditoris. Ipse Paulum Doctorem gentium, Vas electionis suæ nominavit. (*Actorum. 9.*) Sic & ipse DEUS in veteri testamento elegit Moysen ex omni carne. *(Eccl. 49.)* Quare? propter obedientiam. Audivit enim eum, & vocem ipsius. (*Ibidem*) Propter hanc etiam Abraham Patrem multarum gentium (*Gen.17.*) elegit & constituit. Nunquid non David elegit Dominus, (*Psalm. 77.*) & exaltavit electum de plebe sua? (*Psalm.* 88.) memor omnis mansvetudinis ejus? (*Ps.*131.) Nunquid non Populus Israel utpote videns DEUM per fidem populus est, quē elegit Dominus in hæreditatem sibi? *(Ps. 32.)* Nunquid non Filij Jacob, Filij scilicet illius, qui fuit supplantator Dæmonis, qui fuit fortior fortis armati atrium invadens & arma ejus distribuens. (*Luc. 11.*) Filij Jacob inquam electi ejus? (*1. Par.16.*) & (*Psal. 104.*) Dominus est, qui elegit sibi Jerusalem (*Zach. 3.*) civitatem Sanctam, (*Apoc. 33.*) in qua est visio Pacis: donum enim & pax est electis ejus, (*Sapien. 3.*) cujus locus in pace factus (*Psal. 75.*) est locus quem elegit Dominus. (*Deut. 14.*) Elegit quoque Syon, (*Psalm 131.*) id est aceruum lapidum, congregationem ex lapidibus vivis, unitam sibi; per concordiam, elegit in habitationem sibi (*Ibidem.* ubi est lapis angularis pretiosus. Dominus est, qui plantavit vineam electam (*Isaiæ 5.*) Ecclesiam suam, ad quam conduxit operarios: (*Matth. 29.*) sed operarii quàm pauci! (*Ibidem.*) In hac nos sumus genus electum, (*1. Pet. 2.*) si tamen electum. Verè Beatus, quem elegisti Domine, habitabit in atriis tuis. (*Psal. 64.*) Et quis est electus? ille qui elegit abiectus esse in Domo DEI sui magìs, quàm habitare in tabernaculis peccatorū. (*Psalm. 83.*) Nonne DEUS elegit pauperes? Sicut dicit apud Isaiam: Elegi te in camino paupertatis. (*Isaiæ 48.*) Quin imò, quæ stulta sunt mundi, elegit DEUS. (*1. Cor. 1.*) Quis est electus? ille, qui cum Christo scit reprobare malum & eligere bonum. (*Isaiæ 7.*) Ille qui purgat se cum paucis (*Eccles. 7.*) juxta consilium Sapientis: Ille, qui super pauca fuit fidelis: (*Matth. 21.*) Ille, qui cum paucis arctam viam, & angu-

DEipara.
* Ecclesiæ
Joannes Bapt.
Apostoli.
Matthias quid?
Moyses & Abrahām Obedientes.
David mansuetus.
Populus Israel Fidelis.
Jacob quid?
Jerusalem. Pax Electis.
Sion.
Vinea electa Ecclesia.
Pauperes.
Quis est Electꝰ?

A angustam portam salutis ingreditur. (*Matth.* 14.) Sed ô mi DEUS! cur pauci sunt, qui inveniunt eam; (*Ibidem:*) cur pauci electi? (*Matth.* 20.) O Altitudo divitiarum Sapientiæ & scientiæ DEI, quàm incomprehensibilia judicia ejus! quis cognovit sensum Domini aut quis consiliarius ejus fuit? (*Rom.* 11) O inaccessas latebras tonantis consili! exclamat Gerson Doctor Parisinus, ô nunquam penetranda abyssus! (judicia enim DEI abyssus multa) (*Psal.* 35.) quam juvat tantùm tacitâ precantes mente vocari. Cogitate Fratres mei illud momentum, quo Divus mellifluus Pater Noster cælum ascendit cum uno Archidiacono Lugdunensi, qui teste S. Vincentio Ferrerio quadraginta annis in

Paucitas Electorum exemplificatur.

S. Bernardus cum 30. m.

B solitudine vixit, tres animæ ad purgatorium, reliquæ ex triginta millibus ad infernum destinatæ. Trutinate illud punctum temporis, quo teste Bertoldo Prædicatore Franciscano sexaginta millia animarum obierunt, tres ad cælum post paruum purgatorium ascenderunt, reliquæ omnes damnatæ. Perpendite concionem divi Chrysostomi habitam Antiochiæ, ubi interrogat: Quot esse putatis in civitate hac, qui salvi fiant? & respondet: Infestum quidem est quod dicturus sum; dicam tamen; Non possunt in tot millibus reperiri centum, qui salventur. Itanè S. Patriarcha? Quin & de his dubito, infert: nec abs re, ubi cepit crimina, flagitia, scelera urbis illius enumerare. Quid si nunc vox

60. m. simul defunctorum.

S. Chrysost. horrendum Vaticinium.

C de cælo veniret, quæ proclamaret; Ex hoc parvo numero nostro unum tantum salvandum iri: Bone DEUS! quis nostrum cum timore & tremore non satageret operari salutem suam? (*Eph.* 6.) & tamen verum est æternæ veritatis oraculum: Pauci electi. (*Matth.* 20.) Fratres mei nemo scit nostrûm, num sit ex electis DEI, num sit ex prædestinatis ad vitam teste Divo Patre Nostro. Fiducia quidem spei solatur nos, nulla tamen est certitudo. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit dabitur illi. (*Eccl.* 15.) Elige ergò vitam monet Dux populi Israelitici ut vivas. (*Deut.* 30.) Elige bonum (*Ibidem.*) ut sis bonus, quia boni pisces eliguntur in vasa DEI, mali

Cum timore Salus operanda.

D foras mittuntur. (*Matth.* 13.) Ergò cum Filio DEI quæramus placere DEO. Cum Matre DEI simus immaculati, simus semper cum DEO: erimus, si fuerimus sine peccato. Cum Apostolis non simus de hoc mundo, (*Joan.* 14.) sed potiùs electi de mundo. (*Joan.* 15) Cum Mathia simus parvi spiritu, humiles & pauperes. Cum Moyse obedientes; Cum Davide mansueti; Cum Jacobo Dæmonis supplantatores. In multitudine tam cælestium, quàm terrestrium electorum conversemur: (*Eccl.* 24.) quia cum electo electus eris, & cum perverso perverteris. (*Psalm.* 17.) Induamus denique nos sicut electi DEI, Sancti & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, paupertatem: (*Coloss.* 3.) cùm hoc tempore sancto Septuagesimæ non lætum Alleluia, sed luctus pænitentiæ resonare debeat; unde etiam in Ordine nostro incipit abstinentia à carnibus) supportantes in-

Vivendum ut pauci Electi.

DEO placentes.

Immaculati.

Procul à Mũdo

Humiles &c.

Misericordes &c.

Septuagesimalis abstinentia.

 vicem

Vinculum Perfectionis.

vicem & donantes nobismetipsis, super omnia autem charitatem habeamus, quæ est vinculum perfectionis. (*Ibidem.*) Concludo verbis Principis Apostolorum & Capitis Ecclesiæ primi: Quapropter Fratres magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis. Hæc enim facientes non peccabitis aliquando, sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum Regnum Domini & Salvatoris Domini Nostri JESU Christi: (2. *Pet.* 1) eritis inter paucos electos.

Bona Opera certã faciunt Electionem.

Sermo in Prima Dominica Quadragesimæ.

Ductus est JESUS in desertum à Spiritu. Matth. 4.

FElix desertum, ad quod ducitur JESUS à Spiritu Sancto; Felices nos in hoc deserto, si à Spiritu Sancto ducimur, & invenimus ibi JESUM, id est Salvatorem & salutem nostram. Sed quodnam hoc desertum Fratres mei? nunquid non desertum totus est mundus? Ita sanè factus per illum, qui de cælo cecidit Lucifer, antea manè oriens, (*Isaiæ* 14.) postea conversus in noctiferum tenebrionem, Rectorem & Principem tenebrarum, (*Eph.* 6.) de quo Isaias asserit: Qui posuit orbem desertum. (*Isaiæ* 14.) Mundus enim per peccatum deserens DEUM, desertus à DEO, quidni desertum est abominandum? Eduxit nos Dominus, (cui sit laus & gratiarum actio) ex hoc maligno mundi deserto, & deduxit nos feliciter in aliud salutare desertum Sacræ nempe Religionis, in quo mundum deseruimus. Sed quid exîstis, vel satiùs venistis in hoc desertum videre? (*Matth.* 11.) P. R. F. D. Arundinem vento agitatam? (*Ibidèm.*) Minimè sanè; ubi stabilitas loci vovetur, ubi justus ut palma florere debet (*Psalm.* 91.) per constantiam, & sicut Cedrus Libani multiplicari (*Ibidem.*) per votorum Sacrorum observantiam, obedientiæ, castitatis, paupertatis fertilitatem, & sicut lilium germinare per virtutũ variarum abundantiam ac fragrantiam. Quid venistis in desertum videre? Hominẽ mollibus vestitum. (*Mat.* 11) Avertat DEUS; non enim ad delicias venimus, non ad voluptates accessimus, non ad commoditates seculi, quas projecimus, appulimus; sed ad emendationem vitæ, spatiũ veræ pænitentiæ, ad veram disciplinæ ac conversationis Religiosæ asperitatem & austeritatem. Quid ergò in hoc deserto requirimus? Joannem id est gratiam DEI: Qualem Joannem? pænitentem, qualem vobis in primo Sermone meo repræsentavi. Per veram enim pænitentiam gratia DEI recuperatur & reparatur. Et sic insonat nobis vox clamantis in deserto: Parate viam Domino (*Joan.* 1.) pænitentiæ contritionibus, rectas facite semitas ejus (*Ibidem.*) correctione vitæ regularis. Vox enim Domini est vox concutientis desertum non ad destructionem (*Psal.* 28.) sed ad emendationem. Commovebit Dominus desertum Cades (*Ibidem.*) desertum tenebrosum peccatorum, dando scientiam

Desertum Mundus.

Desertum Religiosum.

Stabilitas.

Observantia Votorum Religios.

Austeritas Vitæ.

Ad quid venisti?

Joannes in deserto, Gratia D. in statu Pænitentiæ.

A entiam ſalutis in remiſſionem eorum. (*Luc.* 1.) Jam quod nos attinet, in hoc deſertum Religionis Sacræ ex Ægypto mundi cum Filiis Iſrael deducti venimus ſacrificare Domino DEO noſtro. Nihil ex nobis in Ægypto manere debet, omnia in deſertum conferre tenemur; omnia DEO offerre in holocauſtum. Hìc nobis ſicut & Iſraelitis tradita eſt lex Regulæ ſanctæ, quam non tantùm acceptavimus, ſed & vovimus adimplendam. Hic nobis eſurientibus paravit Dominus menſam in deſerto. (*Pſalm.* 77.) Manna illud cæleſte Verbi ſui, manna altaris ſui omne delectamentum & ſaporem ſuavitatis in ſe habens. (*Sapien.* 16.) Hìc nobis ſitientibus poſuit Dominus deſertum in ſtagna aquarum,

Sacrificium in Deserto.
* *Exod.* 5.
Manna Spirituale.

B (*Pſalm.* 106.) fluenta gratiarum ſuarum fundens, & rupem in fontes aquarum, (*Ibidem.*) ut etiam ex duriſſimis cordibus exiliat fons aquæ ſalientis in vitam æternam, (*Joan.* 4.) ut deducant oculi noſtri lachrymam, (*Ierem.* 14.) & non taceant: Imò ut exitus aquarum deducant oculi noſtri, quia non cuſtodierunt legem DEI: Non taceat planè pupilla oculi noſtri, & ſint nobis lacrymæ panes die ac nocte, dum dicitur quotidie, ubi eſt DEUS tuus? (*Pſalm.* 41.) O Salutares ſupercæleſtes aquæ, & planè Divinæ! Beatus qui hiſce aquis innatat, qui eis incaleſcit, & cum Magdalena lavat pedes Domini, (*Marci* 2.) ut audire mereatur; dimittuntur tibi peccata tua, quoniam dilexiſti multum. (*Ibidem.*) In

Aquæ Gratiarum & lacrymarum.
* *Pſ.* 119.
Magdalena.
Pœnæ in Murmuratores

C hoc deſerto potiſſimùm à DEO murmura puniuntur. Hìc demùm nobis infirmis & ignitorum ſerpentum morſibus, videlicet inſpirationum diabolicarum & tentationum ictibus vulneratis, pendet à rubore ſangvinis æneus ſalutis ſerpens exaltatus in deſerto, (*Num.* 21.) ut omnis qui credit in ipſum, qui reſpicit ipſum, id eſt, per fidē, ſpē & amorē, qui ſequitur illū non pereat, ſed habeat vitā æternā. (*Joan.* 3.) Porrò in hoc deſerto Religionis ſacræ debemus cum Jeſu in profundius deſertū, in locum deſertū Exercitiorum Spiritualium ſeorſim ſecedere, de quo DEUS apud Oſee: Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus. (*Oſeæ.* 2.) Et alibi: Ego cognovi te in deſerto, in terra ſolitudinis; (*Idem. cap.* 13.) ubi

Serpentes igniti, Tentationes.
Æneus Serpens Christus Crucifixus.
Desertū profundius Exerc. Spirit. Solitudo.
Locutio DEI ad cor.

D DEUS cognoſcit nos loquendo nobis in nobis, de nobis, ubi ſedet ſolitarius ille, qui portat jugum ab adoleſcentia ſua, & tacet, & levat ſe ſupra ſe. (*Tren.* 2.) Felices alæ meditationis, alæ contemplationis, pennæ amoris DEI in quibus eſt ſanitas (*Malach.* 4.) cum quibus anima volat, & levatur, in DEUM. Hìc in terra deſerta; ſic in Sancto apparemus DEO, ut videamus virtutem & gloriam ejus. (*Pſ.* 62.) Hìc pingueſcunt ſpecioſa deſerti (*Pſalm.* 64.) repletur in bonis deſiderium noſtrum, & renovatur ſicut aquilæ juventus noſtra (*Pſalm.* 102.) ita ut DEUS nobis dicat: Recordatus ſum tui, miſerans adoleſcentiam tuam, & charitatem deſponſationis tuæ, quando ſecuta es me in deſerto. (*Ierem.* 2.) Beata anima novo vitæ genere adoleſcens, novâ charitate deſponſata & ſequens DEUM in hac ſolitudine. Notemus tamen, quod in hoc deſertum ſeorſùm ſeceſſit JESUS, (*Luc.* 5.) quando decollatus eſt Joannes. O utinam in nobis nunquam decol-

Alæ & Pennæ Mysticæ.
Fructus Exerc. Spiritualium.
Poſt decollat. Joannis, JESUS in deſertum.

 letur

Jactura Gratiæ DEI urget recollectiones.

etur Joannes! nunquam per peccatum gratia DEI occidatur! si tamen contingeret, (quod absit,) tunc cum JESU curramus ad desertum recollectionis nostræ, seorsim extra turbas omnium cogitationum, huic soli intendentes, unum necessarium (*Luc.* 10.) quærentes, & dicentes: Unam petii à Domino, hanc requiram, (*Psal.* 26.) gratiam scilicet deperditam. Tunc cum Ioanne altero dilecto JESU discipulo (*Joan.* 21.) auferamur in spiritu in desertum, ut videamus mulieris obscænæ immunditias, animæ nostræ infectæ maculas: Babylonem magnam, (*Apoc.* 17.) pravam, perversam, propriam voluntatem nostram, confusionis chaos, matrẽ fornicationum & abominationum terræ (*Ibid.*) A

Joannis Apostoli S. Desertum.

Babylon Voluntas propria.

* in desertum

Desertum Machabæorum.

Judiciũ & Justitia.

Voluntas propria Gehennæ causa.

Quid tentatori respondendum?

Olivæ Vox.

Pingvedo Devotionis.

Dulcedo Amoris DEI.

Vinum Gratiæ D.

Desertum D. odit Desertores.

Tunc descendamus cum multis juxta librum Machabæorum, quærentes judicium & justitiam, (*Mach.* 2.) contra hanc pestem animæ nostræ, trucidantes illam & ad æternum ignem condemnantes. Si enim propria voluntas non esset (teste Mellifluo Doctore Nostro) infernus non esset. Interea si rursùs occurreret tentatio invitans nos à mundo, carne, Diabolo, putridis deserti lignis, aut satiùs titionibus inferni, voluntatem nostram alliciens ac dicens: Regna super nos; Si sumus Oliva fructifera in Domo DEI, (*Psalm.* 51.) respondeamus: Nunquid possum deserere pinguedinem (*Judic.* 9.) devotionis meæ ergà DEUM? Si sumus ficus dulcem ferens fructum, reponamus: Nunquid possum deserere dulcedinem amoris Divini? Si sumus vitis fructificans suavitatem odoris, (*Eccl.* 24.) reclamemus: nunquid possum deserere vinum gratiæ Divinæ, quod lætificat cor hominis? (*Psalm.* 103.) Et sic in hoc sancto deserto non simus desertores, ne nobis maledictio Isaiæ interminetur. Væ vobis Filii desertores! (*Isaiæ* 30.) qui cæptam in deserto Sanctitatis viam deserunt, qui manu posita ad aratrum retrospiciunt. (*Luc.* 9.) Ut faceretis consilium & non ex me: (*Isaiæ* 30.) qui proprium sequuntur ductum & non DEI vocantis. Ut ordiremini telam, & non per Spiritum meum: (*Ibidem.*) qui non Divinum, sed proprium sequuntur Spiritum, qui cum spiritu cæperint, carne consummantur (*Galat.* 3.) ut adderetis peccatum super peccatum: (*Isaiæ.* 30.) qui citò deserunt viam Domini, qui ut canes redeunt ad vomitum, & ut sues ad volutabrum luti. (*Prov.* 26.) Væ* tales Filii desertores dicit DEUS! (*Isaiæ.* 30.) De propitiato peccato noli esse sine metu, (*Eccl.* 5. c. ut semper pæniteamus, ut nunquam à pænitentia recedamus, ut cum timore & tremore salutem nostram continuò operemur; (*Ephes.* 6.) ne DEI clamantis, Quoties volui? & noluisti (*Matth.* 23.) imprecatio sequatur: Ecce relinquetur Vobis domus Vestra deserta: (*Ibidem.*) Dabo te in desertum, (*Ezech.* 5.) desertum & desolatum (*Ezech.* 35.) à me in æternum.

B C D

Spiritus privatus

Peccatum supra peccatum Instabilitas.

* vobis

* monet

Deserta quæ horrenda?

Sermo in Festo S. Benedicti.

Nomen Benedictionum & Cōpendium.

SAnctus multorum Ordinum, sed & Ordinis nostri Patriarcha nomine & omine Benedictus, præventus à DEO in benedictionibus dulce-

A dulcedinis, (*Psalm.* 20.) benedixit Dominum in operibus suis (*Eccl.* 39.) unde in oblectatione & benedictione à DEO susceptus, nobis quoq; Posteris suis post se reliquit benedictioně. Præventus inquam à DEO in benedictionibus: Quis enim potest esse benedictus, nisi cui benedixerit Dominus? & hæc prima gratia est præveniens nos, eligens nos, adoptans nos, utique gratia, quia nullo merito nostro, gratis & gratuitò nobis datur, profluens ex ipso fonte Divinæ bonitatis. Hæc gratia DEI est sicut Paradisus in benedictionibus, & misericordia ejus in seculum permanet, (*Eccl.* 40.) misericorditer nos ad gloriam suam æternam (ô utinam) prædestinans! Benedictus DEUS & Pater misericordiarum, *Gratia præveniens.*

B (2. *Cor.* 1.) qui Divum Patrem nostrum elegit, ut esset re & nomine Benedictus, ac talem in oculis ejus gratiam inveniret. Hæc gratia, vera benedictio Domini multiplicata quasi fluvius (*Eccl.* 39) inundavit in ipso, dum variis virtutum profluviis vitæ cursum transigeret in omni benedictione. In operibus suis DEUM semper benedicens, excelsa peteret montium, non ut sederet in monte testamenti cum superbo lucifero, (*Isaiæ* 14.) sed potiùs in valle humilitatis radicatus, virtutum gradibus ascenderet montem Domini, ibique excellentiam & celsitudinem adipisceretur meritorum. Hinc inter medium montium fecit pertransire aquas (*Psal.* 103.) doctrinæ suæ, ita ut de ore ejus prudentiæ *Montes Benedictus amabat.* *Regula Sancta.*

C mel procederet; (*Cant.* 4.) mellita videlicet Regulæ sanctæ fluerent eloquia (verè benedictum eloquium ejus,) (1. *Reg.* 25.) adeoquè fluenta gratiæ sibi concessa nobis quoquè populo suo ministraret. Ita sanè benedictio Domini super caput justi, (*Prov.* 10.) in benedictione enim erit justus, (*Psalm.* 36.) cujus justitia fuit, sicut montes DEI. (*Psal.* 35.) Sed quis ascendet in montem Domini. (*Psalm.* 23.) Respondet Vates Regius: Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, (*Ibidem.*) uti sanctus Pater noster, qui ab ipso pueritiæ suæ tempore, nulli animum dedit voluptati, imò quasi aridum mundum cum flore despexit: spinarum aculeis innocentiam suam, & cor- *Vitæ austeritas & Innocentia.*

D dis munditiem muniendo. Hic accipiet benedictionem à Domino & misericordiam. (*Ibidem.*) Accepit equidem eam Patriarcha noster à DEO auctus benedictione; ut benedicetur cum fideli Abraham, & exinde benedictionem omnium Gentium daret illi Dominus, (*Eccl* 44.) ut esset plenus benedictionibus, & benedicerentur in ipso universæ cognationes terræ. (*Gen.* 28.) Planè uti Abraham Patri multarum Gentium (*Gen.* 17.) ita Divo Benedicto Patri multorum Ordinum benedixit DEUS dicens: Benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum erisque benedictus. *Gen.* 12.) Sed Fratres mei, quæ fundamenta sunt in montibus istis sanctis (*Psal.* 86.) Patris nostri? Ubi magnitudo hæc radices suas fixit? in valle benedictionis, (2. *Par.* 20.) in valle humilitatis. Ita nos docet primus & magnus Theologorum Doctor Augustinus; Magnus esse vis? à minimo incipe. Cogitas magnam fabri- *Patriarcha multorū Ordinum.* *Vallis Humilitatis.*

Humilitas fundamentum.

cam extruere celsitudinis? de fundamento priùs cogita humilitatis. Idem nos admonet mellifluus Pater noster verus Divi Benedicti imitator. A
Ubique vallis laudatur, ubique humilitas prædicatur. Ibi plantare ubi decursus aquarum (*Psalm.* 1.) quia ibi copia gratiæ Spiritualis & aquæ, quæ super cælos sunt, laudant nomen Domini, (*Psalm.* 148.) id est cælestes benedictiones faciunt, ut laudetur. En fundamentum humilitatis Divi Legislatoris nostri vallis benedictionis, cui innititur mons perfectionis. Quis non agnoscet summam sancti Benedicti humilitatem, qui intelliget ipsum ex Illustrissima imò Cæsarea familia Romana progenitum, infimam elegisse paupertatem, & in ea ne quidem Sacerdotio initiari voluisse? Quàm profunda humilitatis vallis in sanctissimo Patriarcha! B Beatos nos, qui consedimus in Ordine Cisterciensi, plantati sumus in vallibus. Nonne ibi Claravallis, alibi Bonavallis, hic Speciosa vallis, illic Aurea vallis, ubique valles. Hinc Proverbium; Bernardus valles, montes Benedictus amavit, ut vallibus nostris suam impertiretur benedictionem. Stemus in hac Valle Olivæ nostræ Charissimi, ascensiones in cordibus nostris faciamus ex hac valle lacrymarum. (*Psalm.* 83.) Etenim benedictionem dabit Legislator noster, (*Ibidem.*) ut excitati spiritu, cui ipse servivit, eamus de virtute in virtutem, donec videamus DEUM nostrum in monte Syon. (*Ibidem.*) Stemus inquàm, sed plantati stemus; verba sunt Melliti Patris nostri, ut non arescamus, C
non moveamur quocunque flatu: stemus in valle humilitatis, in vallibus enim pinguedo est. Hic proficiunt plantæ, ibi plena spica, ibi centesimus oritur fructus juxta illud; & valles abundabunt frumento. (*Psalm.* 64.) Erimus sicut Oliva fructifera (*Psalm.* 51.) plantata secùs decursus aquarum. (*Psalm.* 1.) Quidni? nonne testimonio ipsiusmet Sedis Apostolicæ Ordo noster est paruus fons, qui crevit in fluvium, & in lucem solemque conversus est, & in aquas plurimas redundavit? (*Esther.* 10.) Sequatur unusquisque nostrûm consilium Sapientis monentis & dicentis: Bibe aquam de Cisterna tua, (*Proverb.* 5.) de Ordine Cisterciensi; Bibe & fluenta putei tui (*Ibidem.*) id est Regulæ D
S. Benedicti, ut fiat in te fons aquæ salientis in vitam æternam, (*Joan.* 4.) & de ventre animæ tuæ fluant aquæ vivæ (*Joan.* 7.) & ne tantùm tibi vivas, deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide, (*Proverb.* 5.) doctrinâ & bono exemplo omnibus, sed maximè vicinis tuis ad conversionem eorum prælucendo. Nihilominus habeto eas solus (*Ibidem.*) in solitudine spiritûs gratiam DEI conservando, ne sint alieni participes tui, (*Ibidem.*) alieni planè à te & hostes tui, ne tollant tibi gratiæ Divinæ benedictionem, sed demùm semper sit vena tua benedicta. (*Ibidem.*) Pro ejus custodia assume timorem DEI, qui est sicut paradisus benedictionis (*Eccl.* 40.) est flammeus Cherubin gladius ad custodiendam viam ligni vitæ (*Gen.* 3.) quod est lignum Crucis. Benedictum hoc vitæ lignum, per quod fit justitia, per quod operatus

Familia Cæsarea. *Sacerdotium recusat S. P.* *Valles Cisterciensium.* *Stabilitas.* *Humilitatis fructus.* *Oliva.* *S. Ordo.* *Zelus Verbi & Exempli.* *Solitudo.* *Timor DEI.* *Gladius Cherubim.* *Crux Lignum vitæ.*

ratus

A ratus est benedictus Salvator Israel salutem in medio terræ, (*Psalm.* 37.) ut Israel quoque esset (nimirum populus videns DEUM per fidem & gratiam) vel prævalens DEO per humilitatem: benedictio in medio terræ juxta Isaiam populus, cui benedixit Dominus exercituū (*Isaiæ.* 19.) Ecce sic benedictus homo, qui timet Dominum. (*Psalm.* 127.) Jam verò habet Dominus Zebaoth exercitus triumphantes, ubi multitudo militiæ cælestis laudantium DEUM & dicentium: Benedictio & claritas &c. in sæcula sæculorum. (*Apocal.* 7.) Habet & militantes exercitus, ubi militia est vita hominis super terram: (*Job.* 7.) utiquè colluctatio nobis est gravis cum Mundo, Carne & Diabolo. Benedictus Dominus

Israel quid?

Ecclesia triumphans.

Ecclesia militans

B exercituum, qui exercet manus nostras ad prælium, & digitos nostros ad bellum, (*Psalm.* 143.) in quo etsi maledicimur, tamen benedicimus, (*1. Cor.* 4.) quia licet maledicant hostes, DEUS tamen benedicit. Habemus antesignanum Ducem nostrum Benedictum, qui prælia Domini præliatus, (*1. Reg.* 25.) in abundantia benedictionis (*Rom.* 25.) mundum vicit per contemptum, carnem per mortificationem, diabolum per humilitatem: Exemplum dans nobis, ut quemadmodum ipse fecit, ita & nos faciamus, (*1. Pet.* 2.) & sic procedamus ac proficiamus seminantes in benedictionibus de benedictionibus messem habituri, (*2. Cor.* 9.) inter benedictos benedicti; idque à Domino benedicti, (*Ps.*

Arma Victoriæ Spiritualis.

Benedictiones Proficientium.

C 113.) & benedicentes Dominum, qui justè terram promissionis hæreditabunt. (*Psalm.* 36.) Benedictio enim Domini divites facit virtutum, quando de pluvia benedictionis (*Ezechielis.* 34.) dat benignitatem, tunc terra nostra dat fructum suum. (*Psalm.* 84.) Ibi pulcherrimus relucet arcus multiformis gratiæ DEI. (*Eccl.* 34.) Hunc vide & benedic eum, qui fecit illum, (*Ibidem.*) benedic Dominum in omni tempore, (*Psalm.* 33.) benedic corde & ore, nec sis inter illos, qui ore suo benedicebant, corde autem suo maledicebant (*Psalm.* 61.) nec inter illos, ubi iniquus benedicitur (*Psalm.* 10.) quia sola generatio rectorum benedicetur. (*Psalm.* 111.) Bonus est Israel DEUS, sed his, qui

Iris Gratia D.

Cor ori consonet.

D recto sunt corde. (*Psalm.* 72.) Talis fuit in vita sua dilectus Domini Benedictus (*Gen.* 24.) noster rectus corde; cuius hodie memoria est in benedictione, (*Eccl.* 45.) qui etiam moriens erectus & rectus per viam recto Orientis Tramite ab eius Cella in Cælum tendentem, ascendit in montem Domini, (*Psalm.* 23.) quo non minùs S. P. N. Bernardus in montem libani montem candoris æterni pergere est conspectus. Venite Fratres mei, ascendamus in montem S. Patris nostri, ut doceat nos vias suas virtutum, & ambulemus in semitis ejus, semitis justitiæ rectis; (*Isaiæ* 2.) Scilicet humilitatis, contemptûs mundi, & mortificationis carnis. Non audiamus hanc maledictam inducentem nos ad peccatum & dicentem perversè: benedic DEO & morere. (*Iob.* 2.) Non enim mortui in peccato laudant Dominum (*Psalm.* 113.) cùm non sit speciosa laus in ore peccatoris, *Eccl.* 15.) sed nos qui vivimus in gratia, bene-

Mors S. Patris.

S. Bernardus

Semitæ Justitiæ.

Vox Carnis.

Opera mortua.

 dicimus

dicimus Dominum. (*Psalm.* 113.) Jam ad te supplex sermo meus convertitur benedicte Domini, (*Gen* 24.) Abba Benedicte, Abba Pater. O verè Abbas! sed ego nihilum ante Te, (*Psalm.* 38.) Abbas nominetenùs. Benedic & mihi Pater mi (*Gen.* 27.) utique non unam habes benedictionem, (*Ibidem.*) qui possides benedictiones Cæli & terræ, qui propriis benedictionibus Romualdum, Cælestinum, Gualbertum, Brunonem, & nostrum S. Patrem Robertum, cujus indignus sum pedissequus, benedixisti: Benedic mihi, ut benedicat mihi Dominus, & populo meo in pace; (*Psal.* 28.) ut benedicam Dominum, qui tribuat mihi intellectum (*Psalm.* 15.) pascendi gregem suum. Benedic Domui servi tui Olivæ huic, ut sit sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. (*Gen.* 27.) Benedic coronæ anni benignitatis tuæ (*Ps.* 64.) in hoc annuo Festivitatis tuæ die congregatæ. Sumus Oves pascuæ tuæ (*Psalm.* 73. & 78.) Regulæ Sanctæ, benedic nobis de Domo Domini. (*Psalm.* 117) Benedic Sanctissimo nostro Pontifici Summo Innocentio XI. totique Clero. Benedic Serenissimo Regi nostro Joanni, ejusque Regiæ Familiæ ac toti Regno. Benedic animabus agone & purgatorio igne pressis, ut benedictus Dominus super omnes suam mirificet misericordiam. (*Jud.* 13.) Impetra benedictionem à Benedicta in mulieribus, & à Benedicto fructu ventris ejus, (*Luc.* 1.) ut quando veniet ipse Christus Filius Benedicti (*Marci.* 14.) judicare orbem terrarum in justitia, & populos in æquitate (*Psalm.* 97.) ab auditione mala (ite maledicti) (*Matth.* 25.) non timeamus, (*Psalm.* 111.) sed auditui nostro det lætitiam, (*Psalm.* 50.) & audire mereamur unà tecum desideratissimam sententiam: venite Benedicti. (*Matth.* 25.) Fiat, fiat.

Postulatio Benedictionis à S. P. — A

Patriarcha Patriarcharũ.

Olivæ benedictio &c. — B

Pro quibus orandum die Sermonum.

C

Sermo in Dominica Palmarum.

Venit JESUS Jerosolymam. Joan. 12.

Oliva Pacis triumphat.

FRatres mei ad Olivas currite, ad palmas properate: venit JESUS, venit Salvator, venit Salus nostra: Sed quo venit? Jerosolymam: venit ad visionem pacis. Felix Domus, in qua pax regnat & videtur, unio stringit, ordo servatur, concordia triumphat, ubi sunt unanimes, unius moris in domo, (*Psalm.* 67.) idem sapientes, (2. *Cor.* 13.) idipsum invicem sentientes (*Rom.* 12.) non in malum, sed in bonum. Babylon est Domus confusionis, est infernus, ubi nullus ordo, nulla pax, sed sempiternus horror turbarum inhabitat. (*Job.* 10.) Fugiamus de medio Babylonis, (*Ierem.* 15.) non est ibi DEUS, sed Jerosolymis, ubi videt pacem, siquidem in pace factus est locus ejus. (*Psalm.* 75.) Habitemus Jerosolymis, id est servemus unitatem in vinculo pacis. (*Eph.* 4.) Fratres sumus, fraternam amemus unionem. In Seculo ubi meum & tuum parit dissidia, rara est concordia Fratrum. (*Ovid.* 1. *metam*) — D

Babylon quid?

Nil Religioni & Dissidia.

A *tam.*) In Religione omnia communia, ubi meum exulat, noſtrum dominatur, firma eſt concordia fratrum. Cum hac occurramus JESU, procedamus obuiam Salvatori noſtro, ſed cum ramis Olivarum & palmarum. Si eſt pax inter nos, ſit etiam pax noſtra cum DEO, ne nos redarguat conſcientia noſtra (2. *Cor.* 1.) ne quid lateat in nobis offenſæ Divinæ: Sit pax externa, ſit & interna; ſit pax in nobis, ut caro ſit ſubdita animæ, paſſiones ſubiectæ judicio; voluntas obediat rationi, & habebimus ramos Olivarum, nec ramos tantùm portemus, ſed ſimus ipſi Olivæ fructiferæ in Domo DEI, (*Pſalm.* 51.) uncti oleo ſanctificationis, tanquam qui in agone contendunt, (1. *Corinth.* 9.) velut pugiles certantes contra diabolum Dominum Babylonis. Nulla pax cum hoſtibus

Pax Spiritualis.

Cui repugnandum?

B noſtris, ſed bellum perpetuum: Reſiſtendum Diabolo, (*Jacob.* 4.) bonum certamen ſemper certandum; (2. *Timoth.* 4.) Ac proinde ſumamus & palmas, ut ſimus victores, vincentes inimicos. Sed quâ virtute? non aliâ niſi virtute Chriſti, virtute Crucis. Nonne ſtatura ejus aſſimilata eſt palmæ? (*Cant.* 7.) aſcendamus in palmam & apprehendamus fructus ejus (*Ibidem.*) Datur nobis victoria per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum. (1. *Cor.* 15.) Nonne ſapientia DEI exaltata ſicut palma in Cades? (*Eccl.* 24.) videlicet in hac caligine terræ, ubi tenebræ & umbra mortis: (*Job.* 10.) Hac illuminemur DEUM ſolum ſapientes: Nam etiam apud Ezechielem (*Capit.* 41.) palmæ inter

Palma Victoriæ Chriſti Crux.

Sapientia Juſtorum.

C Cherubinos, inter illuminatos ſapientiâ DEI, quæ infinitus Theſaurus hominibus, (*Sapien.* 7.) ſed & victrix omnium eſt ac triumphatrix. Ex ſapientia manabit juſtitia, ſapiens enim non odit mandata & juſtitias (*Eccl.* 33.) imò ſervat ea. Et nos ſi ſumus propter diſciplinæ dona commendati, (*Sapien.* 7.) juſtitiam amemus & ſervemus. Sic enim mandat Moyſes: Quem juſtum eſſe perſpexerint, illi juſtitiæ palmam dabunt: (*Deut.* 25.) utique juſtus ut palma florebit: (*Pſalm.* 91.) Perennat locus, ubi juſtitia imperat, qui per juſtitiam radicatur. Ergò ſimus Olivæ pacis, ſimus & palmæ juſtitiæ, ut juſtitia & pax oſculentur

Palma Juſtitiæ in pace.

D (*Pſalm.* 84.) ſe in nobis, uncti oleo ſanctæ unctionis: (*Levit.* 10. & 21.) Oleo gratiæ Chriſti pugnemus & vincamus, adeoque ad palmas properemus illuc, ubi palmæ in manibus ſingulorum: (*Apoc.* 7.) Poſtquam in nidulo noſtro, in vulneribus Chriſti nidificantes cum Chriſto Crucifixo moriemur (*Job.* 26.) Mundo & nobis, & ſicut palma multiplicabimus dies juſtitiæ, (*Ibidem.*) ungemur à DEO oleo exultationis, (*Heb.* 1.) & palmas gloriæ in viſione pacis ſempiternæ, (*Ezech.* 13.) in cæleſtis Jeruſalem beata manſione percipiemus.

SERMO pro PASCHATE Domini.

Surrexit, non eſt hìc. Matth. 16.

Reſurrectio Spiritualis per Exercitia.

UTinam de nobis verificetur verbum hoc P. R. F. D. Nonne ſurreximus per Spiritualia exercitia de Sepulchris vitiorum, in quibus

bus jacueramus mortui? Dicamus semper Alleluia, id est laudemus DEUM, qui suscitavit JESUM Christum à mortuis (*Roman.* 4.) & qui nos per ipsum fecit resurgere, in quo est salus, vita, & resurrectio nostra (*Gal.* 6.) Mortui eramus per peccata, pavimento mundi adhærendo, inhærendo carnis visco, infixi in limo profundi, (*Psal.* 68.) in luto terræ, tempestate tentationum in puteum interitûs demersi (*Psalm.* 54.) sed jam (laus DEO) Spiritualibus exercitiis vivificati à caducis & vanis abstracti, Spiritu DEI attracti, Spiritu DEI agimur, (*Rom.* 8.) spiritu vivimus (*Gal.* 5.) in sanctis propositis, adeoque per continuationem exercitiorum Spiritualium Spiritu ambulamus. (*Ibidem.*) Si enim fuerunt Exercitia: in Exercitio debemus esse illorum ne languescamus, ne torpescamus, imò ne in somnum mortis aut ipsam, quod absit, mortem reincidamus. Quodsi per fragilitatem & infirmitatem nostram contingat recidiva; iterum resurgamus. Septies in diem cadit justus & resurgit, (*Prov.* 44.) & sic eripitur anima ejus de morte, & pedes ejus de lapsu, ut placeat coram DEO in lumine viventium. (*Psalm.* 55.) Triplicem in Scripturis lego resurrectionem: Samuelis fictam, Lazari & aliorum veram, sed inconstantem: tertiam Christi veram & æternam. Christus enim resurgens à mortuis, jam non moritur (*Rom.* 6.) Fictam avertat DEUS à nobis; vera nec durabilis, etiam procul absit à nobis. Quid enim juvat surgere, si rursùs volumus cadere? cademus fortassè aliquando, nec adiiciemus ultra, ut resurgamus (*Psalm.* 40.) jure meritò gratiâ DEI, per quam solam sublevamur, si illâ abutimur, destituti; Christi veram & firmam resurrectionem amplectamur. Surrexit enim Dominus verè. (*Luc.* 24.) Videte Lazarum surgentem cum sudario in capite. Non duravit ejus resurrectio: habuit mors, unde illum retraheret ad sepulchrum, ob neglectum vel contemptum. Jam verò cernite Christum resurgentem relicto sudario in tumulo. Sudarium nostrum est prava consvetudo. Sudario caput involuitur & ligatur. In capite omnium sensuum sedes est. Per malam consvetudinem caput animæ nostræ id est ratio obnubilatur, ut nec videat, nec gustet, nec odoretur, nec sentiat, quod bonum est. Inde homo pravo habitu ad peccandum assuefactus & obstrictus illaqueatur, ita ut funes peccatorum illum nimis circumplectantur. (*Psalm.* 18.) Hoc pessimum sudarium relinquendum, hæc prava peccandi consvetudo in tumulo pænitentiæ cum toto peccatorum cumulo deserenda. Si adhuc hæret, ut cogamur dicere: Domine vim patior, (*Isaiæ.* 38.) vis pravi habitûs, vi correctionis propulsanda. Regnum cælorum enim vim patitur & violenti rapiunt illud. (*Matth.* 11.) Vis est nobis ipsis inferenda, occasiones ad malum amputandæ, societas prava fugienda, & quidquid nos ad recidivam trahere vel allicere potest, penitùs à nobis extirpandum & eliminandum est, ut etiam de nobis dicatur: Surrexit, non est hic. (*Matth.* 16.) Non est adverbialiter & localiter, scilicet non est

Justus cadit & resurgit.

Resurrectio ficta Samuelis.

Resurrectio Lazari vera, sed non diuturna.

Christus resurrexit verè & jam non moritur.

Pravitas Cōsvetudinis per Pænitentiam tollitur.

Emendatio vitæ.

A est in sepulchro præteritorum vitiorum, non est in tumulo pravorum habituum, non est in occasione relabendi: quia istam evitat, illa delevit, hos pessundedit & annihilavit. Non est hic pronominaliter & personaliter, sed alius. Vetus homo exutus est, novus homo indutus est. Jam re ipsa dicit cum Sponsa Christi: Exspoliavi me Tunicâ meâ (*Cant.* 5.) quomodo induar illâ? Ita planè, quomodo Christus surrexit à mortuis, ita surgamus à peccatis, ut in novitate vitæ ambulemus. (*Rom.* 6.) Tres Christus mortuos resuscitavit. Puellam in Cubiculo, (*Marci.* 5.) Adolescentem in via supra feretrum (*Luc.* 7.) Lazarum sepultum in tumulo.(*Joan.* 11.) Triplex quoque in mortaliter peccantibus

B mors Spiritualis reperitur. Est mors peccati secreta in anima; est mors publica per malam famam; est mors scandalosa per pravam consvetudinem, ubi quatriduanus quis est multorum dierum, inveteratus dierum malorum (*Daniel.* 13.) jam fætet (*Joan.* 11.) offendit aures, oculos, nares aliorum. Prima mors facilis ad resurgendum. Tabitha cumi, quod est puella surge (*Marci.* 5.) unico verbi imperio surrexit parvula peccati proles, à morte rediit ad vitam. Secunda difficilior. Qui portant, stare debent, loculus tangitur. Mater monetur ne fleat; Christus imperativè loquitur: Adolescens tibi dico surge. (*Luc.* 7.) Tibi dico verbum est Exhortationis; Adolescens, quia peccatum per malam famam adolevit. Tertia difficillima. Christus multoties rogatus lentè

C procedit, ubi sit sepultus inquirit, ac si nesciret; tumulum aperiri jubet: cum lacrymis tandem voce magna inclamat: Lazare veni foras. (*Joan.* 11.) Quantus labor hominem peccatorem in prava peccandi consvetudine sepultum, & lapide pravi habitûs obtectum, à morte peccati ad vitæ gratiam revocare. Audiamus F. D. has voces imperantis, exhortantis, & fortiter inclamantis, ac surgamus cum ipso verè & perseveranter: surgamus cum Petro velociter, (*Act.* 12.) surgamus & ambulemus cum Claudo, (*Act.* 3. & 14.) ut dicatur de nobis, non est hic. Non hæreamus in loco mortis, in loco peccati; non adhæreat pavi-

D mento terræ anima nostra, sed occiso homine peccati, facti nova in Christo creatura (2. *Corint.* 5.) consurgamus cum Christo; quæ sursum sunt sapiamus, quæ sursum sunt quæramus. (*Coloss.* 3.) Quæramus hic ad tollendam mortem JESUM Crucifixum, ut illic ad capiendam vitam Nazarenum floridum in Paradiso possimus reperire.

Mutatio morum.

Tres mortui à Christo suscitati.

Triplex Mors peccati: secreta, publica, scandalosa.

Inveterati peccatorum difficilè convertuntur.

Voces Christi imperãtis, exhortantis, clamantis. Surgendum ut Petrus, ut Claudus, ut Christus.

* *Psal.* 119

Quæres Crucifixum, invenit Nazarenum.

Sermo habitus pro valedictione Conventûs sub Primum ad Aulam Seren. Joannis III. Regis & ad Illustrissim. ac R. D. Madalinski Episcopum Vladislaviensem Volboriam ratione Panis Hiberni discessum.

Quàm invitus abstrahar & avellar à vobis P. R. F. D. testis est ipse cordis mei Scrutator, (*Sap.* 1.) cujus haud dubiè dispensatione fit, ut in

Absentiæ Prælati graves causæ.

ut in hanc itineris horam venirem. Cogor publico Servitii Regii ministerio: stringor negotiorum Majestatis obligatione, sed coarctor utrinq; cupiens manere potiùs vobiscum, quàm dissolvi (*Philip. 1.*) & esse cum Aula. Quia tamen necessitatis iter est, curabo ne invanùm nobis cedat. Conabor ea, quæ nobis interim occurrunt necessaria & utilia apud Majestatem & alibi procurare. Spero iter meum non fore longum; vos orate, ut non sit infructuosum. Utinam adventus Spiritûs Sancti acceleret adventum meum ad vos, & det in odore bonæ conversationis, in plenitudine uirtutum, abundantia meritorum, supereffluentia gratiarum reperire vos, prout hoc sacro relinquo tempore, post tot Spiritualium exercitiorum & Sanctorum propositorum stabilimenta. Sic state in Domino Charissimi, in quo rogamus vos & obsecramus (*Philip. 4.*) ut quemadmodum accepistis à nobis, tam quoad Regulam & Statuta, quàm quoad Chartam charitatis & meam ordinationem, quomodo oporteat vos ambulare & placere DEO, sic & ambuletis, ut abundetis magis in pietate & doctrina, (*Ibidem.*) quæ sunt Religionum & Religiosorum non tantùm decora, sed & robora, de die in diem proficientes. Ego ablens quidem corpore, præsens autem Spiritu solicitudinem meam circa vos non depono, sed repono interim in vicarios regiminis mei, sciens quibus credidi, & certus existens, quòd cum DEI adjutorio poterunt depositum meum, quod estis vos Fratres mei, servare & custodire usque in diem (*2. Timoth. 2.*) reditûs mei vobis promptè obedientibus & cooperantibus. Hoc unicum curemus omnes sive peregrinantes à vobis, sive manentes, hìc voluntatem bonam semper habere, & per continuam orationem præsentes esse ad Dominum: àdeoque sive absentes, sive præsentes placere illi studiosè contendamus, cujus nos servitio usque ad mortem (*2. Corint. 5.*) consecravimus.

Solicitudo pro Subditorũ profectu Spirituali.

Vicarij Spirituales.

Post Festum S. Joannis Baptistæ fuit reditus R. D. Abbatis ad Monasteriũ; ideò vacant à Paschate Sermones.

SERMO in Festo Apostolorum Petri & Pauli.

Viri Misericordiæ.

MAgnum nobis peccatoribus solatium hi duo Magni Apostoli adferunt R. P. F. D. Verè ut mellifluus Pater noster dicit, Viri misericordiæ, quia misericordiam consecuti. Nonne unus illorum Christum abnegans, alter persequens? sed unus quoque flens amarè, (*Matth. 26.*) alter amore flexus, promptum se exhibet dicens; Domine quid me vìs facere? (*Act. 9.*) Uterque misericordiam consecutus, (*1 Cor. 7.*) Quomodo? unum respexit JESUS misericorditer, alterum de cælo vocavit mirabiliter. En prima gratia misericordiæ Divinæ gratìs data, in utroque efficax. Petrus cæpit flere, (*Luc. 22.*) quia usque ad mortem ob negationem Christi flere non intermisit. Paulus in Epistolis

Conversi Gratiâ efficaci Misericord. D.

A ſtolis ſuis ſe humiliat nominans ſe abortivum, minimum Apoſtolorum, nec dignum ut vocetur Apoſtolus, primum peccatorem (1. *Cor.* 15.) Quare? quia perſecutus eſt Eccleſiam DEI. (*Ibidem.*) Neuter eorum delictorum ſuorum depoſuit recordationem; uterque memor exceſsûs, ille abnegationis, hic perſecutionis dicebat cum Davide pænitente: peccatum meum coram me eſt ſemper (*Pſalm.* 50.) Sed nunquid non dimiſſa erant eis peccata? Utique Chriſtus reſurgens apparuit Petro in ſignum abſolutionis, & paſcendas ei oves commiſit. Paulus autem poſt converſionem Vas electionis (*Act.* 9.) declaratus; Et tamen peccatum eorum coram eis erat ſemper. Quid nos miſeri? qui non in

Pænitẽtia de propitiato peccato.

B uno, ſed in multis offendimus? (*Jacob.* 3.) ergonè unâ confeſſione, unâ abſolutione, unâ pænitentiâ contenti erimus? Non ſanè. Monet nos Sapiens: De propitiato peccato noli eſſe ſine metu. (*Eccl.* 5.) Videlicet; ſemper pænitendum eſt usque ad mortem; quandoquidem & Chriſtus, licet pro peccatis noſtris, humilis & obediens factus eſt usque ad mortem. (*Phil:* 2.) Neſcimus enim num amore, an odio digni ſimus. (*Eccl.* 9.) Ideò cum Petro non ceſſemus flere & pænitere; cum Paulo nos humiliemus in conſpectu DEI, maximos nos peccatores æſtimemus. Quæritur in Theologia, quod majus DEI opus ſit, an mundum condere, an peccatorem juſtificare? Reſoluit nobis quæſtionem

Juſtificatio Peccatoris, major Mundi creatione.

C Sol Theologorum Auguſtinus: Majus opus eſt, quòd ex impio fiat juſtus, quàm creare Cælum & Terram. Dat cauſam alter ſol Theologicus Thomas. Quia creatio terminatur ad bonum naturæ mutabilis, juſtificatio autem terminatur ad bonum æternum Divinæ participationis. Confirmat præfatus Auguſtinus. Nimirum cœlum & terra tranſibunt, prædeſtinatorum autem ſalus & juſtificatio permanebit: & hæc non fit, niſi per miſericordiam DEI. Idipſum nobis Regius Vates declarat dicens: Miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus. (*Pſal.* 144.) Iam verò, nonne omnes peccaverunt & egent gloriâ DEI? & quæ gloria niſi miſericordia? hinc dum per miſericordiam ſuam naſcendo

D in terris DEUS nos ſalvos faceret, canunt Angeli: gloria in Excelſis DEO. (*Luc.* 19.) DEUS igitur, qui ex ſenſu Eccleſiæ omnipotentiam ſuam parcendo maximè & miſerando manifeſtat; fecit quoque cum Sanctiſſimis Apoſtolis miſericordiam ſuam, & Principes Eccleſiæ effecit; quia Petrus ut petra conſtans in pænitentia, Paulus antea Saulus, id eſt miſericorditer à DEO poſtulatus, jam Paulus id eſt puſillus in humilitate, & promptus in obedientia. Fratres mei nihil petamus à DEO niſi miſericordiam; cum Petro conſtanter ac perſeveranter, cum Paulo humiliter ac obedienter; & ſi ſecuti ſumus peccantes, ſequamur etiam pænitentes, ut cum ipſis quoque miſericordiam à Domino conſequamur. (1. *Cor.* 7.)

Quid Saulus? Quid Paulus?

Sermo in Visitatione Beatissimæ Virginis MARIÆ. A

Exurgens Maria abiit in Montana cum festinatione. Luc. 1.

Visitatio Joanni salutaris.

POstquam exurrexisset DEUS in adjutorium (*Psal. 34.*) generi humano, & exultavisset ut gigas ad currendam viam (*Psalm. 18.*) à summo cælo faciens egressionem suam P. R. F. D; vix descenderat de cælis ad ima terræ nostræ, ad infima carnis humanæ, ad angusta uteri Virginalis, & ecce mox animat Matrem suam, ut exurgens abeat in Montana (*Luc. 1.*) Num absque Mysterio id factum esse credimus? Minimè sanè. Mysticam hic nobis Spiritus Sanctus (cujus gratia non tarda in hac exurrectione & in montana progressu fecit molimina Mariæ) B Mysticam inquam Theologiam repræsentat. Quid enim? Num duntaxat in adjutorium Joanni peccato originali gravato, currit Mater DEI, ut suâ Filiiq; præsentiâ sanctificetur Joannes, & gratiam DEI, quâ denominatur, in se recipiat? Id equidem primariò. Non minùs tamen secundariò, ut & nos doceat viam mandatorum DEI currere. Audivit Maria vocem dilecti sui pulsantis, ac inclamantis: Surge, propera. (*Cant. 2.*) Et ecce exurgens cum festinatione (*Luc. 1.*) Amica mea, utiq; amans; Columba mea, utique gemens; formosa mea (*Cant. 2.*) quia concupivit Rex Speciem ejus, (*Psalm. 44.*) & veni, & abiit Maria. Jam hyems transiit (*Cant. 2.*) peccati Originalis, rigidæ legis imber recessit (*Ibidem.*) C flores apparuerunt in terra nostra (*Ibidem.*) JESUS & Joannes. Surge, propera (*Ibidem.*) repetit iterùm, non quòd pigram reperiret, sed ut desiderium suum hac ingeminatione aperiret, & alacritatem excitaret. Audivit loquelam dilecti, & observavit cursum ejus. Ecce iste venit, inquit, saliens in montibus. (*Ibid.*) Videns talem secuta est, abiens & ipsa in montana. Quidnam sunt hæc Montana? nihil aliud planè, nisi perfectio vitæ Christianæ, ad quam omnes tendere tenemur. Estote perfecti, monet omnis perfectionis Magister Christus, sicut & Pater vester cælestis perfectus est; (*Matth. 5.*) ille qui habitat in Monte Syon. (*Psal. 9.*) qui pro lege sua condenda elegit montem Sinai. Qui Eliam 40. dierum cursu D ad montem Horeb duxit. (3. *Reg.* 19.) Sic & ipse similis Capreæ hinnuloque Cervorum supra montem Bethel, (*Cant. 2.*) id est Domûs DEI, videlicet Ecclesiæ Sanctæ; Filius DEI, in monte doctrinæ suæ Divinæ præcepta Apostolis manifestauit; transfiguravit se in monte Thabor, & gloriam suam detexit. (*Matth. 17.*) In monte Calvariæ salutem per Crucem & mortem suam operatus est, (*Psal. 73.*) In monte Oliveti orare, ad passionem capi, ad cœlos ascendere exoptavit: Ubique montes elegit Dominus, in quibus beneplacitum DEO habitare. (*Psal. 17.*) Ad Supremum tamen montem trahit nos Propheta vociferans: venite, ascendamus ad montem Domini, (*Isaiæ. 2.*) Domum DEI, DEI montem præparatum in vertice montium, (*Mich. 4.*) montem, qui ex parva petra exurgens totum orbem replevit. Et nos quid Fratres mei? num ad-

huc

Exemplaris nobis festinatio.

Amica, Colũba, Formosa, cur?

Hyems, Imber, Flores, qui?

Currẽti calcar

Mariæ & Christi iter idem.

Mõtana Perfectionis.

Mõtes Christus amat.

Mons Montiũ Christus.

A huc hærebimus in pulvere, reptabimus in ſabulo iniquitatum? Serpentis opus hoc, cui dictum; ſuper pectus tuum gradieris. (*Gen. 3.*) Verminculorum debilitas hæc repere in cinere terræ. Nos qui Aquilæ eſſe debemus, per contemplationem ad excelſa volare, in arduis nidos ponere, (*Job. 39.*) in Montana cum Maria Aquila grandi magnarum alarum (*Ezech. 17.*) abire debemus. Sed quæ hæc excelſa, quæ montana? Reſpondet Aquila Theologorum Auguſtinus: præcepta juſtitiæ, de quibus dicitur: juſtitia tua ſicut montes DEI. (*Pſalm. 35.*) Ad hos montes juſtitiæ Divinæ, ad hæc excelſa perfectionis ejus aſcendendum nobis eſt. Si deſcendimus, reperimus infirmos; ipſe deſcenſus infirmi-

Aquilas nos eſſe decet.

Præcepta Juſtitiæ ſunt montana.

Infirmitas humana.

B tas eſt. Verùm in excelſis infirmi eſſe non poſſunt, aſſerit ambroſiam propinans Ambroſius. In ſublimi habitat DEUS, ad quem nobis eundum eſt, per ardua ſtudiorum, per ardua laborum, ad ardua montium ſapientiæ Divinæ, ad ardua virtutum. Quarumnam? Illarum profectò, quarum nobis in octo Beatitudinibus comprehenſum compendium ipſa ſumma Veritas declaravit. Sed quis aſcendet in monten Domini (*Pſal. 23.*) Fratres mei? Turba non ſequitur ad excelſa, non aſcendit ad ſublimia; qui facilè turbatur, turbat ſe, turbat & alios ſine cauſa, non eſt in aſcenſu. Debiles & infirmi non aſcendunt, niſi priùs ſanentur. Sic docet mellifluus Ambroſius: Priùs unusquisque ſanandus eſt, ut

Beatitudines ſ. Virtutes octo.

Turba tropol.

Via Incipientium.

C paulatim virtutibus procedentibus aſcendere poſſit ad montẽ, qui Chriſtus eſt; qui ſtat in monte Evangelizans Syon, quaſi tuba exaltans vocem, (*Iſaiæ. 58.*) & dicens: venite poſt me. (*Matth. 4.*) Habet & impius montes ſuos, montes abominationum, excelſa idolorum. Ipſemet quoque aſcendere voluit, ſed iniquè: Aſcendam dicit, ſuper aſtra exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte Teſtamenti (*Iſai. 14.*) Montes ejus ſunt montes ſuperbiæ, montes præſumptionis, montes contemptûs aliorum, qui vix tanguntur, mox fumigant. (*Pſal. 103.*) Hi ſunt, quibus Rex juſtus maledicit: montes Gelboe, (*2. Reg. 21.*) quod interpretatur revolutio inveſtigationis; qui retrò volvuntur per abrupta vitiorum non

Montes impii Vitiorum.

Gelboë quid?

D inveſtigantes vias Domini: unctus Domini cadit, unctio perit Divinæ gratiæ, meritò rore cæli & pluviâ donorum DEI indigni. Iſti ſunt montes, qui humiliabuntur, (*Iſaiæ. 40.*) qui complanantur in via Domini. Procul à nobis hi montes; Procul nos ab iſtis montibus ſimus; quia à facie Domini ſicut cera fluent. (*Pſal. 57.*) Ad montes DEI nobis eundum, qui ſunt conſummata juſtitia: fundamenta ejus ſunt in montibus ſanctis. (*Pſal. 86.*) Altitudines montium ipſius ſunt, altitudines montium ipſe conſpicit. (*Pſalm. 94.*) Exurgamus cum Maria, cum Domina noſtra eamus ſervi, cum Matre noſtra progrediamur filii, cum Patrona noſtra aſcendamus clientes in montana juſtitiæ Divinæ, perfectionis Chriſti, Myſticæ Theologiæ, arcanæ videlicet cum DEO locutionis & converſationis. Licet obmurmuret caro, corpus quod corrumpitur, aggravet animam; (*Sap. 9.*) Exurgamus nihilominus, & ſi fragilitas nos

Montes DEI conſummata Juſtitia.

Myſtica Theologia.

à curſu revocat, ſi infirmitas ab aſcenſu retardat, macte animis ſimus: ſit A
Periculoſa ceſſatio. cordi noſtro inſculpta Melliflui Patris noſtri ſententia: In via Domini non progredi, regredi eſt. Habemus Præcurſorem noſtrum; omnia poſſumus in eo, qui nos confortat: (*Philip.* 4.) Habemus Ductricem
DEIPARÆ auxilium. Mariam, Stellam maris, quæ nos præcedit, exemplo trahit, prece fulcit, patrocinio tuetur. Sequamur Mariam, ut in monte DEI ſalvemur, (*Gen.* 19.) & requieſcamus. (*Pſalm.* 14.)

SERMO in Feſto Aſſumptionis B. Virginis MARIÆ.

Optimam partem elegit Maria. Luc. 10. B

Liberum arbitrium. MAgna res à DEO homini data liberum arbitrium P R F D, quo quidquid vellet homo, perfectâ ſibi eligeret libertate. Ante hominem vita & mors, bonum & malũ dicit Sapiens; quod placuerit ei, dabitur illi. (*Eccl.* 15.) Quis non eligat vitam pro morte, pro malo
Eligendum optimum. bonum? Sed ecce quàm inſani Filii Adæ, quòd ſint interdum mortis & mali potiùs Electores, exteriori ſpecie illecti & illaqueati. Non ſic Mater
* ſed DEI & Virgo: * optimam partem elegit. (*Luc.* 10.) Duas creavit DEUS in Orbe partes, Cœlum & terram. Et quidem Cœlum Cœli Domino; terram autem dedit Filiis hominum, (*Pſalm.* 113.) ad incolendum, non poſſidendum. In homine duas conſtituit partes; corpus & C
Unum neceſſarium. animam, ſive carnem & Spiritum. Porrò unum eſt neceſſarium, (*Luc.* 10.) Spiritu vivere & Cœlum petere. Hæ ſunt optimæ partes, quas elegit Maria Electrix Beatiſſima. In carne, non ſecundùm carnem vixit, ſed Spiritu DEO, qui Spiritus eſt, ſe conſecravit. In terra, non cum Terra conjuncta, ſed quæ ſuper terram (*Coloſſ* 3.) ambiens, in Cœlo commorata eſt. Unde etiam meritò hodie ex ſenſu Sancti Joannis Damaſceni Virgo immaculata, quæ nullis terrenis (multo minùs carnalibus) inquinata eſt affectibus, ſed Cœleſtibus educata cogitationibus, non in terram
Cœlum animatum. Imitanda B. V. reverſa eſt, ſed cùm eſſet animatum Cœlum, in Cœleſtibus Tabernaculis collocatur. Sequamur Clientes Virginem, ſervi Dominam, filii Matrem. Et quidem terram cum carne ex terra facta conculcemus. Cœlum Spiritu è Cœlis à DEO nobis inſpirato requiramus, & dicamus cum Regio Vate: unam petii à Domino, hanc requiro, ut inhabitem in Domo Domini omnibus diebus vitæ meæ (*Pſalm* 26.)
Anima quomodo cœlum? Cœlum DEI ſedes eſt, (*Iſaiæ.* 66.) ſit anima noſtra DEI ſedes, cœlum erit: adeoque ut Cœlum ad Cœlum ſpectabit. Iam verò DEI ſedes erit, ſi libera à peccato, DEUM ſolum integrâ quærat & teneat libertate. Felix Maria, in cujus tabernaculo requievit ille, qui eam creavit; non tantùm ſpiritualiter, ſed & corporaliter: Et nos quoties utroque fruimur (ſi tamen verè fruimur) Sacramentaliter illum ſuſcipiendo? ubi DEUS, ibi Cœlum; DEUM ergò habentes, Cœlum inhabitamus. Et hoc eſt unum neceſſarium; hæc optima pars, quæ à nobis minimè auferetur

A tur. (*Luc.* 10.) Licet proinde corpore in terra constituti simus, cogitatione & aviditate Spiritûs, conversatio nostra sit in Cœlis. (*Philip.* 3.) Signum perditionis est, rarò vel nunquam à terra elevari, & ad Cœlum aspirare. Signum salutis, â terra abstrahi, & Cœlum continuo cordis affectu desiderare. Fratres mei, hic exilium, ibi Patria; Non habemus hic manentem Civitatem, sed futuram inquirimus; (*Hebr.* 13.) illamCœlestem Jerusalem, visionem Pacis, quæ DEUS est. Animæ nostræ sunt filiæ Jerusalem: ergò tendant ad Matrem suam. Ipsa Mater DEI nostra Mater est; Hierusalem est, Pacis visio, in qua velut pace factus est DEI locus. (*Psalm.* 75.) Quàm gloriosa dicta sunt de

Conversatio in Cœlis.

Animæ Christiani, Filiæ Hierusalem.

B te Civitas DEI, (*Psal.* 86.) in voce exultationis & confessionis sonus epulantis. (*Psal.* 41.) Ad cœlum, quò de deserto ascendit hodie deliciis affluens (*Cant.* 8) Maria, Fratres mei, ad Cœlestem Hierusalem, ad Matrem DEI in Cœlis regnantem Cœli & terræ Reginam, ex hoc terræ deserto, corpus animale in Spirituale convertentes, optimâ parte nostri animâ, ad optimam partem DEUM felici electione festinemus, anhelemus, evolemus; ibique Mariæ vestigia amplectamur, ut ab ipsa benedici, & ad unum summum Bonum in æternum possidendum duci mereamur.

Optima pars nostri Anima, animæ Deus.

C

SERMO in Festo S. P. N. Bernardi.

Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Matt. 19.

IN derelictione omnium & sequelâ Christi, omnis perfectio & salus Christianorum sita est. P. R. F. D. Sed quotusquisque eò pervenit, ut plenè omnia derelinquat, & integrè Christum sequatur? Si quis, certè Sanctus Pater noster Bernardus culmen hoc perfectionis est consecutus ita cuncta deserens, ut nihil sibi reliquerit; ita Christum sequens, ut ipsum vitâ & moribus planè repræsentaverit. Et quidem a-

Perfectio & salus in quo sita?

Quàm perfectè secutus Christum S. Pater?

D deò se ab omnibus abstraxit iis, quæ terræ sunt, quæ mundi sunt, quæ sui ipsius sunt, ut in terra extra terram, in mundo extra mundum, in se ipso extra seipsum vixerit, terræ conculcator generosus, mundi contemptor magnificus, sui ipsius victor gloriosus. Dicere poterat DEO cum Regio Vate: Quid à Te volui super terram? (*Psal.* 72.) siquidem omnis conversatio ejus, in cælis erat. (*Philip.* 3.) Mundo fuit mortuus, pompas ejus & dignitates Episcopales aspernando per humilitatem, persecutiones superando per patientiam, divitias rejiciendo per paupertatem, propriam voluntatem abnegando per obedientiam, delicias proscribendo per mortificationem, carnem macerando per vigilias & Jejunia, voluptates proterendo per castitatem; verus in carne Angelus, quam ita Spiritui subdidit, ut Spiritu tantùm viveret, sensibus vix uteretur, nec fenestram in Noviciatu, in quo habitavit observando, nec sel-

Mundo mortuus.

 lam

lam equestrem, cui insidebat advertendo: gustu in cibis deperdito, A
oleo etiam, loco potionis sumpto, summâ victûs parsimoniâ & vilitate utendo, qui fami arcendæ & vitæ tantùm sufficeret sustentandæ; unde etiam varias contraxerat infirmitates. Hinc Cænobia Ordinis in vallibus humiditate refertis volebat extrui dicens; Monachis magìs infirmitatem corporis competere, quàm sanitatem. Quidni omnia deseruit, qui sic à terra, à mundo, à seipso abstractus, nulli planè cum S. Legisductore nostro animum dedit voluptati. In Christi autem imitatione ita se gessit, ut tam verbo, quàm exemplo, & domi & foris præluxerit universis. Mellita ipsius eloquia imò dulciora super mel & favum, (*Psal.* 18.) tot Scripta ejus manifestant, ita ut juremerito
Mellifluus Doctor nuncupetur. Prædicationes ejus, labores pro Ecclesia DEI, sollicitudines pro augmento S. Ordinis quis edisseret? Loquitur hæc omnia sat superque Vita ipsius Christiformis. Et nos quid Fratres mei? Sumusne jam in progressu eorum, quæ derelictionem omnium & Christi imitationem præseferunt, an hæremus in limine? Væ Nobis, si Pater Sanctus Nos filios repererit degeneres! Sed quid dico? Væ mihi Sancte Pater, qui procul à vestigiis tuis dissitus sum, ne dicam alienus! Væ mihi, qui nomen & officium Abbatis tecum gero, sed rem & Statum perfectionis Abbatialis minimè præmefero! Imperfectum meum viderunt oculi tui (*Psal.* 138.): Sed Tu precibus tuis sanctis perfice C
gressus meos in semitis tuis (*Psal*: 16.) Adsis toti Ecclesiæ, quam hìc doctrinâ & miraculis, sed magìs vitâ exemplari sustentâsti. Sigillatim Sancte Pater Bernarde Tuus Cistercius Ordo, Tua Oliva Tibi dedicata, Te rogat afflictis, quam potes, affer opem. Perfice in Nobis pium Religionis affectum, & comple effectum. Lacte Mariæ, quod suxisti, cruore JESU, quo pastus es, ablue, si quid in Ordine tuo est coinquinatum; Nosque ad pristinum fervorem revoca & antiquæ restitue observantiæ, ut Tuo exemplo omnia derelinquentes, ac Christum sequentes, & hìc Centuplum mereamur accipere, & ibi tecum vitam æternam
possidere (*Matth.* 19.) Fiat, ô utinam! fiat. D

Infirmitas corporis sanitas mentis.

Melliflui nomen.

Vita Christiformis.

Ad S. P. peroratio.

Sermo in Dedicatione Ecclesiæ Olivensis.

Hodie in Domo tua oportet me manere. Lucæ 19.

Magnus Dominus.

DEUS, cujus locus, immensitas; cujus tempus, æternitas, qui de se publicat: cælum & terram ego impleo; (*Jerem.* 23.) quem tamen cæli cælorum capere non possunt (2. *Paralip.* 6.) multo minùs terra; Nihilominus de cælo eloquitur: mea Sedes est, & de terra; scabellum pedum meorum. (*Isaiæ.* 66.) Hic ille DEUS immensus, æternus, dicit Zachæo id est Hebraicè Homini, puro, nitido, & Syriacè justo, justificato: Hodie in Domo tua oportet me manere; (*Luc.* 19.) hoc

Zachæus quid?

est

A eſt, quod alibi exprimit: Habitabo in vobis, habitabo in medio veſtri. (*Exodi.* 25.) Magna bonitas, magna dignatio Majeſtatis. Quid eſt homo, quòd memor es ejus? (*Pſalm.* 8.) Dominus ſine tempore, dicit hodie; ſine loco, in Domo Tua; qui nullius habet indigentiam, oportet me manere. (*Luc.* 19.) Fratres Dilect. Et quæ eſt Domus noſtra, quam inhabitat DEUS, niſi nos ipſi? Templum DEI ſanctum eſt, quod eſtis vos, docet Apoſtolus. (1. *Corinth.* 3.) Dominus in Templo ſancto ſuo, (*Pſalm.* 10.) Dominus Emmanuel, nobiſcum DEUS (*Matth.* 1.) Neque enim in manufactis habitat, neque cura DEO de muris. Sed quis condignam DEO in ſe poterit exſtruere manſionem? Ipſe Dominus faciat hoc, ipſe ſibi Domum in nobis ædificet.

Domus & Templū DEI ſumus.

B Templum enim Domini, DEI cultura eſt; DEI ædificatio eſt: ſine ipſo nihil poſſumus facere, (*Joan.* 15.) imò omnis ſufficientia noſtra ex ipſo eſt. (2. *Corinth.* 3.) Qualem tamen putamus à nobis DEUS requirit domum? Dicam breviter, quantum ipſe Dominus conceſſerit. A fundamentis incipiendum eſt. Cogitas magnam fabricam conſtruere celſitudinis (monet magnus Eccleſiæ Doctor Auguſt.) de fundamento priùs cogita humilitatis. Fundamentum ergò humilitas eſt. Fruſtra laboramus Fratres mei in ædificio DEI, ſi baſim ejus in vera humilitate non radicamus. Quò hæc profundior, eò altior domus: qui enim ſe humiliat, exaltabitur. (*Matth.* 23.)

Nil ſinè Deo.

Fundamentum Humilitas.

C Jam quod eſt faſtigium conſtruendæ fabricæ, quam molimur? interrogat idem Sol Doctorum & reſpondet. Citò dico uſque ad conſpectum DEI. Altitudo igitur Domus DEI & finis ædificii, eſt videre DEUM. Id antequam fiat, extruamus turrim contemplationis DEI, ut tanquam ex ſpecula DEI magnitudinem ſpeculemur. Ibi Campanæ ſonant Divinarum inſpirationum, Cæleſtium influentiarum reſonant melodiæ. Quàm ſuavis harmonia DEI loquentis, & audientis hominis. Hìc vigilantiâ noſtrâ opus eſt, ut audiamus, quid loquatur in nobis Dominus. (*Pſalm.* 84.) Jam verò latera & parietes domûs hujus ordinat

Faſtigium Viſio D.

Contemplatio.

Campanæ & Muſica Inſpirationes D.

Parietes 4. Virtutes Cardinales.

D prudentia, regulat juſtitia, nectit temperantia, firmat & ſolidat fortitudo: cardinales utique virtutes in quadro Domum DEI extruentes. Altare tenet cor, in quo ignis amoris Divini, ut ſemper ardeat, neceſſe eſt. Chorum conſervant pietas & devotio: Oratio & meditatio: Lectio & prædicatio verbi Divini alternant concentum Divinæ laudis, Deoque canunt gloriam. Jam dedicatio domûs hujus, quam amor proximi compaginat, facta eſt primò in Baptiſmo, ubi per fidem DEUM in nobis inhabitantem (*Epheſ.* 3.) habuimus. Facta iterum per nos, quando in Ordine Sacro Ciſtercienſi, in hoc loco, qui dicitur Oliva, per Profeſſionem Religionis Sanctæ nos DEO dedicavimus. Terra in qua ſtamus, locus ſanctus eſt; (*Exodi* 3.) Terra Sanctorum eſt: videte, ne quis iniqua gerat, adeoque, quod abſit, non mereatur videre gloriam Domini; Quod ſi tamen contingat infici domum hanc noſtram

Altare Cor. Chorus, Oratio, Meditatio, Lectio, Prædicatio.

Dedicatio in Baptiſmo Fidei & Ordinis.

Stabilitas.

* *Iſa.* 26.

Scopa Pœnitentiæ.

ſtram aliquo pulvere humanæ fragilitatis, adſit ocyùs ſcopa confeſſionis ad expurgandum: adſit baptiſmus pænitentiæ ad abluendum & mundandum hoc DEI templum. Venit mundus quandoq;, & appetit domum noſtram inhabitare per vanitatem; venit caro, ut commoretur

Nolite locum dare diabolo &c.

per voluptatem; venit diabolus, ut poſſideat per malitiam. Claudantur fores P. R. F. D. ne hi peſſimi hoſpites ad nos, multominùs in nos veniant. Sed quis erit Portarius? quis erit Sacriſta? nullus, niſi

Sacriſta Timor DEI.

Timor DEI; hic eſt, qui expellit peccatum, (*Eccl.* 1.) hic eſt, qui non admittit iniquitatem. Foris canes murmurationum, invidiarum,

Foris Canes tropol.

Cavenda profanatio.

Frenum Concupiſcentiæ Timor DEI.

Sepulchrum Vitiorum.

diſſenſionum. Profanatur autem templum DEI ſangvine & ſemine; hunc ciet ira; iſtud voluptas; potentiæ duæ dominantes in nobis iraſcibilis & concupiſcibilis. Iſtas in freno tenere debet bonus Sacriſta Timor DEI. Ante omnia autem abſtineamus ab operibus mortuis peccatorum, vitiorum, pravorum habituum. Si qui ſunt, ſepeliantur in pulvere contritionis, in cinere humiliationis ſui, imò lapide mortificationis opprimantur, ut ſimus Zachæi, puri, nitidi, juſti; juſtificati. Et ſic conſurget domus DEI in nobis benè fundata ſupra petram Chriſtum, (*Matth.* 7.) in meritis ejus; benè firmata per gratiam Spiritûs

Sacrificia virtutum.

ſancti. Hic variæ virtutes ſua offerant ſacrificia: thymiama obedientiæ, cynnamomum paupertatis, balſamum miſericordiæ, myrrha jejuniorum, flores roſarum & liliorum in puritate & caſtitate cum holo-

Holocauſtum Amoris D.

cauſto amoris Divini ſuper altare cordis Domino offerantur in odorem ſuavitatis, (*Exod.* 29.) ut odoratus Dominus (*Gen.* 8.) benedicat nobis & perficiat in nobis, quæ operatur. Niſi enim Dominus ædificaverit domum, invanùm laboraverunt, qui ædificant eam. (*Pſal.* 126.) Invocemus igitur ipſum orantes ſemper. (*Coloſ.* 1.) Tu Domine

Oratio pro Domo DEI.

univerſorum, qui nullius habes indigentiam, (*Luc.* 18.) voluiſti templum tuum fieri in nobis, conſerva domum iſtam immaculatam & impollutam (*Mach.* 14.) in æternum.

Sermo in Feſto Omnium Sanctorum.

Filij Sanctorũ Religioſi.

SI unquam, certè hodie Sanctificamini, (*Joſuæ* 3.) ante omnia Filii Iſrael ad ſolennia omnium Sanctorum condignè celebranda. Filii Iſrael dico, Filii videntium DEUM, filii Sanctorum. (*Tob.* 2 & 8.) Nos intelligo Fratres mei; qui & in vocatione ſancta (2. *Timoth.* 1.) ſumus, & in terra Sanctorum habitamus; quia locus, in quo ſtamus

Ordo ſingulariter Sacer.

terra ſancta eſt, (*Iſaiæ.* 26.) & in Sacro Ordine præter alios Ordines ita ſingulariter nominato, DEO nos per ſanctam Profeſſionem conſecravimus; obligati tanquam filii Sanctorum, (*Tob.* 8.) Patrum noſtrorum veſtigia imitari. Ita ſanè, & ſanctificati, & ſancti eſſe debemus: ſi nunc memoriâ, poſtea conſortio Sanctorum volumus delectari. Neque enim laudare poſſumus, quos non imitamur, neque nos degeneres

* ipſi

A generes aut difformes audire, imò nec aspicere dignabuntur. Unde non arbitremur nos venturos in numerum Sanctorum, adeoque nos sanctos in cælo futuros, si non priùs hic in terra sancti esse adnitamur, si non serviverimus DEO, quemadmodum ipsi, in sanctitate & justitia coram ipso omnibus diebus vitæ nostræ. (*Luc.* 1.) Nemo quidem ante funera dici potest beatus vel sanctus: Nemo tamen, ibi æternâ cum Sanctis DEI in gloria numerabitur, qui non voluerit per vitæ conformitatem hic communione Sanctorum, imò sanctitatis ipsorum imitatione gaudere. Neque, quòd absit, fictam aut apparentem præ nobis ferre debemus sanctitatem; Sed tenemur servire DEO in veritate sanctitatis.

Sanctitas in terris inchoanda.

Vera Sactitas.

B Incumbit ergò nobis hæc necessitas, ut sanctificemur & sancti simus. Ita imperat DEUS, se ipsum statuens in stimulum & exemplum: Sancti estote, quia ego Sanctus sum Dominus DEUS vester (*Levit.* 11. & 19.) Id requirit sigillatim in Sacerdotibus & Levitis, quorũ officia exercemus. Illis dictum est: Sacerdotes Domini incensum & panes offerent DEO, & ideò sancti erunt DEO suo, & non polluent nomen ejus. (*Levit.* 21.) Istis convenit, ut sanctificentur qui portant vasa Domini. Sed quod si nos ipsi simus vasa sanctificationis? Utique: imò ipsum Templum DEI sanctum, (1. *Cor.* 3.) quod sumus nos. Qui hoc violaverit aut profanaverit per peccatum, disperdet illum DEUS. (*Ibidem.*)

Sacerdotes DEI.

Templum D. Spirituale.

C Videte igitur vocationem vestram Fratres mei, (1. *Cor.* 1.) quia non vocavit nos DEUS in immunditiam, sed in sanctificationem. (1. *Tess.* 4.) Considerate obligationem vestram, statum vestrum perpendite, quia estis Cives Sanctorum & domestici DEI. (*Ephes.* 2.) Elegit enim nos DEUS, ut simus sancti & immaculati in conspectu ejus (*Ephes.* 1.) in charitate. Ibi abest macula, ubi adest charitas non ficta, (2. *Cor.* 6.) ibi non est sanctitas, ubi regnant murmura, odia, invidiæ, detractiones, contentiones, simulationes: ubi reperitur superbia, præsumptio, gula, acedia, negligentia, dissolutio, ibi exulat sanctitas. Fornicatio autem & omnis immunditia, (*Ephes.* 5.) avertat DEUS! nec nominetur in nobis, sicut decet Sanctos DEI, (*Ibidem.*) turpitudo aut stultiloquium,

Sanctitas Puritas.

Cives Sanctorum Monachi.

Charitas non ficta.

Quid dedecet Sanctos?

D aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet. Ista enim non habent hæreditatem in Regno Christi & DEI. (*Ibidem.*) Sed magis gratiarum-actio, quæ etiam maximè in cælis decantatur. In omnibus monet Apostolus, in omnibus bonis & malis, prosperis & adversis, gratis & ingratis, gratias agite (1. *Tess.* 5.) & ibi est sanctitas. Invanùm laboramus Fratres mei, si non habuerimus verum & constantem sanctitatis zelum, nil nobis proderunt jejunia, orationes, eleemosynæ, vigiliæ, mortificationes, & his similia, si non fuerint veræ sanctitatis zelo condita; Vera sanctitas est diligere DEUM, diligere proximum sicut se ipsum, (*Math.* 5.) diligentibus autem DEUM omnia cooperantur in bonum. (*Rom.* 8.) Notate Omnia, etiam adiaphora id est indifferentia, prout sunt omnes actus humani naturales. Sed quibus omnia in bonum co-

Gratiarũ actio.

Opera extrà sanctificantem Gratiam mortua.

Sanctitas Charitas.

Adiaphora.

Secundũ propositum Sãcti.

Non dormientibus Regnum DEI.

Certandum legitimè.

operantur? His, qui secundùm propositum vocati sunt sancti. (*Ibid.*) Et tales nos esse debemus secundùm propositum in continua intentione, in perpetua executione, cum ardentissima intensione, cum amplissima extensione, ad omnia opera sanctitatis. Jam conspicite illos Triumphatores & Amicos Dei (2.*Timoth*.2.) in cælis, reperietisne unum ex ipsis coronatum, qui non legitimè certaverit? (2.*Tim*.4.) Nullum equidem. Bonum certamen certanti, cursum consumanti, vincenti datur corona (*Apoc*. 2.) Nonne Sancti per fidem vicerunt regna, adepti sunt repromissiones. (*Heb*. 11.) Quare? fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum (*Ibidem.*) afflicti, angustiati, quia per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei. (*Actor*. 14.) Nonne ipsum Regem gloriæ oportuit pati & ita intrare in gloriam suam? (*Luc*. 24.). Christo passo in carne & nos eadem cogitatione armemur. (1. *Pet*. 4.).

Arcta via Pænitentiæ, Abnegatiõis, Crucis ad mortem.

Levate iterum oculos vestros in montes; estne aliquis ibi, qui non per viam arctam pænitentiæ & angustam portam abnegationis sui ipsius, per gestationem Crucis usque ad mortem, Christum Sanctum Sanctorum (*Daniel*. 9.) Ducem, Authorem & fontem omnis sanctitatis fuisset secutus? Nemo sanè. Veneruntne aliqui in censum Sanctorum acediosi, otiosi, murmuriosi, detractores, contentiosi, scandalosi, de se ipsis præsumentes, æstimantes se aliquid esse, cùm nihil sint, (*Galat*. 6.) disciplinæ Regularis infractores, observantiæ destructores, votorum suorum desertores, mali exempli antesignani? Absit hæc cogitare. Non intrabit in illam Civitatem Dei, Civitatem Sanctorum aliquid coinquinatum, (*Apoc*. 21.) aut abominationem faciens vel mendacium. Hæc igitur velut in speculo considerate & vitam vestram, juxta vitam Sanctorum conformate. Vultis scire, quis ascendet in montem Domini, (*Psalm*. 23.) montem sanctum, (*Psalm*. 2. & 42.) aut quis habitabit in loco sancto ejus? (*Ibidem.*) Respondet Propheta: Innocens manibus, nîl habens proprium, nîl faciens sine scitu Superiorum; En paupertas. Mundo corde, qui est absque peccato; En castitas; Qui non accepit in vano animam suam, (*Ibid.*) qui vanitatem mundi haud sectatur; En contemptus mundi. Nec juravit in dolo proximo suo (*Ibidem.*) En charitas, en obedientia. Et hæc sunt vota, quæ distinxerunt labia nostra (*Psalm*. 65.) Hæc est sors Sanctorum. Hæc est generatio quærentium Dominum (*Psalm*. 23.) Hæc sunt media, quæ nos recto tramite Sanctorum perducent in Sancta Sanctorum (3. *Reg*. 6.) Ubi sicut hìc sanctificamus Nomen DEI, sic ibi cum omnibus Sanctis, sanctum, & terribile nomen ejus (*Psalm*. 110.) decantabimus cum Seraphinis clamantes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS Sabaoth (*Isaiæ* 6.) id est exercituum; DEUS videlicet omnium Sanctorum, qui hìc prælia Domini præliati sunt (*Reg*. 25.) in militante Ecclesiâ generosè, nunc in Triumphante regnant cum DEO gloriosè.

Nihil coinquinatum intrabit in R. C.

Quis ascendet in mõtem D.?

Paupertas. Castitas. Contẽptus Mundi. Charitas. Obedientia.

Sors Sanctorũ.

D. DEUS Exercituũ Militãtis & Triumphantis Ecclesiæ.

SERMO-

SERMONES DIVERSI,

In diversis Occurrentiis habiti.

Gratulatio à Conventu dicta, P. ac R. D. M. A. H. in Possessione Abbatiæ Olivensis.

A POstquam pallida Mors Loknicianæ Arboris matura perennitati meritorum germina funestâ demessuit falce, obmutuerunt vivæ eloquentium Oraculorum voces, siluêre animata apprecantium suffragia, & alto taciturnitatis omnium ora contegebantur supercilio, dum

Christophorus Loknicki hujus Stemmatis Abbas antecessor, Autoris.

B feralis Catastrophe finem dicendi imposuit. Verùm hodiernæ lætitiæ dies ab Altis obtutui nostro affulsit, in quâ orba & mærens Oliva meliori non potuit funerales detergere lachrymas solatio, quàm dum Te Neo-Præsul ad suos felicibus alis evectum fasces supplici poplite veneratur. Læta & fausta dies, plena jucunditatis & exultationis, quâ sepulchrali è pulvere redivivis linguis nostris in faustissimos perennaturæ felicitatis plausus animatâ facundiâ prorumpere, & circumscriptâ verborum planitie incurrentibus in oculos nostros summæ prudentiæ Tuæ radiis honorem adferre licet; quâ candidissimæ Asceterii nostri Coronæ, Præsuleæ Tiaræ Tuæ, Religiosæ observantiæ, & subjectionis

De successore lætitia Olivæ.

C propensæ deponi fecisti argumentum; quâ genuinâ gestientis animi tesserâ lætitiam intùs diffusam depromens, Te solatiorum suorum metam, honorum decus, Olivæ delicias in optatissimo recuperatæ valetudinis accessu hodiernum inthronisationis Tuæ cum plenaria Præsuleæ dignitatis potestate diem fortunatis attigisse liminibus lætatur. Ademisti P. ac R. Domine hâc cunctorum votis desideratissimâ successione, quidquid squallidus mæror induxerat: abundè nobis reponit hæc præeminentiæ Tuæ accessio, quotquot parcere nescia crudelior Parca, Lokniciano vehementiùs colliso stipite sangvineâ diripuit manu fructus honoris & dignitatis. Aureos inquam nobis post letalem Eclypsim fulgere fecisti

D soles, aureæ reduxisti post feralem tempestatem malaciæ roseum splendorem, pulchrum subacto mærore & propulsatis afflictionum ac dolorum tenebris è præfulgida Inauguratione Tua oriri sentimus lumen solatiis instructum universis. Ipsi sacratiores hi parietes Divorumque Aræ (si fari illis per naturam liceret) beatiorem se se fortunam nactas hodie profiterentur. Et quidni profiteantur? Eum quippe Te Præsulem, eum Antistitem, eum suspiciunt Gubernatorem, qui pulcherrimo virtutum splendore, sapientiæ non emorituro fulgore, Sarmatiæ nostræ limites supergressus, exteris quoque Provinciis abundè illuxisti, cujus intaminatus Angelicæ puritatis amor, cujus pietas perpetuis in Superos devota obsequiis, humanissima ergà omnes benevolentia, reliquorumque meritorum decore tota fulgens vita, & emerita virtus his dudùm aptavit honoribus: Non enim per patrimonii ruinas, aut empti

Virtus & Peritia.

Introitus per Ostium.

pti ſuffragii favores ad apicem Abbatialis honoris conſcendiſti; ſed virtute & ſapientiâ progreſſus es; non ambitio extorſit, non largitio redemit, ſed virtus detulit, meritum occupavit. Nulla hìc amicorum potentia, nullæ opes; Sapientia Tua, virtus Te Tua extulit, eademque tuetur, & clarum in magnis Præſulibus nomen dabit, neque ulla tam ingrata poſteritas illuſtria Tua obtenebrabit virtutum facinora. Nunquam diu latuit virtus; ſurrexit preſſa, & quo calcata magis, hoc ſe extulit magis. Sit palma gravata creſcit; ſit unguenta calcatu & frictu latentem ſpargunt naribus odorem. Jam auguſtiſſimas Imperatorum, Regum, Principumque Aulas rutilanti doctrinâ, profundiſſimo Judicio, altiſſimis conſiliis, Chryſippeo ingenio, ſublimi acumine, cui nihil non pervium; Tullianâ, cui inacceſſum nihil, impleviſti facundiâ. Copioſam Tuam egregiè loquendi Svadam & pulcherrimam perſvadendi ubertatem ex publicis ampliſſimi Regni noſtri Legationibus, decorè & fructuosè functis, diſertiſſimus ſæpè admiratus eſt Senatus, magnâ nominis & opinionis Tuæ famâ. Viget vigebitque honos, nomenque Tuum in non emoriturum ætatem, dum uni Tibi virtutibus clariſſimo, & ea, quæ fuerunt, vixêre Sæcula, & ſecutura vivent: dumque metalla liquantur, atteruntur marmora, atque edaci invidiâ temporis, ubi ſemel arriſêre oculo, ſolvuntur arcus, corruunt moles, atque Pyramides ipſæ ſepulchrales funerante tempore in ſeipſis tumulantur. Sola Virtutis & Sapientiæ tempora finem neſciunt, quæ pignora ſunt æternitatis, robuſtiora metallis & lapidibus conſtantiusque cum ævo luctantia. Quidquid agit virtus, Sapientia quidquid ſcribit, totum tholo figitur in templo perennitatis. Non ingredior altiùs virtutum Tuarum campum, ne Dædaleo incluſus labyrintho, nequidquam exitum quæram Theſei deſtitutus filamento. Aſt neque encomia fers, ſed vis amari. Non enim ignoro tantum in Olivam noſtram imò Tuam, amorem Tuum, quantus aſſurgenti cuique ſpei ad altiores paſſus erigendæ abundè ſuffecerit: nullæ plantulæ tot argumentis ſuâ proſperitatem radianti attribuunt Phæbo: quot experimentis Oliva noſtra indefeſſos Tuæ quotidie ediſcit liberalitatis influxus; hos vel elingves ipſæ beneficâ â Te erectæ ac fundatæ manu loqvuntur literæ, quarum mutæ Antagoniſtas Tuos obmuteſcere, & digito compeſcere labella fecerunt, liquidæ in primo Electionis Tuæ apparatu, virtutum bene-geſtorumque Tuorum liquorem ſpargentes, ſicut cinnamomum & Balſamum aromatizans ſuavitatis odorem dederunt, qui tamen æmulorum naribus malâ Diphthongorum conglutinatione infectis, odor gravis erat. Vocales vota omnium gratuita, voce vivâ, vivaci eloquentiâ, vocali Jo vivat! plauſu receperunt & ſono. Conſonantes, cunctos certatim conſonantibus votis, vocibus unitis, junctis calculis, datis dextris in liberrimam digniſſimæ Perſonæ Tuæ Electionem conſonare & convenire, ac mira quadam ſocietate conſpirare fecerunt.

Virtuti nihil invium.

Virtutis & Sapientiæ immortalitas.

Labyrinthus.

Olivenſis Typographiæ fundatio.

Allegoria Panegyrica.

A B C D

Juvat

A Juvat igitur Te P. & R. D. ad ampliſſimum Abbatialis Præeminentiæ faſtigium generoſo paſſu præeuntem, plauſu, gratulatione, obſequiis, & votis ſequi. Juvat inter præconcepta gaudia illud apprecari, ut perſonam tantam decorè ſuſtineas ex gloria D E I, famâ Tuâ, Sacri Ordinis incremento, uſu omnium: virtuteque, Sapientiâ, & meritis partam poteſtatem, non aliter exerceas, quàm adeptus es. Juvat unicum illud omnium ore ac votis adnectere, ut addant Tibi annos Superi usque dum impleas factis æternitatis faſtos; dumque interea Amplitudini Tuæ obſequentiſſimi ad nutum Filii longævos apprecamur ſoles; Tu P. & R. Pater lucem nobis aſpira, quâ nobis ac publicæ B ſaluti, præconceptæque lætitiæ noſtræ & expectationi præbeas incrementum.

Ratio Regiminis.

Apprecatio.

Reſponſum P. & R. D. Abbatis ad præfatam Gratulationem extemporale.

LAudes & encomia, quibus me afficitis P. R. F. D. verecundâ excipio facie, tantis laudibus imparem & tot encomiis inferiorem me agnoſcens. Votis autem veſtris reciproca repono vota, ea omnia, quæ mihi vovetis, mutuâ exoptans viciſſitudine. Porrò congra-C tulationem ſolennem, quam mihi Paternitates & Fraternitates veſtræ filiali exhibent animo, paterno complector affectu: ſed ad hunc Statum meum neſcio, an congratulatione, num ſatiùs compaſſione opus ſit: Quid enim? An Status Abbatialis tanquam Dignitas Eccleſiaſtica duntaxat eſt conſiderandus? Num in eo ratio magnorum proventuum tantummodò ſuſpicienda? qui tamen tanquam ſubſtantia Spiritualium Bonorum ſeu veluti vaſa Altaris reſpiciendi, nec in vanitates & pompas, quibus in ipſo Baptiſmate abrenuntiavimus, ſed in veras neceſſitates diſpenſandi? Acceſſoria hæc tantùm ſunt & exteriora: Principale Status Abbatialis, quod ego perpendo, eſt onus ingens regendarum animarum D ipſis Angelicis humeris formidandum teſte Mellifluo Patre & Doctore. Sic Legislator me adhortatur: Abbas cogitet ſemper, quale onus ſuſcepit, & cui redditurus eſt rationem villicationis ſuæ, idque in diſtricto DEI judicio. Hoc onus mihi incumbit, animum meum premit, gravem mihi parit ſollicitudinem, unde mihi magìs compatiendum eſſe arbitrarer. Sed quia ſic Divinæ voluntatis diſpenſatione accidit, ut in me hæc oneris moles cum ſtatu Abbatiali derivaretur, veſtro me in hoc Patres & Fratres Reverendi adiutorio fateor indigere. Vos poteſtis mihi pondus hoc veſtra promptitudine & devotione alleviare, quam dum à vobis imploro, ſimul ac orationum veſtrarum inſtantiam depoſco. Me poſtremò veſtris dedico ſervitiis; Veni enim (liceat mihi verbis Divinæ Sapientiæ uti; (*Matth.* 20.) non miniſtrari, ſed miniſtrare.

Modeſtia.

Status Abbatialis Temporale.

Principale Regimen animarũ difficile.

Promptitudo & Devotio ſubditorũ facit onus leve.

Exhortatio ad Inchoationem Studiorum Theologicorum Olivæ 2. Januarii. Anno 1684. A

Philosophiæ cursus.

HActenus P. R. ac F. D. Spinas Logicorum discursuum absque vulnere pertractâstis, & ratiocinationibus Physicis amplissima cælorum terrarumque spatia emensi totum mundum disputationi humanæ traditum percurristis, ac demùm in Spatia imaginaria Metaphysicarum abstractionum absque errore excurristis.

Theologiæ culmen.

Jam nunc ex inferioribus Philosophiæ vallibus ad altiora & sublimiora studiorũ Theologicorum cacumina progredimini, quæ solis Divinæ Revelationis fundamentis innituntur. Tribus viis datur nobis aditus juxta S. Patrem nostrum Doctorem testimonio Ecclesiæ egregium, verè verbo vitæ laureatum, aditus inquam investigandi & perveniendi ad arduum verticem Theologiæ, quæ (interprete Divo Augustino Theologorum Sole) est Sermo de DEO, estque non tam exterior oris locutio, quàm interior mentis consideratio. B

Theologiæ etymon.

Viæ ad Theologiam.

Viæ istæ sunt Intellectus, Fides, Opinio; Intellectus rationi innititur; Fides authoritate fundatur; Opinio verisimilitudine se tuetur. Intellectus est rei cujuscunque invisibilis, certa & manifesta notitia. Fides est voluntaria quædam certa prælibatio necdum propalatæ veritatis. Opinio est quasi pro vero habere aliquid, quod falsum esse nescias.

Opinio non asserat.

Fides non hæsitet.

Intellectus nõ scrutetur Majestatem.

Igitur opinio, si habet assertionem, temeraria est; Fides, si habet hæsitationem, infirma est; Intellectus si signata fidei tentet irrumpere, reputatur effractor, scrutator Majestatis. C Hæc & his similia Mellifluus Pater noster in libro suo de Consideratione dilucidè distingvit.

Vitanda Confusio.

Hic providendum, ne viæ istæ inter se se confundantur, & Opinio velit esse Fides vel Intellectus; Fides in Opinionem vel Intellectum desciscat: Intellectus in ambiguum Opinionis vel Fidei obscurum declinet.

Felix Lacki p. m & Prior Olivæ & Magister.

Sed in his omnibus viarum Labyrinthis bonum Manuductorem nacti estis R. P. Felicem, & vos hoc Instructore ac Professore futuri felices. Nihil proinde mihi restat, nisi animare vos ad cursum, & calcaria addere currentibus. D

Domina & Dominus Scientiarum.

Eja agite Theologiæ Candidati; Ancillæ scientiarum hactenus pedissequi, nunc Dominæ cultores, cùm ipse DEUS, qui est Objectum Theologiæ, scientiarum sit Dominus, (1. *Reg.* 2.) audite sæpiùs nominatum Patrem nostrum lacte virginali, & melle sangvineo respersum:

S. P. Bernardi sensus de sciẽ. literar.

non contemnendam aut negligendam esse scientiam literarum, quæ ornat animam, erudit eam, & facit, ut & alios possit erudire. Non ignoro, inquit, S. Pater, quantum Ecclesiæ profuerunt & prosint literati sui, sive ad repellendos eos, qui ex adverso sunt, sive ad simplices instruendos. Denique legi: Quia tu repulisti scientiam, repellam & ego te, ut non fungaris mihi sacerdotio. (*Oseæ.* 4.) Et qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiunt multos quasi stellæ in perpetuas æternitates. (*Dan.* 12.) Hæc S. Pater. Sic tamen huic Scientiæ speculativæ, Theolo-

A Theologiæ Scholasticæ incumbite, ut practicam scientiam Theologiæ Mysticæ minimè negligatis. Illa in Paradiso Theologico est lignum scientiæ boni & mali; hæc verò est arbor vitæ; Illa intellectum erudiet, hæc inflammabit voluntatem; illa prælucebit ad Deum, hæc ducet. Sic ergò de DEO loquimini, ut & Deum vobis loquentem audiatis, illucque demùm, ubi erunt omnes docibiles DEI (*Joan.* 6.) perveniatis.

Scholasticæ Theol. jungenda Mystica.

Sermo ad Inchoationem Mysticæ Theologiæ doceri captæ post Pascha cum Explicatione Regulæ.

B AUscultа ô Fili præcepta Magistri, loquitur piissimus Pater & Patriarcha noster Benedictus Regulæ suæ jaciens primordia, juxta quam vitam nostram nos, qui hanc Regulam professi sumus, tenemur regulare. Ad initium mox Auditorem postulat Prædicator noster, ac ideò præcipit auscultare: Et quidem si fides, sine qua impossibile est placere DEO, (*Heb.* 11.) est ex auditu, (*Rom.* 10.) non minùs fidei operatio, quæ est Mystica Theologia, promptum requirit Auditorem. Hujus fundationem proponit nobis Legislator noster in Regula sancta, quæ nihil aliud est, præterquam Mysticæ Theologiæ compendium. Quid enim Mystica Theologia præsefert, nisi annihilationem sui per humilitatem, stabilimentum sui in portatione Crucis & imitatione Christi, per obedientiam, paupertatem, patientiam, suique veram abnegationem; conservationem sui per cordis & corporis puritatem in castitate: denique animationem sui ac perfectionem per charitatem DEI & proximi? Ecquid magìs nobis Regula sancti Patris inculcat, quàm hasce verè Theologicas, verè Divinas virtutes? quarum una, basis est, nimirum humilitas, aliæ latera ædificii vitæ nostræ, ut pote obedientia, paupertas, patientia, abnegatio sui; tertiò puritas mentis & corporis medium est gratiæ Divinæ consequendæ, quæ velut lumen est, Structuram nostram illuminans: Quartò demùm supremus apex & culmen virtutum charitas, per quam ad ipsum Deum, qui etiam charitas est (*Joan.* 4.) vita nostra exaltatur. Ad hæc autem percipienda & intelligenda nonne aures requiruntur? inde, ubi supremus omnium Magister Christus summa docuit, prout de auditione Verbi Divini, de castitate, de violentia Regni cœlorum facienda, de extremo Judicio, pæna inferni, & gloria cælesti clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat (*Marci.* 4.) Sunt quidem omnes aures aptæ ad audiendum, sed non omnes aures sunt audiendi, id est obediendi. Felix homo, qui cum Samuele dicere potest: Loquere Domine, quia audit servus tuus. (1. *Reg.* 3.) Beata anima, quæ cum Regio Vate prompta est in audiendo inquiens: Audiam, quid loquatur in me Dominus DEUS, (*Psal.* 84.) ubi nempe loquens ad Cor DEUS, loquitur Mystica id est arcana Theologiæ suæ: Theologiæ inquam, quæ est Sermo de DEO & rebus

Regula S. Mysticæ Theologiæ compendium.

Ædificium Mysticũ Virtutum præcipuarum.

Aures audiendi.

Mystica quid?

Simon Petrus quidē

Divinis. Hic requiritur Simon Petrus id eſt obediens & conſtans: requiritur & Paulus inquirens; Domine quid me vis facere? (*Act.* 9.) Lumina Eccleſiæ præluceant initiis auſcultationum noſtrarum. Auſcultemus igitur attentè Filii Patrem, diſcipuli Magiſtrum S. P. N. Benedictum, quidquid benedicto ſermone oris ſui nobis per modum præceptorum proponit, adeòque ſi vocem ejus hodie audierimus, id eſt quotidie, non obduremus corda noſtra (*Pſal.* 94.) ſed apertis auribus & cordibus excipiamus ea, quæ nos per obedientiæ viam ad terminum ſalutis noſtræ DEUM ipſum ducunt, à quo per inobedientiæ abrupta, & originaliter & actualiter receſſeramus: ut tandem ibi ipſum videre & audire mereamur, ubi omnes erunt DEI docibiles (*Joan.* 6.) non tantùm Myſtici Theologi, ſed etiam Theophanes & Theophili.

A

B

Exhortatio ſive Sermo ſuper obitu P. Benedicti Excitatoris Monaſterii & præparatione ad reviſionem Canonicam CORPORIS. R. D. Adami Trebnic Abbatis Olivenſis & Vicarii Generalis per Poloniam & Pruſſiam Anno 1630. 14. Auguſti defuncti, reperti incorrupti Anno 1684. in Auguſto.

Excitator Mors.

HOra eſt jam nos de ſomno ſurgere (*Rom.* 13.) inclamat Apoſtolus; excitat nos recenter defunctus Frater noſter Pater Benedictus à multis annis uſque ad finem vitæ ſuæ Excitator noſter, cujus anima requieſcat in pace. Ita ſanè hora eſt, & planè omni momento nos admonens hora illius horæ, quam neſcimus, & quam non putamus, & quæ ſicut fur de nocte ita veniet, (1 *Theſſ.* 5.) id eſt inſtantaneè, repentinè, inſperatè. O nos felices! ſi omni horâ horæ hujus memoriam recentem habuerimus, imò quia nobis in hanc horam certò & infallibiliter veniendum eſt; ad eandem, à qua tota pendet æternitas vel beata vel damnata, nos præparaverimus. Ac ideò de ſomno nobis ſurgendum eſt, de ſomno incogitantiæ, de ſomno negligentiæ, de ſomno torporis & teporis. Sed & ipſa vita noſtra quid niſi ſomnium avolans (*Job.* 20.) breve & illuſorium; ludens planè velut in ſcena & deludens nos? Poſt hoc ſomnium, venit ſomnus & obdormitio mortis; ubi primùm verè evigilamus, vigilias æternas peracturi. Exurgamus ad haſce vigilias per bonum regimen vitæ noſtræ; recordemur noviſſimorum noſtrorum, ut non peccemus. (*Eccl.* 7.) Sic vivamus tanquam morituri, ut benè moriamur, æternùm beatè victuri. Vita noſtra nihil aliud ſit, niſi præparatio ad mortem. Et revera, ſi benè penſamus, vita noſtra nihil aliud eſt, niſi via ad mortem, imò ipſa mors eſt continua. Tempus vitæ præterlapſum jam non eſt: ergò nobis mortuum eſt. Tempus præſens cum morte dividimus: momentis enim conſtat prætervolantibus, quæ dum ſunt, non ſunt adeoque intereunt. Futurum denique cùm nondum advenerit, nihil eſt. Vita ergò noſtra mors eſt continua. Felix, qui moritur quotidie

De hora mortis cogitet omnis hora.

Somnolētia in Spiritualibus.

Vita præſens ut ſomnium.

Vigiliæ æternæ

Mors continua vitæ naturalis.

C

D

A die sibi, mundo, carni, diabolo, ut vivat soli DEO. Hic enim dicere poterit cum Psalmista: non moriar, sed vivam, & narrabo opera Domini. (Psalm. 117. Et hoc posse dicere censendus est piè vitâ functus Adamus Trebnic olim Abbas noster, quem licet mors absumpsit, non tamen consumpsit. Vivit anima in DEO cum DEO, uti speramus siquidem vivit corpus in incorruptione: Cujus quidem ante aliquot annos nimis inordinata sublevatione vidimus experimentum, nunc autem ordinata revisione & testimoniorum depositione continuationem rei expectaturi. Quod ut dignè faciamus, præparemus nos per orationes, jejunia & mortificationes, ut digni efficiamur gratiâ DEI. Recenter autem defuncti animam omni hora, de somno surgentes desidiæ, Divinæ B commendemus misericordiæ, ut veluti in Domino mortui, requiescat in pace.

Quotidie moriendum ad salutem.

A. Trebnic A. O. incorruptus

Sermo in Susceptione Fratris Lucæ ad Novitiatum.

ABySsus miseriæ invocat abyssum misericordiæ, inquit Mellifluus Doctor noster; adeoque ibi magnâ misericordiâ opus, ubi magna miseria reperitur. Et quæ major miseria, quàm habitare cum habitantibus Cedar, (Psalm. 119.) id est nigredinis seu caliginis & tristitiæ? ambulare in tenebris (1. Joan. 1.) imò in via, ubi tenebræ & lu- C bricum, (Psal. 34.) in via lata, quæ ducit ad perditionem; (Matth. 7.) habitare in regione umbræ mortis; (Isaiæ. 9.) in valle lacrymarum? (Psalm. 83.) denique expositum esse mille periculis pereundi. Et hoc est esse in hoc seculo nequam, (Gal. 1.) esse in mundo immundo, qui in maligno positus est. (1. Joan. 5.) Quidni magna in eo miseria? sed ecce magna DEI misericordia Religio sancta, quæ nihil aliud est juxta D. Apost. Jacobum, quàm immaculatum se servare ab hoc seculo, (Jacob. 1.) à secularibus desideriis, quæ militant adversùs animam, (1. Petri. 2.) à mundanis concupiscentiis oculorum, carnis, & superbiæ vitæ. (1. Joan. 2.) Ubi P. R. ac F. D. nonne misericordiæ D Domini, quia non sumus consumpti? (Thren. 3.) quod non involverit nos turbo pestilentiæ, gyrus ille & vertigo peccatorum; nam in circuitu impii ambulant. (Psalm. 11.) Via autem Domini est via recta, via plana. (Oseæ. 14.) Est tamen & arcta via, quæ ducit ad vitam æternam, (Matth. 7.) via Regulæ S. Patris nostri Benedicti, quam profitemur. In hanc viam venisse vos Frater Luca gaudere debetis, & quòd labyrinthum errorum hujus seculi evaseritis: è fluctibus magni & spatiosi maris (Psal. 103.) mundi hujus, ad portum salutis emerseritis. Jam ideò, si petitis misericordiam DEI, debetis ipsemet primò assumere misericordiam vestri. Ita monet Eccles. c. 30.) Miserere animæ tuæ placens DEO. Qui DEO placere vult, debet sibi ipsi displicere; debet odisse animam suam: (Joan. 12.) per dura & aspera ire

Abyssus Abyssü invocat.

Cedar quid?

Vita secularis.

Mūdi miseria DEI & Ordinis Misericordia.

Quid Religiosa vita?

Felicitas Vocationis S.

Via recta arcta Regulæ S.

Mundus Labyrinthus, Mare,

Miserere animæ tuæ placens DEO.

ad DEUM. Nonne qui vult venire post me, dicit Pater misericordiarum & Autor salutis, abneget se ipsum? (*Matth.* 16.) Ita est: displicentiam sui habens exuat semetipsum. Quare? Quia homo ipse sibi miseria est. Homo ille dico, antiquus, quem tollere, exuere, abiicere monet Apostolus: Exuentes vos veterem hominem cum moribus & actibus suis, abnegantes vos, imò mortificantes; & morientes vobismet-ipsis, & concupiscentiis pravis, habitibus perversis, induite novum hominem, qui secundùm DEUM creatus est in justitia & sanctitate veritatis. (*Coloss.* 3.) Hoc est: induite viscera misericordiæ ergà vos, (*Ibid.*) hoc est miserere animæ tuæ placens DEO, (*Eccl.* 30.) tanquam novus homo, nova creatura in DEO, (2. *Cor.* 5.) stigmata Domini portans in corpore tuo, (*Gal.* 6.) tollens Crucem tuam (*Matth.* 16.) & sequens Christum. Et talem quoque misericordiam noster Ordo Sacer præsefert, talem ab omnibus requirit, talem impertitur universis. Jam ergò miseriis seculi liber & solute, mundo & carni valedicens, & sanctam assumens Religionem, Frater Luca respira in luce miserationum DEI, (*Eccl.* 36.) respice viscera misericordiæ ejus, (*Luc.* 1.) in quibus per vocationem sanctam ad S. Ordinem, visitavit te Oriens ex alto. (*Ibidem.*) Hunc ipsum oremus & nos, ut illuminetur nobis, qui in tenebris & in umbra mortis sedemus, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis, (*Ibid.*) ubi sit omnibus nobis pax à DEO & misericordia in æternum. (1. *Timoth.* 1.)

Abnegatio sui.

Moriēdū sibi.

Novus homo.

Viscera Misericordiæ.

A

B

C

Responsum R. D. Abbatis pro die Colendæ Ao. 1683.
In Festo S. Stephani ad Conventûs Congratulationem.

PRæsentia nascentis Christi solennia, & imminentia renascentis anni primordia, dum publicis votis R. P. & F. Vestræ prosequuntur, reciprocâ deesse nequeo gratulatione. Hi sunt dies, quos fecit Dominus; (*Psalm.* 117.) jure merito exultandum in iis & lætandum. Ac quidem in Natali suo DEUS Dominus illuxit nobis; (*Ibidem*) in novi autem anni exordio DEUS ipse venit & salvat nos, (*Isaiæ* 35.) tam nomine suo JESUS, quod designat Salvatorem; quam sanguine suo, quē primùm in Circumcisione pro nostra effudit salute. Sit proinde lætitia vera in cordibus nostris; exultet Spiritus noster in DEO salutari suo: (*Lucæ.* 1.) gaudeamus in Domino semper prout monet Apostolus, (*Philip.* 4.) participantes tam de Natali ipsius, quàm de Circumcisione. De Natali, ut in novam vitam regeneremur: de Circumcisione, ut abscissis omnibus veteris hominis malis simus nova Creatura in Domino. (*Galat.* 6.) Hæc dum voveo mihi & vobis P. R. & F. D. non minùs pro incolumitate tam spirituali, quàm corporali, simul ac felicitate temporali & æterna, vota continua fundo: cujus gratiâ etiam vestræ obsecrationes & petitiones sine intermissione apud DEUM innotescant (*Philip.* 4.).

Fons gaudiorū & lætitiæ Christus Natus.

Vera lætitia.

D

Tractatus Primi FINIS.

SYNOPSIS
Sermonum Capitularium
Ex primo Tractatu.

Sermo



A

TRACTATUS SECUNDUS

B

SERMONUM CAPITVLARIUM

R. D. M. A. H. A. O. S. O. C.

Ab Anno 1684. *ad Annum* 1685.

C

SERMO IN NATIVITATE DOMINI

Et Verbum caro factum eſt. *Joan.* 1.



VERBUM DEI, (*Apoc.*19.) Sapientia Patris, (1. *Cor.* 1.) ſplendor Divinæ gloriæ (*Hebr.* 1.) figura ſubſtantiæ ejus (*Ibidem.*) ſpeculum & Imago bonitatis illius (*Sapient.*7.) Unigenitus DEI Patris filius (*Joan.*1.) ab æterno & usq; in æternum; (1. *Paral.*16.) Primogenitus omnis creaturæ, (*Coloſ.*1.) Verbum inquam DEI (*Apoc.* 19.) non factum, ſed per quod facta ſunt omnia, & ſine quo factum eſt nihil: (*Joan.*1.) hodie CARO factum eſt. (*Ibidem.*) Venite P. R. & F. D. videamus hoc Verbum, quod factum eſt, (*Lucæ.* 2.) quod fecit Dominus & oſtendit nobis: inviſibile factum viſibile imò palpabile; æternum, factum temporale; immenſum, factum puſillum. Parvulus enim natus eſt nobis, (*Iſaiæ*9.) Verbum abbreviatum fecit Dominus ſuper terram; incomprehenſibile, factum comprehenſum: omnipotens ille ſermo (*Sapient.* 8.) infirmitate circumdatus; (*Hebr.*5.) immortalis, mortalis; maximum Numen, minimum nomen; Verbum incommutabile in carnem mutatum: ex increato Creatore crea-

Prædicata Filij DEI.

D

Verbum Caro factum.

creatura facta. Denique Summus infimus; Verbum quod erat & est DEUS, factum homo. O verè admirabile mysterium! O indicibile imò inconceptibile, Verbum caro factum! (*Joan. 1.*) Sed cur hoc? quare factum caro? A a a Domine DEUS nescio loqui. (*Ierem.1.* & *14.*) Quis ego, qui enarrem mirabilia DEI (*Eccl. 36.*) multo minùs investigabiles Verbi vias (*Rom. 11.*) scrutari audeam? Dicam tamen, quidquid dono Verbi desuper concessum mihi fuerit. Nequè enim tacendum vel celandum est hoc Verbum, quod manifestavit se ipsum. Ipsum Verbum ponat se in ore meo indigno, & explicet seipsum. DEUS semel locutus est (*Psal. 61.*) imò semel pro semper loquitur in se ipso, cognoscens & comprehendens se ipsum, generat ab intra Verbum reale, essentiale, substantiale, Verbum mentis suæ simile sibi & Homousion, id est consubstantiale, & hic est Vnigenitus in sinu Patris (*Joan. 1.*) cui semper edicit: Filius meus es Tu; Ego hodie, videlicet semper, genui te. (*Psal. 2.*) Neque enim in æternitate datur præteritum & futurum, sed tantum præsens reperitur. Cùm ergò placuisset DEO mundum hunc creare; verbo suo ad extra fecit, perfecit, & refecit omnia. Ipse enim verbo suo dixit, & facta sunt, mandavit & creata sunt, (*Ps. 32.* & *148.*) tam visibilia oculis carnalibus, quàm invisibilia, & sic in principio hoc, uti de se dixit: Ego principium, qui & loquor vobis, (*Joan. 8.*) creavit DEUS cælum & terram. (*Gen. 1.*) In cælo assistentes & ministrantes creavit sibi Angelos, ad quos factum est Verbum Domini, (*Ierem. 2.*) quòd DEUS introducturus esset Primogenitum suum (*Joan. 1.*) in Orbem terrarum & dicturus: adorent eum omnes Angeli DEI. (*Psal. 96.*) Ecce Lucifer, qui mane oriebatur (*Isaiæ 14.*) Princeps Angelicus superbiâ elatus, factus est inimicus Verbo DEI; affectavit similitudinem, licet esset signaculum similitudinis ejus dicens: Ascendam, similis ero Altissimo. (*Ibidem.*) Noluit se humiliare coram similitudine DEI, quod est Verbum DEI, cecidit & usque ad infernum dejectus est cum sociis, Duce Michäele Archangelo & sociis ejus præseferentibus promptam Verbo DEI obedientiam & humilitatem atq; inclamantibus: Quis ut DEUS? DEUS, qui similis erit tibi? (*Psalm 70.*) Non est tui similis in Diis Domine. (*Ibidem.*) Et hæc in Cælo facta sunt. In terra autem plasmavit DEUS hominem de limo terræ (*Gen. 6.*) quoad carnem: Ad imaginem autem & similitudinem suam creavit illum, (*Ibidem.*) quoad animam, verboque suo præcepit ei, ne comederet de ligno scientiæ boni & mali. (*Ibidem.*) Quid fecit homo? cùm in honore esset, non intellexit, (*Psalm. 48.*) instinctu serpentis, imò draconis illius, qui vulneratus concupiscentiâ similitudinis DEI, (*Isa. 14.*) propriæ Verbo DEI vulneravit quoque hominem pravitate, (*Job. 4.*) consilii sui, suadens esum interdicti fructûs & dicens: Eritis sicut Dii (*Gen.3.*) instinctu inquã ejus, qui est Rex super universos filios superbiæ, (*Job.41.*) Verbum Domini transgressus est homo, adeoque concupiscentia carnis

Discursus Theologicus de generatione Verbi.

De Lapsu Angelorum.

De lapsu primi hominis.

A

B

C

D

A carnem occidit, affectatione similitudinis DEI animam interfecit. Sic ergò Verbum DEI & in Angelis & in homine inefficax, cum malitia Angelorum malignantium nullam DEI misericordiam mereretur; non enim Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit; (*Hebr.* 2.) in homine voluit absq; merito ejus ex pura gratia sua misericordiam suam operari. Unde multifariam multisq; modis olim DEUS loquens Patribus in Prophetis (*Heb.* 1.) factum enim erat Verbum Domini ad Patriarchas, ad Prophetas in promissione, excitavit in cordibus eorum desideria, ut Verbum Domini tandem suum sortiretur effectum. Unus dicit: Mitte, quem missurus es. (*Exod.* 4.) Alter inclamat: Rorate cæli desuper & nubes pluant

De causa Incarnationis.

Desiderium Patriarcharum & Prophetarum.

B justum. (*Isaiæ* 45.) Et iterum vociferatur: utinam disrumperes cælos & descenderes! (*Idem c.* 64.) Vidensque Verbum DEI sine ipso nihil fieri in homine, quando venit plenitudo temporis (*Galat.* 4.) acceptabilis, venit dies salutis, (2. *Cor.* 6.) inclinavit cælos & descendit (*Psalm.* 17.) è sinu Patris, in eodem semper permanens nec recedens ab eo in uterum Virginis, humilis, obedientis ac credentis; quia non erit impossibile apud DEUM omne verbum, (*Lucæ* 1.) in ipsa ex ipsa Virgine Verbum caro factum est, (*Joan.* 1.) de qua natus est JESUS, qui vocatur Christus (*Matth.* 1.) in quo novissimè locutus est nobis DEUS. Jam credo advertitis, cur Verbum caro factum sit Fratres mei? cur DEUS in

In Verbo Incarnato locutus est nobis Deus.

C carne venit similis factus nobis, passibilis per omnia absque peccato? (*Jacob.* 5.) Homo DEI similitudinem concupierat DEI filio propriam, sed factus est similis jumentis insipientibus (*Psalm* 48.) manducans prohibitum cibum. Filius DEI factus est filius hominis, ut hominem, qui non ex voluntate carnis, sed ex DEO nasceretur, (*Joan.* 1) faceret filium DEI. Caro hominis deliquerat Verbi DEI prævaricatrix facta, omnis enim caro corruperat viam suam, (*Gen.* 6.) unde finis venit universæ Carnis: (*Ibidem*) hinc Verbum caro factum est, (*Joan.* 1.) ut Caro hominis Verbo DEI obtemperaret, ut sic salva fieret omnis caro, (*Matth.* 27.) veniret ad DEUM, (*Psalm* 6.) reflореret Caro, (*Psal.* 27.) imò ex-

Reparatio hominis.

D ultaret in DEUM vivum. (*Psal.* 83.) Jam ergò ecce DEUS, quasi unus ex nobis factus est. Frater enim & Caro nostra est. (*Gen.* 37.) Dixerat ante diluvium justitiæ, non requiescet Spiritus meus in homine, quia caro est, (*Gen* 6.) jam post diluvium gratiæ ipsum Verbum DEI Caro factum est & habitavit in nobis, (*Joan.* 1.) ut videat omnis Caro salutare DEI. (*Lucæ* 3.) Recordatus est DEUS hominis, quia caro est; (*Psalm* 77.) ideò carnem assumens in similitudinem hominum factus est, habitu inventus ut homo. (*Philip.* 2.) Fratres nemo carnem suã odio habuit (*Eph.* 5.) neque nos, qui non jam nostram, sed Christi carnem possidemus, membra enim ejus sumus. (1. *Cor.* 6.) Christi ergò carnem sapiamus, quam nobis dedit ad manducandum. Consideremus Verbum DEI, esse carnem; unde si amamus carnem, amemus Verbum DEI. Beati, qui audiunt & custodiunt illud, (*Luc.* 11.)

Verbum Caro factum habitavit in nobis.

Amoris DEI motivum.

exemplo Beatæ quæ credidit, cujus venter Christum portavit & cujus ubera ipsum lactaverunt (*Ibidem*), quæ se ancillam nominavit, (*Lucæ* 1.) dum Mater ordinaretur, cujus humilitatem respexit DEUS : (*Ibid.*) A

Exemplar nostrum Deus Homo.

ille ipse DEUS, qui humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem (*Philip.* 2.) semper mortificatus carne (1. *Pet.* 3.) ut exemplum daret nobis dicens : Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. (*Matth.* 11.) Hoc est Verbum, quod fecit Dominus & ostendit nobis in carne sua, Verbum humilitatis, obedientiæ & mortificationis, de quo aliàs plura. Nunc finio dicens : Siquidem Verbum Caro factum est,

Obedientiæ Idea.

fiat caro nostra Verbum DEI, conformis eius voluntati, faciens verbum illius ad audiendam vocem sermonum ejus, (*Psal.* 102.) meliùs quàm Lucifer vel Adam ; & ad mandatum Verbi Divini exequendum semper B sit obsecundans : Sic homo erit similis DEO, Filius DEI adoptivus.

Sermo in Circumcisione Domini.

Ut circumcideretur Puer. (*Luc.* 2.)

Causa Circumcisionis, Humilitas, & Obedientia.

VERBUM Caro factum (*Joan.* 1.) ad quid natum jam cernitis, jam auditis? ut videlicet post consummationem dierum octo circumcideretur. (*Luc.* 2.) P. R. F. D. Ergonè Verbum DEI per incarnationem abbreviatum, compendiosiùs adhuc per circumcisionem debuit abbreviari? Itanè Verbum Spiritualem legem condens, tenebatur legi carnali subjici? C Ita sanè ; ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus, (1. *Cor.* 1.) qui in diebus carnis suæ licet esset Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus & excelsior cælis factus (*Heb.* 7.) humiliavit semetipsum & obediens factus est (*Philip.* 2.) usque ad Circumcisionem, ut Verbum plenũ gratiæ & veritatis, (*Joan.* 1.) prædicaret nobis in carne nostra, Verbum humilitatis, Verbum obedientiæ, quatenùs & nos humiliemur sub potenti manu DEI (1 *Pet.* 5.) & obediendo mandatis ejus legem curemus non soluere, sed adimplere. (*Matth.* 5.) Sed quænam lex, quid ordinat? Lex Verbi DEI

Lex Circumcisionis vetus.

antiqua statuit pactum cum electo Abraham & Semine ejus : Infans octo D dierum circumcidetur in vobis, & hoc Signum fœderis mei inter me & te dicit DEUS. (*Gen.* 17.) Lex Verbi DEI nova prædicat omnibus

Lex nova Pænitentiæ / Circumcisionis Spiritualis.

vocatis : Pænitentiam agite ; appropinquavit enim Regnum Cælorum. (*Matth.* 3. & 4.) Quid creditis Fratres mei, num contradicit sibi lex ejusdem Verbi DEI? minimè : Verbum DEI semper uniforme, semper sibi conforme, licet gratiæ multiformis (1. *Pet.* 4.) semper idem loquitur imperans olim Cirumcisionem, nunc prædicans baptismũ pænitentiæ. (*Marci.* 1.) Verbum Domini non præterit, (*Matth.* 24.) sed manet in æternum. (1. *Pet.* 1.) Fidelis est Sermo DEI & omni acceptione dignus, (1. *Timoth.* 1. & 4.) ille Sermo DEI vivus & efficax, penetrabilior gladio ancipiti, pertingens ad divisionem animæ ac Spiritus, (*Hebr.* 4.) ut separetur caro serviens legi peccati à mente serviente legi DEI. Hic est gladius Spiritus

A Spiritus Verbum DEI, (*Eph. 6.*) gladius devorans carnes, (*Deut. 32.* amputans carnalia à ſpiritualibus, ſpiritu facta carnis mortificans ad vitam, (*Rom. 8.*) Unde dicit Verbum in carne circumciſum: quòd caro & ſangvis Regnum DEI non poſſidebunt. (*Matth. 16.*) Spiritus eſt, qui vivificat, (*2. Cor. 3.*) Caro non prodeſt quicquam, (*Joan. 6.*) quæ animæ inimica & nobis nihil revelat de Spiritu, qui DEUS eſt. (*Joan. 4.*) Sileat ergò omnis caro à facie Domini; (*Zachar. 2.*) neque enim pax eſt vniverſæ carni. (*Jer. 12.*) Circumcidenda eſt caro veteris hominis in nobis ad formam novi, ut veterē exuentes Adam, induamus novum (*Col. 3.*) & ſic cum hoc novo anno tanquam nova in Chriſto creatura, (*2. Cor. 5.*) in novi-

Caro veteris hominis.

B tate vitæ ambulemus. (*Rom. 6.*) Circumcidenda eſt caro exemplo Chriſti per pænitentiam, ut faciamus utraque unum; (*Eph. 2.*) Legem veterem cum nova: Carnem veteris Adæ cum carne novi hominis Chriſti JESU conjungamus. Nihil enim damnationis eſt, imò totum eſt ſalvationis iis, qui ſunt in Chriſto JESU, qui non ſecundùm carnem ambulant, (*Rom. 8.*) qui non carnem ſapiunt, ſed Verbum DEI prædicans pænitentiam in remiſſionem peccatorum. (*Lucæ 1.*) Videte igitur vocationem veſtram Fratres, (*1. Cor. 1.*) vocationem ad pænitentiam. Non enim vocavit nos DEUS in immunditiam, ſed in ſanctificationem in Chriſto JESU (*1. Theſſ. 4.*) per circumciſionem pænitentiæ, ut ſciat

Vocatio ad Pænitentiam.

C unusquisque vas ſuum carnale poſſidere in ſanctificatione. (*Ibidem.*) Utique peccavit caro, caro pænam luit, & ſic peccata diluit, ut carnem carne liberet. Peccavit caro noſtra, purgat caro Chriſti, dum circumciditur; agit pænitentiam Filius DEI, Filius hominis factus pro nobis filiis hominum; pænam tenet in carne, ne carnē noſtram teneat peccatum. Ergone nos carni indulgebimus? Et hæc eſt regeneratio noſtra per baptiſmum pænitentiæ. Quod natum eſt ex carne, caro eſt; quod natum ex Spiritu, Spiritus eſt. (*Joan. 3.*) Jam verò niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non intrabit in Regnum Cælorum. (*Ibidem.*) Oportet igitur nos renatos per aquam naſci denuò in ſpiritu vivificante per ſpiritum morti-

Baptiſmus Pænitentiæ.

D ficantem, ut ſemper in corpore noſtro mortificationem Domini JESU circumferamus, (*2. Cor. 4.*) & mortificemus membra noſtra, quæ ſunt ſuper terram. (*Coloſſ. 3.*) Empti pretio magno ſangvinis ejus, glorificemus & portemus illum in corpore noſtro. (*Galat. 6.*) Non, quod abſit, circumcidentes ſeu crucifigentes nobismetipſis in carne noſtra Filiū DEI; quod fit, dum curam carnis facimus in deſideriis, in comeſſationibus & ebrietatibus, in cubilibus & impudicitiis; (*Rom. 13.*) ſed Chriſto paſſo & circumciſo nos eadem cogitatione in carne armemur, (*1. Pet. 4.*) carnem noſtram circumcidentes & crucifigentes cum vitiis & concupiſcentiis ſuis, (*Galat. 5.*) ſtigmata Domini JESU in corpore noſtro cum Vaſe electionis (*Act. 9.*) portantes (*Galat. 6.*) adimplentes ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne noſtra. (*Col. 1.*) Itaq; ſpiritu ambulemus, & deſideria carnis pravæ non perficiemus. (*Galat. 5.*) Et ut ſciamus ubi plaga, ibi re-

Mortificatio.

Concupiscētiæ Carnis, mors Pænitentia.

mediū; ubi vulnus, ibi medicina; fomes peccati, morbus gravis; grave jugū super filios Adæ, (*Eccl. 40.*) concupiscentia carnis, lex perversa in membris carnis nostræ repugnans legi mentis & captivans nos in lege peccati. (*Rom. 7.*) Sed gratiæ DEO, qui nobis dat victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum, (*1. Cor. 15.*) solventem imò interficientem inimicitias has in carne sua in semetipso. (*Eph. 2.*) Gratiæ DEO dico iterum, qui reconciliavit nos in corpore carnis ejus per mortem, exhibere nos sanctos & immaculatos & irreprehensibiles coram ipso (*Coloss. 1.*) per mortem pænitentiæ, per virtutem circumcisionis. Hanc advertite Fratres. Puer circumcisus vocatus est JESUS (*Lucæ. 2.*) id est Salvator, salvum faciens populum suum à peccatis eorum. (*Matth. 21.*) Ergò in circumcisione pueri, id est humilis & obedientis; in pænitentia & mortificatione salus. Meritò jam benedicat omnis caro (*Psalm. 144.*) circumcisa nomen Sanctum JESU, nomen salvificum.

In quibus sita salus.

Vox Pænitentis ad Jesum.

Veni Domine JESU & salva me; non est sanitas in carne mea, non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum: (*Psalm. 37.*) induta est caro mea putredine, (*Job. 7.*) defecit caro mea & cor meum. (*Psalm. 72.*) Sana me Domine & sanabor, salvum me fac & salvus ero. (*Jerem. 17.*) Spiritus quidem promptus, caro autem infirma. (*Matth. 26*) Ah! in quot latrones incidi? Quot peccata letifera, tot homicidæ fuerunt.

Samaritanus.

Sed tu misericors Samaritane custos meus infunde vinum Spiritus, quem effudisti super omnem carnem, vinum lætificans cor (*Psal. 103.*) contritum & humiliatum. (*Psal. 50.*) Effunde oleum misericordiæ, balsamum illud pretiosum sangvinis tui. Sum semivivus, quia membrum tuum licet putridum ex me, sed in te vivum; ex me perditio mea, tantummodò in Te auxilium meum. (*Oseæ 13.*) Domine salva me (*Matth. 8.*) & sic non moriar, sed vivam (*Psalm. 117.*) & narrabo opera Tua mi JESU, opera salutis.

Lepra tropologicè.

Et si fortaßè lepra aliqua voluptatis in carne, vel lepra propriæ pessimæ voluntatis in anima remaneret, tolle hanc ferro circumcisionis, ut non sim seminans in carne & metens de carne corruptionem, (*Galat. 6.*) sed seminē in spiritu, & de spiritu metam vitam salutis æternæ in Te. Et sicut dedit Tibi Pater potestatem omnis carnis, ut omne quod dedit Tibi, des ei vitam æternam: (*Joan. 17.*) quoad usque ingrediamur viam universæ carnis, confige timore tuo carnes nostras, (*Psalm. 118.*) ut qui spirituales sumus & spiritu cæpimus, non carne consummemur (*Galat. 3.*) sed emundantes nos semper ab omni inquinamento carnis & spiritus (*2. Cor. 7.*) per pænitentiam, novo Verbi & gratiæ spiritu cordibus circumcisi in Te ambulemus, qui es Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus & lucerna pedibus nostris. (*Psalm. 118.*) Verbum Caro factum (*Joan. 1.*) & circumcisum, sequamur Te cunctis diebus vitæ nostræ, (*Isaiæ 38.*) donec per Te Salvatorem nostrum æternam salutem consequamur.

A
Sermo in Epiphania Domini.

Ubi est, qui natus est Rex Judæorum ; (Matth. 2.)

NOvus Regis Cæli & Terræ Natalis, in Cælo prænuntiam Stellam in Terris tres Orientis Reges excivit ad sui cultum & adorationẽ. Stella quidem Regii ortûs index in Oriente comparens, Regium meritò inter stellas locum præsetulit, quã Sancta Ecclesia & falli & fallere nescia instar flammæ fuisse asserit coruscantis, cujus splendor illuminat mundum; quidni Regis siderum solis ardentis & lucentis in se habuerit qualitates? Illuminans mirabiliter à montibus æternis, (*Psalm. 75.*) Sol justitiæ, cuius nomen Oriens (*Malach. 4.*) per hoc sidus suum illuminavit trium Regum intellectum; inflammavit voluntatem, ut & ipsi ab Oriente egressi, orienti in terris Regi famularentur, utpote qui esset Rex Regum & Dominus Dominantium. (*Apoc. 19.*) Jam P. R. F. D. erigite animos, nihil hìc humile cogitate. Rex est qui nascitur, Regina Mater assistens à dextris ejus, (*Psalm. 44.*) quæ parit; Joseph è Regio sangvine oriundus Matris Sponsus, Principis Nutritius. Nec vobis dejiciat mentem primus Pastorum occursus, & hi Reges fuêre; quia gregis magni Rectores. Quis ipsis Regium denegabit titulum? qui scit Cælum Reges suos, videlicet Angelos ad illos misisse in ministerium? Sed fortassis ab hisce cogitationibus regiis abstrahent vos non regia Palatia, quod stabulum sunt, non regiæ cunæ, quæ sunt præsepe: non regium famulitium duo animalia Bos & Asinus. Non sanè hæc vos absterreant, & hæc regia sunt. Pensate, qualem Regem Reges requirunt & intelligetis. Ubi est qui natus est Rex Judæorum; interrogare, (*Matth. 2.*) reflectite vos ad titulum Crucis, qui fuit JESUS Nazarenus Rex Judæorum. (*Joan. 19.*) Combinate primordia hujus Regis cum ultimo ejus fine, & videbitis ibi quoque Regem spinis coronatum, (*Ibidem.*) paludamento proprii sangvinis cóòpertum, pro sceptro clavos, pro throno vel satiùs Mausolæo, Crucem adoptâsse. Ille ipse est Sapientia DEI, attingens à fine usq; ad finem fortiter, per quam Reges regnant & Principes imperant, (*Sap. 8.*) qui pro ortûs sui aula regia stabulum, pro sede præsepe, pro indumento panniculos elegit, ut ita se Regem Judæorum demonstraret. Quorum Judæorum? eorum, qui per confessionem fidei, per confessionem peccatorum, per confessionem laudis Divinæ merentur dici & esse confessores. Et nos DEO laus tales sumus, si tamen corde credentes ad justitiam, & ore confitentes ad salutem (*Rom. 10*) non minùs confiteamur DEO, quoad nos impietates peccatorum nostrorum, & quoad ipsum sacrificium laudis honorificet nos: (*Ps. 49.*) quia confessio & magnificentia opus ejus. (*Ps. 110*) Quod si tales Judæi fuerimus, utiq; Reges erimus (neq; enim aufertur sceptrum de Juda *Gen. 49.*) regia ferentes munera, aurum fidei, quæ pe

Stella Regia.

B

Nihil humile in Natali D.

Pastorum dignitas.

C

Christus Rex in stabulo.

Rex in Cruce

D

Judæi qui?

Confessores.

Regum munera tropol.

per charitatem operatur; myrrham mortificationis & pœnitentiæ in confessione peccatorum: thus devotionis in confessione laudis Divinæ. Quin imò Reges esse debemus, si huic Regi volumus famulari, qui fecit nos regale sacerdotium, (*1 Pet.2.*) imò Regnum & Sacerdotes (*Apoc.1.*) & regnabimus super terram; non tantùm ideò, quia servire DEO, regnare est; vel etiam; quia Regnum DEI intra nos est, (*Luc.17.*) vel quia Regnum Cælorum præsentis temporis Ecclesia dicitur, sed quia Regis Judæorum vestigia terimus, viliora, humiliora, ignobiliora cum ipso eligentes: Crucem post ipsum ferentes, imò cum ipsomet crucifixi. Et hæc est gloria nostra Crux, tribulatio, patientia. Absit nobis aliter gloriari, nisi in Cruce Domini nostri JESU Christi: (*Galat. 6.*) siquidem ideò & ipse est Rex gloriæ, quia fortis & potens in prælio (*Psalm. 23.*) passionis, adeoque Dominus Virtutum (*Ibid.*) per Crucis patientiam triumphans. Inde etiam gloria in altissimis DEO: (*Lucæ, 2.*) canitur ex humilitate & patientia Christi. Ibi est vera unctio Domini, id est Regis, ibi est verum gaudium in tolerantia Crucis, ibi est oleum lætitiæ, quo unctus est speciosus formâ præ filiis hominum præ participibus suis. (*Psalm. 44.*) O nos felices, si hujus unctionis participes fuerimus! Sed si Reges esse volumus, nobis dominari debemus. Qui se volet esse potentem (monet Philosophus) animos domet ille feroces, nec victa libidine colla fædis submittat habenis. Alter Pöeta docet; quòd Regem non faciant opes, non vestis Tyriæ color, non frontis nota Regiæ, non auro nitidæ trabes. Rex est, qui posuit metus, & diri mala pectoris, quem non ambitio impotens & nunquam stabilis favor vulgi præcipitis movet. Et concludit: Mens Regnum bona possidet. Mens bona, mens est fidelis, libera à peccato, DEO subiecta, imò soli addicta, vincens se ipsam, dominans sibi adeoque regimen sui possidens, omnia extra se posita calcans, mundanorum & terrenorum superior. Et tales sunt veri Judæi, veri Confessores, bonam & rectam beneque directam habentes conscientiam, nihil paventes præter peccatum. Rex enim est, qui metuit nihil: nihil autem est peccatum (teste Rege Doctorum Aug.) hominem peccantem in nihilum redigens. Rex quoque est, qui cupit nihil, hoc Regnum sibi quisque dat. Nos qui reliquimus omnia, (*Matth.19.*) nihil cupimus, nisi Regnum Christi DEI in nobis. Nos qui secuti sumus (*Ibidem.*) Regem nostrum, ad ejus exemplum componimus mores nostros, eligentes esse abiecti in Domo DEI (*Psalm.83.*) mortificati, angustiati. Si viam mundi & carnis ante ambulavimus, jam cum tribus Regibus per aliam viam, (*Matth.2.*) viam crucis regiam revertimur in regionem nostram, ad illam Patriam Cælestem, à qua excidimus per peccatum, ubi verè erimus sicut Dii; (*Gen. 3.*) Filii excelsi omnes (*Psalm. 46.*) hæredes DEI, cohæredes Christi; (*Rom.8.*) Regis justitiæ, cuius nomen Majestatis sit benedictum in æternum. (*Psalm. 71.*)

Charitas, Pænitentia, Devotio.

Reges qui?

Crux.

Dominiū Passionum.

Mens bona quid?

Peccatum nihil.

Alia Via Regia.

A B C D

Sermo

A *Sermo in Purificatione B. Virginis MARIÆ*
& Profeſſione Fratris Theodori.

MAter DEI Virgo puriſſima, omnis maculæ neſcia, utpote Speculum ſine macula, (*Sap.* 7.) nullius purificationis indiga, quæ tota pulchra (*Cant.* 4.) impletis purificationis ſuæ diebus partum Diviniſſimum virtute Spiritus ſancti conceptum in Templo præſentans purificat ſe; quidni nos peccatores in peccatis concepti, (*Pſal.* 50.) in peccatis nati, peccatis innutriti, concipientes dolorem & parientes iniquitatem (*Pſ.* 7.) durantibus in hac vita purgationis noſtræ diebus ſemper purificari debe- *Nobis potiùs incumbit S. Purificatio.*
B mus, partum quoque noſtrum ex inſpiratione Spiritus ſancti conceptum DEO præſentantes? Sed quis hic partus eſt? nullus equidem alius Fratres mei, niſi Profeſſio Religionis ſacræ, Profeſſio votorum, quæ diſtinxerunt labia noſtra: (*Pſalm.* 62.) Oblatio corporis & animæ velut paris turturum ad ſervitium Divinum ſacrificati. Hic eſt felix partus noſter, per quem viderunt oculi noſtri ſalutare Dei, (*Luc.* 2.) cum quo operatur Deus ſalutem noſtram in medio terræ (*Pſal.* 73.) illius promiſſionis terræ ſanctorum, in qua ſi quis iniqua geſſerit, non videbit gloriam Domini. (*Iſaiæ* 26.) Hìc planè ſuſcepimus miſericordiam tuam Deus (*Pſal.* 47.) petentes miſericordiam & dicentes: Suſcipe me *Partus DEO præſentandus Profeſſio. Par turturũ tropol.*
C Domine ſecundùm eloquium Tuum & vivam, & non confundas me ab expectatione mea. (*Pſalm.* 118.) Et quæ eſt expectatio noſtra, nonne Dominus? (*Pſal.* 38.) Hìc cum Simeone expectamus redemptionem Iſrael, (*Lucæ* 2.) verorum Iſráëlitarum videntium DEum, poſſidentes lumen fidei ad revelationem gentium, (*Ibidem.*) & lumen gratiæ ad gloriam plebis ſuæ Iſrael. (*Ibidem.*) Sed ecce in medio Templi tui ſuſcepimus miſericordiam Tuam Deus (*Pſal.* 47.) in medio Ordinis ſacri, ipſimet facti Templum DEI Sanctum. (1. *Cor.* 3.) Apage hinc omne coinquinatum, omne immundum, omne pollutum: ad miſericordiam enim Dei conſequendam purificatio præcedat, neceſſe eſt. Purgandus *Lumen Myſticum. Templũ DEI ſ. Purgatio Spiritualis.*
D ſemper intellectus & affectus à mundanis, terrenis, carnalibus cogitationibus, phantaſiis, inclinationibus, deſideriis & concupiſcentiis. Si quid maculoſum, ſordidum, conſpurcatum, per ablutionem lacrymarum contriti cordis & humiliati (*Pſal.* 50.) tollatur ac mundetur. Si quid corruptum, depravatum, deſtructum, conquaſſatum, bonorum propoſitorum regulâ, emendatione vitæ, erratorum correctione, conformatione ſui ad exactam Regulæ Sanctæ, quam DEO vovimus, obſervantiam reparetur; & ſic vera noſtri purificatio peragetur, quæ ut ſit conſtans, ad volutabrum luti (2. *Petr.* 2.) mundani, vel carnalis non fiat regreſſus, ſed potiùs in Spiritu progreſſus, in quo ut venimus ad Templum (*Luc.* 2.) & cepimus opus ſalutis noſtræ, ita viventes ac proficientes ambulemus, lucernas bonorum operum & exemplorum prælucentium in ma- *Stabilitas.*

nibus nostris portantes. (*Luc.*12.) Et hæc, quæ omnibus dixi, sigillatim Tibi Frater Theodore Michael sunto dicta. Venis jam filius Ordinis ad partum A

Adhortatio Professandi.

Sacrum. Hoc age, quod agis; sic age ut verè purificatus à mundi, carnis, diaboli contagione simul ac servitute liber venias in libertatem gloriæ filiorum DEI, ut respires in luce miserationum ejus. (*Rom.* 8.) Hoc esto, quod diceris. Græcè Theodorus, latinè Deodatus, DEI donum in te agnoscens & semper dicens: Quis ut DEUS? Partum mentis tuæ, partum liberæ voluntatis, sub jugum svave & onus leve (*Matth.* 11.) obedientiæ Sanctæ ferens & offerens cor tuum & corpus tuum, & ut sit immaculatum, voto castitatis te obstringens, paupertati voluntariæ colla subdens, stabilitatem loci velut planta & novella Olivæ, in hoc loco Olivæ speciosæ (*Eccl.* 24.) assumens per perse- B

Oliva.

verantiam in bono; ut sis Oliva fructifera in Domo DEI (*Psal.* 51.) adeòque velut lignum plantatum secùs decursus aquarum (*Psal.* 1.) lactis de ubere, mellis de vulnere des fructum partûs tui in tempore suo; quod ut Tibi & Nobis fons & Author omnis boni concedat, ipsemet est invocandus. Roganda & illa simul Mater gratiæ, larga datrix sanctæ spei, à qua si quid gratiæ, si quid misericordiæ, si quid salutis est, novimus in nos redundare, & per quam hodie suscepimus misericordiam Tuam DEus in medio Templi tui, (*Psal.* 47.) & per quam totos nos habere voluit in hoc Ordine Mariano veluti Matri misericordiæ dedicato, Pater misericordiarum DEUS benedictus in sæcula. (2. *Cor.* 1.) C

Sermo in Dominica Palmarum.

Mons Oliveti Oliva.

ADventus Salvatoris ad montem Oliveti, salutem quoque Olivæ nostræ censendus adferre, si tamen & ipsa sit mons magnitudine virtutum & altitudine meritorum. Mons pinguis, in quo beneplacitum est DEO habitare (*Psal.* 67.) pinguis quia Olivarum: pinguis ob unctionem gratiæ & bonorum operum profluvium, ut & nomen Olivæ pulchræ, speciosæ (*Eccl.* 24.) sit oleum effusum (*Cant.* 1.) boni nominis odorem spirans: Odor bonus Christi in omni loco, (2. *Cor.* 2.) D
Christi inquam uncti, qui unxit nos unctione misericordiæ suæ, ut & nos oleo misericordiæ ergà alios abundemus Vocetur Oliva uber, fructifera (*Jerem.* 11.) nomen nostrum. Accedat quoque oleum lætitiæ, (*Psal.* 44.) quo Christus Dominus Rex noster unctus est à DEO præ participibus suis, ut & nos simus hilares datores, quos diligit DEus (2. *Cor.* 9.) Spe gaudentes in tribulatione, patientes cum lætitia, (*Rom.* 12.) imò proposito gaudio (*Hebr.* 12.) cum Rege nostro spinis coronato sustinentes crucem. Sic equidem non mentietur opus Olivæ, (*Hab.* 3.) si accesserit Oliva pacis, adeòque liceat dicere: Ecce quàm

Unctio Regalis & Sacerdotalis.

bonum, & quàm jucundum, habitare Fratres in unum. (*Psal.* 131.) Nec abs re, cùm hoc ipsum sit unguentum, quod descendit de capite nostro uncto in barbam Aaron (*Ibid.*) & inde usque ad oram vestimenti ejus

defluat,

A defluat, ut duplicis unctionis Regalis & Sacerdotalis benedictio in omnes derivetur. Absit omnis amurca dissensionis, scandali, irregularitatis, votorũ transgressionis, disciplinæ & observantiæ abjectionis; absit inquam ab Oliva nostra: sed simus omnes pueri, id est puri ab omni ejusmodi macula tollentes ramos Olivarum (*Matth.21.*) fructus bonorum operũ: imò simus pueri humilitate & simplicitate facti ipsimet rami Olivarum substernentes nos sacris pedibus Salvatoris, currentes in odorem unguentorum ejus (*Cant.1.*) tenentes & terentes pretiosa exempli ejus vestigia, per viam humilitatis, obedientiæ, paupertatis, castitatis, & super omnia charitatis usque ad mortem Crucis, in qua est salus, vita & resurrectio nostra; B (*Galat.6.*) nec quicquam arbitremur nos scire, nisi Crucifixum (*1. Cor. 2.*) nihilque nos separare possit à charitate DEI, quæ est in JEsu Christo Salvatore Crucifixo. (*Rom. 8.*)

Amurca tropol.

Pueri qui?

Sermo in Paschate.

Pascha sive Phase id est Transitus Domini est.

O Vos omnes, qui transitis per viam (*Thren.1.*) vitæ hujus transeuntis, terræ hujus prætereuntis, mundi hujus retrogradè euntis; attendite & videte transitum DEI, Domini & Salvatoris nostri JEsu Christi. Exultavit hic primùm ut Gygas ad currendam viam, C (*Psalm.18.*) eandem viam vestram, à summo cœlo egressio ejus. (*Ibid.*) Unigenitus è sinu Dei Patris, (*Joan.3.*) in utero Virginis Matris factus primogenitus, omnipotens ille sermo de Regalibus sedibus veniens (*Sap. 18.*) transiens ministravit (*Luc.112.*) nobis verbum vitæ: pertransiit benè faciendo & sanando omnes. (*Luc.6.*) Cumque venisset hoc tempus, ut transiret ex hoc mundo ad Patrem, (*Joan.13.*) de torrente Passionis in via bibit, (*Psal.109.*) fecit transitum per mare rubrum sanguinis sui exterminando priùs primogenita Ægypti (*Psal.105.*) primigenium peccatum, deinde totam Ægyptiacam peccatorum massam & molem in mari cruoris proprii submersit & extinxit. Verè transivit Dominus per- D cutiens Ægyptum, & conservans Israelem: (*Isaiæ 19.*) hos videlicet per fidem Deum videntes & cum Deo dominantes. Demùm descendit ad inferos, ut educeret vinctos & captivam duceret captivitatem, mors mortis existens & morsus inferni. Hinc gloriosè resurgens transivit à morte in vitam, & occursus ejus usque ad summum Cœli, (*Ps.18.*) usque ad dexteram Patris. Nonne admirabilis hic transitus Domini DEI & Redemptoris nostri? Non per transitum, nec per transennam simus hujus transitûs spectatores P. R. F. D. Attendamus, videamus, firmo & constanti intuitu speculemur Dominum transeuntem, ut & nos similiter cum ipso transeamus. Et quidem transitorium statum nostrum primò intueamur. Quid est homo nunquam in eodem statu permanens? (*Job 14.*) utique mane sicut herba transit, (*Psal.89.*) sicut flos fœni (*Jacob.1.*) mane floret & transit: (*Ps.89.*) cujus dies quasi umbra super terram & nulla est

Transitus nostri.
Transitus Filij DEI.

Mare Rubrum Allegor. Originalis culpa.

Transitus Resurrectionis.

Trãsitorius hominis status.

mora, (*1. Par.29.*) planè umbræ transitus est tempus ejus. (*Sap. 2.*) Ecce breves anni transeunt, imò dies velociùs transierunt, quàm à texente A
tela succiditur, (*Job.7.*) sed & ipsa præterit figura mundi. (*1. Cor.7.*)

Transeunt omnia.

Cœli quoque magno impetu transient, (*2.Petr.3.*) imò juxta ipsiusmet Divinæ Veritatis effatum, Cœlum & terra transibunt: (*Mat.13.*) & sic revera mundus transit & concupiscentia ejus. (*1.Joan 2.*) Impius verò homo quasi tempestas transiens. (*Prov. 10.*) Vidi impium, ait Regius Vates (*Psalm.30.*) superexaltatum, transivi & ecce non erat, transivit ab illo Regnum ejus, posuit in cœlum os suum & lingua ejus transivit in terra (*Psal.72.*) velut somnium avolans (*Job. 20.*) non invenietur, & transiet sicut visio nocturna, (*Ibid.*) cumque in inferni præcipitium venerit, ingemiscens dicit: Transierunt illa omnia. (*Sap.5.*) Quæ B
omnia? delitiæ, divitiæ, voluptates, honores, vana gloria: transierunt illa omnia sicut umbra. Justo enim Dei Judicio, quasi umbra transeunt,

Pœnales Transitus.

qui non timent faciem Domini. (*Eccl.8.*) Nec minùs propter impietates hominum dicit Deus gladio; (*Ezech.14.*) transi per terram: hinc bella, hinc fames. Dicit Dominus: pestis & sanguis transibunt per te; (*Ezech.5.*) hinc mortalitates. Denique ita suis spatiis transeunt & pereunt universa. Et nos quid Fratres mei, in hoc vitæ mortalis, mundi prætereuntis, terræ pereuntis transitu constituti? Speculemur & imitemur transitum Domini. Ac

Transitus qui fugiendi.

quidem si dicit mundus, caro, diabolus vel proles eorum peccatum, si dicit animæ nostræ: Incurvare, ut transeamus. (*Isaiæ 51.*) Procul à nobis C
hic transitus malignantium, & operantium iniquitatem. (*Psalm 27.*) Misericordiam Domini imploremus, in umbra alarum ejus speremus, donec transeat iniquitas. (*Psal 56*) Audiamus Verbum Domini nos alloquens: Sapientiæ illi Divinarum sedium assistrici (*Eccl.24.*) aurem & cor præ-

Transitus Vocationis Viâ Pœnitentiæ.

beamus vocanti: Transite ad me omnes, qui concupiscitis me. (*Ibid.*) Sed quâ viâ? Non aliâ, quàm viâ Maris rubri, viâ pœnitentiæ, viâ Passionis. Sic planè orat: Transeat à me Calix iste. (*Matt.26.*) Calix Passionis ad alios me sequaces. Christus enim passus est pro nobis, relinquens simul nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus. (*1.Petr.2.*) Et quidem non aliter, sed per ignem mortificationis & aquam pœnitentiæ la- D
crymarum educimur in refrigerium, (*Ps.65.*) quando ipsum Christum, ipsum Dei Filium sic oportuit pati, & ita intrare in gloriam suam. (*Luc.24.*) Jam

Transitus Gratiæ D & consolationis Spiritualis.

verò transitum Gratiæ & inspirationum ejus solenniter observemus, ne nobis contingat, quòd ignavæ Sponsæ, ubi Dilectus ab ea jam declinaverat, atque transierat. (*Cant.5.*) Non aliter nobis datur videre faciem Domini hic in terra, nisi per transitum uti Moysi (*Exod. 34.*) & Eliæ. (*3. Reg. 19.*) Dulcis hora (teste Mellifluo Patre) sed brevis mora. Audiamus, quid loquatur in nobis Dominus. (*Psal. 84.*) Qui enim verbum meum audit, dicit ipsum Verbum, (*Joan. 5.*) transit à morte in vitam. Si porrò fluctus tribulationum super nos transeunt, (*Ps.41. & Jon. 2.*) si sagittæ (*Ps.76.*) pœnarum ejus, imò ipsæ iræ ejus (*Psal. 87.*)

Remedia Iræ DEI.

in

A in nos tranſeunt, quid remedii? Nonne ab eadem via maris rubri, via pœnitentiæ, tranſeamus in affectum cordis (*Pſ.72.*) contriti & humiliati, (*Pſal.50.*) donec à Deo noſtro judicium noſtrum tranſeat? Nunc ergò ſiquidem cum reſurrectionis tranſitu, hyems culpæ tranſiit, imber pænæ abiit & receſſit, flores renovationis noſtræ apparuerunt in terra noſtra, (*Cant.2.*) imò ipſa oſſa exemplo Domini ut herba germinabunt, (*Iſaiæ 66.*) erigamus & nos animos, aſſurgamus læto corde & jubilo hilari cœleſte Domino Alleluja accinamus. Tranſeamus ab aquis nivium (*Job 24.*) temporis & negligentiæ ad nimium calorem fer:voris, zeli & amoris Divini. Deponamus onera rerum tranſitoriarum

Hyems, Imber, Flores tropol.

Aquæ nivium tropol.

Paupertas.

B ſcientes, difficiliùs camelum, funem illum Nauticum, per foramen acûs tranſire, quàm divitem ad regnum cœlorum. (*Matth.19.*) Mittamus potiùs panem noſtrum ſuper tranſeuntes aquas populum multum pauperum (*Eccl.11.*) per opera miſericordiæ. Tranſeamus, id eſt prætergrediamur hæc temporalia, hæc terreſtria, hæc carnalia; quia tenebræ hæc ſunt: & verum lumen cœleſtium, ſpiritualium, æternorum bonorum jam lucet Chriſtus reſurgens. Tranſeamus, id eſt ultra eamus & progrediamur proficientes ſemitâ juſtorum, quæ velut lux ſplendeſcens procedit & creſcit uſque ad perfectum diem, (*Prov. 4.*) donec tranſeamus in locum tabernaculi admirabilis uſque ad domum DEI,

Opera Miſericordiæ.

Profectus in Spiritu.

Cœleſtis Beatitudo.

C (*Pſal.41.*) cœleſtem Jeruſalem, ubi pollutus non pertranſit per eam, (*Iſaiæ 35.*) ubi in plateis ejus Alleluja canentes, (*Apoc.19.*) Phaſe Domini (*Exod.12.*) æternum celebremus.

Sermo in Aſcenſione Domini.

Ecce ego vobiſcum ſum dicit JESUS aſcendens in cælum fidelibus ſuis. Matth. 28.

NOn triſtitia, ſed lætitia impleat cor noſtrum P. R. F. D. quòd JESUS vita & ſalus noſtra, (*Galat. 6.*) licet abeat à nobis, & eò redeat, unde venerat; nihilominus non nos deſerat, neque

Chriſtus aſcendens non deſerit ſuos.

D orphanos & deſolatos relinquat, quin imò maneat nobiſcum & perſeveret. Res quidem paradoxa, eundem abire & manere, ipſummet adeſſe & abeſſe, elongatum & proximum eſſe, aſcendere in cœlum & in terra morari; attamen vera. DEUS eſt qui loquitur, qui de ſe dicit: Cœlum & terram ego impleo. (*Jerem.23.*) Et alibi: cœlum mea ſedes, terra ſcabellum pedum meorum. (*Iſaiæ 66.*) Ille idem aſſerit: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. (*Matth. 28.*) Sed non arbitremur, quòd per ſolam omnipotentiam, vel immenſitatem, vel gubernationem ſit cœli & terræ inquilinus, vel quòd Enter, uti vulgò dicitur, præſenter DEUS eſt & ubique potenter: cùm non minùs ſit DEUS homo, etiam quoad humanitatem nobis adeſt, non ſenſu ubiquitiſtico Hæreticorum, ſed verâ Catholicorum intelligentiâ. Et quidem multifariam multiſque modis verificatur hoc dictum: Ecce ego

Ubiquiſtæ Hæretici.

Quomodo C. D. nobiscum est?

vobiſcum ſum (*Matth.* 28.) Ac primùm utique fides nos docet eun- A
dem JEſum Chriſtum Deum & hominem præſentem nobis eſſe in SS.
Sacramento Altaris, qui ſedet ad Dexteram Patris, idque phyſicè, rea-

In SS. Sacramento.

liter, corporaliter, ſubſtantialiter, ſub ſpeciebus quidem panis & vini
latens; carne tamen nobis ad manducandum, & ſanguine ad biben-
dum expoſitis patens. Eſt non minùs nobiſcum moraliter in Superiori-

In Superioribus.

bus & Rectoribus Eccleſiæ, de quibus dicit: Qui vos audit, me audit,
qui vos ſpernit, me ſpernit. (*Luc.* 10.) Eſt in Doctoribus, quorum u-

In Doctoribus

nus ait: An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Chriſtus?
(2. *Cor.* 13.) Eſt in ſacerdotibus, de quibus aſſeverat: Qui vos tangit,

In Sacerdotibus.

tangit pupillam oculi mei. (*Zachar.* 2.) Eſt in minimis, eſt in paupe- B

In Pauperibus.

ribus, quos ſuo dignificat nomine. Quodcunque uni ex minimis meis
feciſtis, mihi feciſtis. (*Matth.* 25.) Eſt in eſurientibus, eſt in ſitientibus,
eſt in nudis, eſt in hoſpitibus, eſt in infirmis, eſt in incarceratis, eſt
in defunctis, quibus opera miſericordiæ exhibita, ſibi aſſerit eſſe præſen-

In membris suis Fidelibus.

tata. Eſt denique in omnibus Chriſtianis velut membris ſuis, quorum
Caput eſt, per cujus influentiam membra animantur, reguntur, conſer-
vantur. Videte Fratres mei, quàm verum effatum, quàm certum &
quàm diverſimodè ſit manifeſtum oraculum Chriſti dicentis: Ecce ego
vobiſcum ſum. (*Matth.* 28.) Sed ad quid nobiſcum eſt, niſi ut & nos
cum ipſo ſimus? Jure merito omnes exclamare debemus: Quis nos
ſeparabit à charitate Chriſti! (*Rom.* 8.) Et quidem ſi aſcenderimus in cœ- C
lum, illic eſt; (*Pſ.* 138.) ſimus & nos ibi, ut converſatio noſtra in cœlis ſit;
(*Philip.* 3.) quæ ſurſum ſunt, Divina, cœleſtia quæramus, ſapiamus,
non quæ ſuper terram. (*Coloſſ.* 3.) Hic ſit cor noſtrum, ubi theſaurus
noſter eſt (*Matth.* 6.) JESUS reſidens in excelſis. Illic cogitationibus,
votis, deſideriis, ſuſpiriis habitemus & maneamus cum ipſo: illuc
omnes ſenſus & operationes dirigamus. Interea ſi ad hæc infima terræ

Frequens Cõmunio.

deſcenderimus, adeſt. Unde quàm frequentiſſimè moremur cum ipſo
per dignam SS. Euchariſtiæ ſumptionem: quia, qui manducat carnem
meam & bibit meum ſanguinem, uti ipſemet ait, in me manet, & ego D

Charitas erga omnes.

in eo. (*Joan.* 6.) Superiores qui pervigilant quaſi rationem pro animabus
noſtris reddituri; (*Heb.* 13.) Sacerdotes velut miniſtros Chriſti & diſpenſato-
res myſteriorum DEI; (1. *Cor.* 4.) Doctores tanquam Verbi Divini Prædi-
catores audiamus, veneremur & ſequamur: Chriſtum enim in ipſis
reſpicere debemus. In pauperibus verò, parvulis, indigentibus, vel
maximè Chriſtum attendamus, & illos miſericordiæ operibus proſe-
quamur; quia hoc potiſſimùm regni cœleſtis poſſeſſione in nobis, ve-
lut benedictis Patris ſui recompenſabit. Poſtremò in omnibus Chriſti-
anis, multò magis in Fratribus quisque ſuis Chriſtum conſideret, quos
omnes membra Chriſti eſſe fideli cognitione intuetur. Jam verò cùm

Consummatio seculi tropol.

dicat ſe nobiſcum eſſe uſque ad conſummationem ſeculi, (*Matth.* 28.)
utique videtur innuere Author fidei & conſummator JESUS (*Hebr.*
12.) ut

A 12) ut in nobis per contemptum, per abrenuntiationem, per deſertionem, hoc nequam ſeculum (*Gal.* 1.) conſummetur, ſi ipſum in nobis habitantem volumus experiri. Addo pro coronide; quia ex monte Oliveti aſcendit, (*Actor.* 1.) ut verificetur dictum Zachariæ: Et ſtabunt pedes ejus ſuper montem olivarum, (*Zach.* 14.) qui eſt contra Jeruſalem. Felix Oliva noſtra, ſi in illa adorandi pedes ejus ſteterint; ſi ſit ſcabellum pedum ejus. (*Pſ.* 109) Erit, ſi nomen & omen habebit Oliva uber, fructifera, ſpecioſa, (*Jerem.* 11.) vario virtutum genere; Oliva pacis unionem ſervans in vinculo pacis. Manebit haud dubiè in illa Princeps pacis, (*Iſaiæ* 9.) qui eſt pax noſtra; (*Epheſ.* 2.) & B cujus locus in pace factus eſt. (*Pſalm.* 75.) Neque enim ipſi Apoſtoli à Jeruſalem diſcedere debent, nempe à viſione pacis; pacis quâ cœlum gaudet, pacis quâ membra Capiti uniuntur, pacis quâ paſſiones internæ quieſcunt, pacis quâ invicem cum Deo unum ſumus in charitate.

Mons Oliveti Oliva.

Pax Apoſtolica, & Myſtica.

Sermo in Feſto Pentecoſtes.

Paraclitus autem Spiritus S. quem mittet Pater in nomine meo. Joan. 1.

C Onſolamini, conſolamini popule meus dicit DEUS veſter. (*Iſaiæ* 40.) Popule qui ambulas in tenebris, (*Idem c.* 9.) habitas in regione umbræ mortis (*Ibidem.*) incolatum tenes cum habitantibus Cedar (*Pſalm.* 119) in valle lacrymarum, in terra caliginis, ubi nihil niſi vanitas & afflictio Spiritûs. (*Eccl.* 1.) Nunquid non deſolatione, deſolata eſt terra? (*Jerem.* 12.) Abominatio deſolationis ejus peccatum eſt; hoc verò generat mortem, veram animæ & corporis deſolationem. In hac tanta deſolatione unde quæremus Conſolatorem nobis P. R. F. D.? Terræ huic nuſquam ſolatium, niſi de cœlo. Benedictus Pater noſter, qui in cœlis eſt. Pater miſericordiarum & DEUS totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra. D (2. *Corinth.* 1.) Nolite jam filii Adam in terra quærere ſolatia, diligere vanitatem, & quærere mendacia (*Pſalm.* 4.) conſolationis terreſtris, mundanæ, carnalis. Væ enim divitibus, (*Luc.* 6.) qui habent hic conſolationes ſuas in terra; quorum DEUS venter eſt, (*Philip.* 3.) qui terrena ſapiunt & in his putant ſe ſolari, corporis recreationibus indulgere volentes, nos autem firmiſſimum ſolatium habemus Deum; unde renuat conſolari (*Pſalm.* 76.) in his anima noſtra, memores ſimus Dei, delectemur & exercitemur, & deficiat ab ejusmodi ſpiritus noſter. (*Ibid.*) Quid enim nobis cum carne & ſanguine? DEus ſpiritus eſt, (*Roman.* 1.) in ſpiritu & veritate, non carne & vanitate adorandus. Spiritus ante faciem noſtram Chriſtus Dominus, in umbra exempli ejus vivimus. Paraclitus quoque Spiritus Sanctus, quem mittit Pater (*Joan.* 15.) in nomine JESU ſalvifico, quem & ipſe mittit Filius DEI,

Vita præſens miſera,

deſolata.

De Cœlo ſolatium verum.

Quid cum carne Spiritualibus.

(Spiritus enim eſt utriusque Patris & Filii) deſcendit ſuper nos. Ad quid? niſi ut & nos Spirituales, qui tales appellamur, re ipſa ſimus, ſpiritu vivamus, ſpiritu ambulemus, (*Galat. 5.*) in ſpiritu vera quæramus ſolatia: Paraclitus enim eſt videlicet Conſolator. Sed quorum? Num ſuperborum? minimè: DEUS eſt qui conſolatur humiles, teſtatur Vas electionis interrogans: (*2. Cor. 7.*) Super quem requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem, & quietum & trementem ſermones meos? (*Iſaiæ 66.*) Num iracundorum, aut impatientium? abſit. Deus enim eſt patientiæ & ſolatii, qui nobis dat idipſum ſapere in alterutrum. Imò quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, (*Rom. 15.*) ut per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus. Et hæc eſt vera Theologia in ſpiritu lenitatis (*Gal. 6.*) & manſvetudinis. Quæro ultra. Spiritus Sanctus Paraclitus eſt ſeu Conſolator, num negligentium aut ignavorum? Si dixero, loquitur Job (*Cap. 7.*) ſpeculum patientiæ: conſolabitur me lectulus meus, & revelabor loquens mecum in ſtrato meo; terrebit me per ſomnia & per viſiones horrore percutiet, nempe ſonus tanquam Spiritus vehementis (*Actor. 2.*) in linguis igneis, fervidis cordibus, tepidos, negligentes, deſidioſos evomit Spiritus DEI. Num gaudentium & vanè lætantium? neque horum. Beati qui lugent, dicit ipſa Veritas, (*Matth. 5.*) quoniam ipſi conſolabuntur. Unde cum Job (*cap. 7.*) confabulabor cum amaritudine animæ meæ, in ſpiritu contritionis animæ jubilum requirens, ut merear Spiritum Sanctum, qui eſt remiſſio omnium peccatorum. Num felicitate fruentium? Procul ab his Spiritus Sanctus. Hæc mihi ſit conſolatio, (*Job. 6.*) ut affligens me dolore non parcat, nec contradicam ſermonibus Sancti: Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. (*Pſalm. 22.*) Sicut enim abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita per Chriſtum abundat conſolatio noſtra ſcientes, quòd ſicut ſocii paſſionum ſumus, erimus & conſolationis. (2. *Cor. 1.*) Num diſcordium aut diſſentientium? multò minùs. Spiritus Paraclitus deſcendit ſuper Apoſtolos, quos invenit concordes in charitate unius moris (*Pſalm 67.*) in una domo unanimes. Si invenitur inter nos zelus & contentio, nonne carnales ſumus? certè non Spirituales, neque Spiritum DEI habentes, qui eſt unio Patris & Filii & amor utriusque, eſt DEUS charitas. (*1. Joan. 4.*) Eccleſia quæ habebat pacem, uti Acta Apoſtolorum memorant (*Cap. 9.*) & ædificabatur ambulans (*Ibid.*) in timore Domini, hæc conſolatione Sancti Spiritus replebatur. Utinam noſtra talis ſit. Si qua ergò conſolatio in Chriſto Fratres mei, alloquor vos verbis magni Apoſtoli, (*Phil. 2.*) ſi quod ſolatium charitatis, ſi qua ſocietas ſpiritûs, ſi qua viſcera miſerationis, implete gaudium non tam meum quàm Dei, ut idem ſapiatis eandem charitatem habentes, unanimes idipſum ſentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, ſed in humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes, non quæ ſua ſunt ſinguli conſide-

Paraclitus Humilium.

Paraclitus Patientium.

Vera Theologia.

Paraclitus Ferventium Spiritu.

Paraclitus Lugentium.

Paraclitus Concordium.

Adhortatio ad Charitatem.

A considerantes, sed ea quæ aliorum. Paraclitus Spiritus quem mittit Pater; Paternus est, ergò Consolator. Hunc accepimus spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater. (*Rom. 8.*) Paraclitus Spiritus, qui mittitur in nomine (*Joan. 14.*) Salvatoris, utique plenus solatii nobis, qui operamur salutem nostram in Christo Jesu. (*Philip 2.*) Propter quod consolamini invicem, & ædificate alterutrum. (*1. Thessal. 5.*) Ipse autem Dominus noster Jesus Christus & Deus & Pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam & spem bonam in gratia, exhortetur corda nostra, & confirmet in omni opere & sermone bono, ut Spiritus Sancti gratiâ sanctificemur & sancti simus (*2. Thessal. 2.*) in hac terra sanctorum commorantes, abstracti à terra desolata &

Spiritus Paternus.

Spiritus solutus.

B maledicta à carne, à corpore, à nobismet ipsis, id est nostris passionibus: igneâ Spiritûs charitate feramur in cœlum ad illam cœlestem Jerusalem, quia in Jerusalem consolabimur. (*Isaiæ 66.*) Ibi planè replebimur ab ubere consolationis ejus, (*Ibid.*) in illo torrente felicitatis æternæ adhærentes Deo, & cum Deo omnis solatii Authore, Patre, Filio & Spiritu Sancto unus spiritus effecti. (*1. Corinth. 6.*) Veni ergò Sancte Spiritus Paraclite, Consolator optime, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium, da omnibus in utroque statu Ecclesiastico & Politico, Regulari & Seculari, animarum agonizantium & purgantium; da inquam virtutis meritum, da salutis exitum, da perenne gaudium (*Eccl.*

Terra Sanctorum locus professionis.

Cœlestis Hierusalem.

Aspiratio ad Spiritum S.

C *in hymno.*) in ea, quæ tu ipse es charitate. (*1. Joan. 4.*)

Sermo in Festo Sanctissimæ Trinitatis.

In Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Matth. 28.

OMnia in nomine Domini nos, qui in Deum Dominum nostrum credimus, debere facere (*Col. 3.*) Vas electionis portans nomen DEI coram gentibus (*Act. 9.*) sæpiùs manifestat. Et quis est Dominus noster, (*Psal. 8.*) nisi Deus Pater & Filius & Spiritus Sanctus? Benedictum equidem nomen Majestatis (*Psal. 71.*) Divinæ,

Omnia in Nomine Domini.

Quis noster Dominus? & quod Nomen Domini?

D sed in tribus manifestatum nominibus, in una essentia Deitatis. Beatus planè vir, cujus est nomen Domini spes ejus, & non respexit in vanitates & insanias falsas. (*Psalm. 39.*) Vani filii hominum, (*Psalm. 4.*) ponunt & vocant nomina sua in terris suis, (*Psalm. 48.*) imò nomen Domini vel assumunt in vanum, (*Exod. 20.*) vel non dant gloriam laudi ejus. (*Psalm. 65.*) O Beatam Olivam! super quam invocatum est nomen DEI, (*Eccl. 36.*) nomen sanctissimæ Trinitatis, cujus sacratissimo nomini est consecrata, imò ejus ineffabile Jehova nomen, sui quoque nominis literis aliqualiter exprimit Oliva E literâ exceptâ, quæ exultantis, Eja exclamantis, adeoque lætitiam, quæ in DEO est, denotantis specimen gerit, pro quâ habet literam L lugentis, lamentantis, lachrymantis formam præseferens, quia sita in valle lacryma-

Oliva & Nominis Ineffabilis notatio.

 rum.

rum. Quidni nomini Patris & Filii & Spiritus Sancti debet ſe conformare Oliva? Liceat magnis componere parva. Nonne in illa Trium Perſonarum unitate quædam communitatis forma eſt? cui noſtra communitas ut ſiit conformis, neceſſe eſt. Patris officium & nomen gerit Abbas: quod nomen ex Hebraico Patrem ſignificat; Pater generat filium; Abbas congregationem; utique priùs Abbates fuêre, poſtea congregationes. Ipſe legislator noſter Divus Benedictus prima vitæ Religioſæ fundamenta in ſe jecit, ad quem congregati Fratres ſe ipſius regimini ſubdentes ab eo in cœnobiticam ſeu communem vitam ſunt redacti. Idem dicendum de Abbatibus ſanctis Antonio, Pachomio, Columbano, per quos deſerta communis vitæ ſocietate ſunt repleta. Idem de aliis Ordinum Inſtitutoribus per experientiam conſtat, ab uno Patre cœpta inſtituta multitudine filiorum in unum coaluiſſe. Filius tamen unus, non filii dicendi propter unanimitatem, uniformitatem & unitatem, omnes tanquam unus vir: Pater & Filius in Spiritu Sancto uniuntur. Abbas & communitas in ſpirituali regulæ ſanctæ obſervantia ſibi invicem connectuntur: Ergò Oliva ſtat in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Stat in Abbate, communitate & Regulæ ſanctæ diſciplina: Stet utinam ſic in æternum ad honorem & gloriam Patris & Filii & Spiritus Sancti. Sed & unusquisque noſtrum, qui eſt Olivæ civis, domeſticus & inquilinus, agere debet in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti: Ita ſanè in nobis & in vita noſtra exprimere debemus hocce ſummum myſterium Trinitatis. Dicetis fortaſſè quoad animam, in qua memoria, intellectus & voluntas unita imaginem & ſimilitudinem Unitrini DEI repræſentant? Non abs re equidem. Credetis quoad perfectionem ſalutis noſtræ, quæ in tribus virtutibus, fide, ſpe & charitate radicatur? Nec hoc incongruè. Mihi tamen pro nunc occurrit in cogitatione, operatione & locutione Trinitatis SS. ſpeciem & poſſe & debere à nobis repræſentari. Ac quidem cogitatio noſtra bona & ſancta ſit, ut bona & ſancta opera parturiat. Non quòd idonei ſimus cogitare aliquid à nobis tanquam ex nobismetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt: (2. *Cor.* 3.) Imò omne datum optimum & omne donum perfectum deſurſùm deſcendens eſt à Patre luminum. (*Jacobi* 1.) Patris ergò formam cogitatio bona refert, quæ generat filium bonam operationem, per quam certam debemus facere vocationem noſtram. (2. *Petr.* 1.) Si bona opera non præcederent cogitationes bonæ (dicit lumen Doctorum Auguſtinus) nulla eſſent. Pater meus usque nunc operatur, ait Filius Dei, & ego operor. (*Joan.* 5.) Simul planè currunt & bona cogitatio & bona operatio. Succedit Spiritus Sanctus, qui linguæ formam detulit, utique bonæ locutionis normam declarans. Ipſe Filius Dei cœpit facere & docere: (*Act.* 1.) ut nos priùs bono exemplo hoc monſtremus, quod verbo volumus prædicare. Sed & ipſa benefacta per ſe loquuntur & prædicant. Turpe

autem

Oliva SSS. Trinitati ſacra & quomodo conformis.

Abbas Pater. Filius Congregatio.

Spiritus S. Regula Sancta.

Imago & ſimilitudo Trinitatis in unoquoque.

Memoria, Intellectus, Voluntas.

Fides, Spes, Charitas.

Cogitatio, Operatio, & Locutio.

Cœpit JESUS facere & docere

A

B

C

D

A autem est Doctori, cùm culpa redarguit ipsum: quando impatiens patientiam, dissolutus disciplinam, immodestus modestiam, superbus humilitatem, inobediens obedientiam, maledicus & detractor silentium, aliaque his similia aliis proponit observanda: onera imponens, quæ digito suo vix ipsemet tangit, (*Deut.* 26.) vel satiùs contraria agit præceptis suis. Cor igitur, manus & lingua est Trinitas nostra. Cor rectum, oculum intentionis non obliquum sed rectum habens, rectâ operatione & rectâ locutione sese manifestat: recta inquam locutione; si quis enim in verbo non offendit, hic perfectus est vir: (*Jacob.* 3) qui autem linguam suam non refrenat, hujus vana est religio. (*Jacob.* 1.)

Trinitas tropol. Cor, Manus, Lingva.

B Ante omnia autem imperat Deus. Nolite tangere Christos meos. (*Rom.* 2.) Quis es tu, qui judicas fratrem? interrogat Apostolus Jacobus (*c.* 4.) quantò magis Patrem? Sed & alter Apostolus monet. (*Ephes.* 4.) Nolite detrahere alterutrum Fratres. Estote potiùs Imitatores DEI, sicut Filii charissimi; (*Ibid.*) agite in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, (*Matth.* 28.) id est cogitate, facite, loquimini bona in respectum Patris, unionem communitatis, regulæ sanctæ observantiam, & ambulate in dilectione; (*Ephes.* 5.) quia Deus charitas est, (1. *Joan.* 4.) & sigillatim Ecclesia sancta concinit: Charitas Pater, & hanc vobis monstrat Pater Abbas. Gratia filius, gratia sive gratitudo sit Communitas. Audite mellifluum Patrem: Ingratitudo inimica

Nolite tangere Christos.

Charitas Pater. Gratia Communitas.

C est animæ, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio, ventus urens siccans fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ. Peremptoria res est ingratitudo, hostis gratiæ, inimica salutis; quoniam nihil ita displicet Deo præsertim in filiis gratiæ, quàm ingratitudo. Gratiarum cessat decursus, ubi recursus non fuerit, nec modò nihil augetur ingrato, sed quod accepit, vertetur ei in perniciem. Hæc sanctus Pater. Gratia ergò Filius, quia filii grati sunt Parentibus suis. Communicatio Spiritus Sanctus, ut & in communitate nostra sit mutua spiritûs & gratiarum unio & communio: adeoque

S. Bernar. Quantum malum Ingratitudo.

Communicatio S. Unio Spiritus S.

D vera pax & concordia in vita spirituali perseveret. Et sic Oliva nostra in honorem Sanctissimæ Trinitatis fundata, in nomine Patris Filii & Spiritûs Sancti verè poterit perennare.

Sermo in Festo Sancti Joannis Baptistæ.

Joannes est nomen ejus. Luc. 1.

PRæterlapso naturæ & legis scriptæ tempore venit tempus acceptabile, plenitudo temporis, (2. *Corinth.* 6.) tempus gratiæ P. R. F. D. cujus initia in ortu Joannis etiam per ipsum nomen, quod gratiam significat, orbi sunt manifestata. Antequam enim appareret gratia DEI Salvatoris nostri, (1. *Timoth.* 2.) priusquam Verbum caro factum esset plenum gratiæ & veritatis: (*Joan.* 1.) præludia Gratiæ Dei venturæ

Tempus Gratiæ plenum Gratiarum.

uenturæ in Matre Matris Domini Anna, quòd etiam gratiam sonat, præcessère, in ipsa multò magis Dei Genitrice, quæ gratia plena salutatur (*Luc.1.*) maxima ejus specimina præluxère; tandem in Præcursore Domini & primo gratiæ in appropinquatione regni cœlorum Prædicatore, re & nomine Gratia Dei est gratè facta. Et quis gratiam hanc non gratanter cum gratitudine & gratiarum actione tanquam verè gratis datam à DEO non acceptaret? utique omnes peccavimus & egemus gratiâ Dei, (*Rom.3.*) & absque illa salvari non possumus. Facienti, quòd in se est, Deus non denegat gratiam, dicit axioma Theologicum. Quidnam illud est, quod in nobis est, ut illud facere possimus? Quid habemus, quod non accepimus? (*1. Cor. 4.*) Sine Authore gratiæ nihil facere possumus. Omnis sufficientia nostra ex DEO est. (*2. Corinth.3.*) Ipse dat velle, ipse dat perficere. Ne dicas in corde tuo, monet lex DEI: Fortitudo mea & potentia manus meæ fecit mihi virtutem magnam hanc, sed memoraberis Domini Dei tui, (*Deut. 8.*) quia ipse tibi dat fortitudinem, facere virtutem. Fratres mei gratiâ Dei sumus id, quod sumus. (*1. Cor. 15.*) Et inde semper videamus, ne in vacuum gratiam Dei recipiamus. (*2. Corinth. 6.*) Quid tamen illud est, quod nobis facto opus est pro gratia Dei consequenda? Crediderim promptam ad bonum voluntatem gerere, paratum cor habere, parare viam Domino (*Luc.3.*) in bona voluntate. Velle enim adjacet nobis (*Rom. 7.*) quos per liberum arbitrium DEUS reliquit in manu consilii sui. (*Eccles.15.*) Et quæ præparatio cordis, quæ paratio viæ? Nulla alia Patres ac Fratres dilectissimi, præterquam in spiritu humilitatis (*Daniel. 3.*) & in animo contrito. Videte præconem veritatis. Sanctus ex utero, magnus coram Domino, (*Luc.7.*) Angelus Domini, Propheta, quo inter natos mulierum major non surrexit; (*Luc 3.*) audite quid dicat. Non sum dignus corrigiam calceamenti solvere, (*Ibid.*) qui dignus fuit verticem Domini tangere, & baptismo abluere. Interrogatus quis esset, non atrogat sibi textum. Ecce ego mitto Angelum meum, (*Marc. 1.*) sed assumit alium. Ecce vox clamantis. (*Luc. 3.*) Quid viliùs, quid exiliùs de se dicere potuit? En spiritus humilitatis, non habere cor exaltatum, non gestare oculos elatos, non ambulare in magnis & mirabilibus super se: (*Psalm.130.*) sed viliter & humiliter de se sentire, quod ipse in se Magister humilitatis pro exemplo cunctis statuit Christianis. Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. (*Matth. 11.*) In matre sua respexit humilitatem. (*Luc.1.*) Quoniam excelsus Dominus & humilia respicit, (*Psalm.112.*) adeoque solis humilibus dat gratiam. (*Jac.4.*) Accedit homo ad cor altum, exaltatur Deus, (*Psalm. 63.*) alta à longè cognoscit. (*Ibid.*) Ergò qui se putat aliquid esse cùm nihil sit, ipse se seducit, (*Galat.6*) nec gratiam meretur. Oculi Domini super justos, (*Ps. 33.*) justus autem in principio accusator est sui, nec quærit excusationes in peccatis; (*Prov. 3.*) hinc sequitur post spiritum humiliatum animus contri-

Margin notes (left), in page order: *Gratiæ DEI necessitas.* — *Gratia actualis disponit ad sanctificationẽ habitualem.* — *Humilitas cordis contriti & Joannis B.* — *Humilitas JESU & MARIÆ.* — *Fructus Humilitatis.*

Margin letters (right), in page order: A, B, C, D

A contritus. Prima vox Vocis nostræ fuit, pœnitentiam agite. (*Matth.3.*) Sed non voce tantùm, verùm opere magis idipsum monstravit, quod prædicavit Joannes Eremicola rigidus, severus & austerus, in victu & amictu omnem præseferens asperitatem. Quid tibi cum tanta pœnitentiæ austeritate Joannes? Sanctificatus in utero, sanctus ad mortem permansisti: ad quid hic rigor vitæ? Respondet, ut sim re & nomine Joannes, fruar DEI gratiâ. Hinc & exhortatur nos voce Regii Vatis: Apprehendite disciplinam, ne pereatis de via justa, (*Psalm.2.*) de via gratiæ. Disciplina pœnitentiæ necessaria ad gratiam adipiscendam, ad gratiam conservandam. Castigo corpus meum, loquitur de se Vas electionis, & in

Joannes prædicat re & ore Pœnitentiam.

Eremicola.

Rigor disciplinæ conservat Gratiam D.

B servitutem redigo, (*1. Cor. 9.*) ne fortè prædicans aliis, ipse reprobus efficiar. (*Ibidem.*) Et hoc est facere quod in se est, humiliari sub potenti manu DEI, (*1. Petr. 5.*) fructus dignos pœnitentiæ exequi. (*Luc. 3.*) Cùm Joanne fugere publicum, quærere latere, amare contemni, lucernam esse priùs ardentem in gratia Dei, in charitate, & posteà lucentem, testimonium perhibere de lumine (*Joan. 1.*) Divinæ gratiæ, ipsi, non sibi omnia attribuendo: liberè depromere ibi, ubi opus est, pro veritate & justitia illud, NON LICET. (*Matth.14.*) Hæc sunt opera, hi effectus, hæc charismata gratiæ meliora. (*1.Cor.12.*) Denique in omnibus gratias agere, (*1.Thess.5.*) ut plures gratias mereamur. Spiritui enim gratiæ contumeliam

Fructus digni Pœnitentiæ.

Gratitudo.

S. Bernar.

C facit, ait mellifluus Pater noster, qui beneficium dantis grata mente non suscipit. Sit gratia pro gratia. (*Joan. 1.*) Ad coronidem sit nobis sententia ejusdem S. P. N. dicentis ab experientia. In veritate didici nihil æquè efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, & recuperandam, quàm si omni tempore coram Deo inveniaris non altum sapere, sed timere sicut scriptum est: Beatus homo, qui semper est pavidus. Time ergò cùm arriserit gratia, time cùm abierit; time cùm denuò revertetur, & hoc semper pavidum est. Et quia timor Domini (addo ego) expellit peccatum (*Eccl.1.*) utique per pœnitentiam, nutrit humilitatem & meretur gratiam: quam nobis per merita Sancti Jo-

Noli altum sapere.

Timor DEI.

D annis concedat Pater luminum (*Jacob.1.*) & multiformis gratiæ largitor (*1. Petr. 4.*) in charitate.

Sermo in Festo Sanctorum Petri & Pauli.

Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Matth. 7.

O Quàm benè Dominus similis viro sapienti, imò ipsa DEI Sapientia, domum suam ædificavit supra petram! (*Matth. 7.*) P. R. F. D. ut solida, stabilis & inconcussa permaneret. Scitis utique, quia habitatio Dei in Syon, (*Psalm.75.*) quod significat acervum lapidum; per Syon autem semper Ecclesia, quæ est Domus Dei, (*1. Petr. 4.*) figuratur. Et quidem fundamentum nemo potest aliud

Sion Ecclesia Christi supra Petram.

ponere (1. *Cor.* 3.) nempe ſalutis æternæ baſim, præterquàm quod A
Fundamentum Fundamentorũ Chriſtus. poſitum eſt, (*Ibid.*) quod eſt Chriſtus JESUS juxta Prophetiam Iſaiæ: (*c.* 28.) Ecce ego ponam in fundamentis Syon lapidem probatum, angularem, pretioſum, in fundamento fundatum. Hic eſt lapis, quem reprobaverunt ædificantes (*Pſalm.* 117.) perverſi & increduli Judæi, qui factus eſt in caput anguli. (*Matth.* 21.) Petra enim erat Chriſtus, (1. *Petr.* 2.) ad quem accedentes Principes Apoſtolorum hodierni, facti & ipſi fundamenta, accedentes per fidem vivam, ad hunc lapidem vivum, (1. *Petr.* 2.) à DEO electum & honorificatum, & ipſi tanquam lapides vivi ſuperædificati Domus ſpiritualis effecti ſunt. Et
ſic ædificavit Dominus Syon (*Pſalm.* 101.) & ædificat usque nunc. Un- B
de omnes fideles, non ſumus hoſpites & advenæ, ſed cives Sanctorum & domeſtici DEI ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto JESU. (*Epheſ.* 2.)
Domus DEI Fideles Quin Domus DEI ſumus nos ipſi, teſte ſole Doctorum Auguſtino. Si Domus Dei nos ipſi in hoc ſeculo ædificamur Templum ſanctum in Domino. Jam conſideremus non tantùm Simonem Caput Apoſtolorum vocari ſingulariter Petram, ſed idem de Divo Paulo ſimilitudinariè dictum cenſeamus; idem nobis credamus inculcari. In Pe-
Petræ ſimiles Apoſtoli. tra ſive lapide æſtimatur ſoliditas, pretium, pondus & magnitudinis figura: ſoliditas ad fidem ſpectat, pondus ad amorem, pretium ad reliquas C
virtutes, figura ad conſtantiæ quadraturam. Hæc omnia quidni in ſanctis Apoſtolis Petro & Paulo, maximè emicuerunt? Ipſi ſunt, qui fu-
Fides ſolida. erunt in fide radicati & ſolidati, per quos & nos fidem accepimus. Unde & fidelium Eccleſia Apoſtolica nuncupatur. Jam pondus meum, a-
Pondus D. Amoris. mor meus dicebat Auguſtus Doctor, quocunque feror, amore feror. Mineralia omnia in lapidibus hærent occultata. Sum̃um verò pondus eſt auri, quo verè aurea charitas deſignatur. Conteſtationem ternam amoris, factam à Divo Petro novimus dicente: Tu ſcis Domine, quia amo Te,
Charitas Petri & animam meam pono pro Te. (*Joan.* 13.) Quanta porrò charitas fuerit in Divo Paulo; ſumma ipſius reſolutio manifeſtat, interrogantis, D
Charitas Pauli quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? (*Rom.* 8.) & reſpondentis: Nulla creatura, nulla prorsùs ſeparabit à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto JESU. (*Ibid.*) Quoad proximum autem, amorem eorum monſtrat
Zelus animarum. zelus, quo imperterritè ac indefeſſè, tam Orientem quàm Occidentem percurrentes omnes Chriſto lucrifacere (*Corinth.* 9.) conati ſunt, & verbo & exemplo trahentes, & ſcripto per Epiſtolas ſuas docentes omnes Gentes, ut eas ad agnitionem fidei & Eccleſiæ unitatem pertraherent; ubi unus eorum ex amore etiam anathema fieri pro Fratribus voluit. (*Rom.* 9.) Quàm pretioſi deinde lapides fuerint, virtutum in
Lapides pretioſi Virtutum. ipſis relucentium decora declarant; ac ideò in numero lapidum illorum, quibus ſuperna Civitas Jeruſalem innititur, cenſentur. Neque vacat prudentiæ, obedientiæ, paupertatis, humilitatis & ſuper omnia patien-

tiæ,

A tiæ, cæterarumque virtutum ſpecimina ediſſerere, ut verè coagulati ex omni lapide pretioſo videri poſſint. Poſtremùm forma quadrata perſeverantiæ uſque ad mortem patuit in morte utriusque pretioſâ, per quam in illam translati ſunt civitatem, quæ in quadro poſita (*Apoc.* 21.) ex lapidibus conſtituitur quadratis. Nos autem quid? Attendamus ad Petram unde exciſi ſumus, (*Iſaiæ* 51.) Dei ædificatio ſumus. Ædificatio habet laborem, labor in nobis eſt, gratia in Deo. Nobis quoque dicitur: Tu es Petra. Sed petra debet conſtare ſoliditate fidei, pondere amoris, pretio virtutum, formâ perſeverantiæ. Examinemus hæc in nobis, & ſi quid in nobis deficit, ſuppleamus; ſi quid non rectum, ſi
B quid obliquum, præcidamus & collineemus; ſi quid non cohærens, complanemus & compaginemus, ut ſic DEI Domus, DEI ſtructura verè Syon, id eſt acervus lapidum coadunatus in DEO fieri poſſimus. Scimus monumentum ex 12. lapidibus formatum, (*Joſue* 4.) novimus rationale 12. lapidibus pretioſis contextum, (*Exod.* 39.) nec ignoramus fundamenta novæ Jeruſalem 12. lapidibus (*Apoc.* 25) conſtare. Omnia hæc exprimunt populos, nationes, tribus deniq; duodenario numero univerſitas deſignatur. In hac dum & nos ſumus, curemus eſſe lapides vivi, pretioſi, electi, honorificati, non lapides offenſionis nec petræ ſcandali. (*1. Petr.* 2.) De nobis velut petra fluat mel devotionis, oleum miſericordiæ, aqua ſapientiæ
C ſalutaris. (*Eccl.* 15.) Nec deſit nobis exemplo Divi Petri, qui à paſſione Domini cæpit flere, (*Marc.* 14.) nec deſtitit uſque ad mortem, aqua pœnitentiæ continuæ, quâ abluamus ſordes peccatorum. Adſit nobis exemplo Divi Pauli, aqua convallium humilitatis, qui minimum Apoſtolorum, nec dignum ſe vocari Apoſtolum judicabat. (*1. Cor.* 15.) Iſtis aquis coagulantur lapides ſancti, Divino ædificio apti, ut & nos ædificemur in Domum DEI, ædificemus in nobis & aliis arcem Syon. DEUS autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam gloriam ſuam in Chriſto Jeſu (*1. Petr.* 5) modicum paſſos in labore ædificationis, ipſe inquam per merita SS. Apoſtolorum, Eccleſiam à ſe in-
D ſtitutam, ab Apoſtolis exſtructam, in utroque ſtatu Eccleſiaſtico & Politico & nos in ipſa perficiat, confirmet & ſolidet charitate.

Perſeverantia.

Imitanda Petra Apoſtolica

Duodecim Lapidum Myſterium.

Mel de Petra.

Humilitas Pauli.

Sermo in Feſto Viſitationis B. V. M.

Exurgens Maria abiit in montana cum feſtinatione. Luc. 1.

VIx deſcenderat ſponſus in tabernaculum ſuum, Filius DEI in uterum Virginis Matris, ſtans poſt parietem carnis noſtræ, proſpiciens per feneſtras (*Cant.* 2.) providentiæ ſuæ & bonitatis, reſpiciens per cancellos, quos primum peccatum inter Deum & hominem fabricaverat; vidit Joannem amicum ſuum, quia ſponſi, (*Joan.* 3.) in carcere non tam materni uteri, quàm delicti primigenii clauſum, & mox loquitur Matri ſuæ: Surge, propera Amica mea, (*Ibid.*) feſtina ne tardaveris: relaxa

Feneſtræ Providentiæ D. Cancelli Peccati.

facinora plebis, (*Matth.* 11.) crimina generis humani in Joanne posito A in vinculis, quem funes peccatorum hæreditariorum circumplexi sunt. (*Psalm.* 118.) Evestigio exurgens Maria abiit in montana cum festinatione. (*Luc.* 1.) Maria velox ad audiendum, ad miserendum volans, prompta ad succurrendum, ad adjuvandum festina, priusquam invocetur, jam dicit: Ecce adsum. (*Isaiæ* 58) In sermonibus verbi Divini festinavit iter, (*Eccl.* 43.) abiit in montana, (*Luc.* 1.) ut verificaretur vox dilecti. Ecce iste venit saliens in montibus gratiarum, transiliens colles (*Cant.* 2.) mundanæ altitudinis; incurvati enim sunt colles mundi ab itineribus æternitatis ejus: (*Hab.* 3.) veniens venit & non tardat, (*Idem c.* 2.) exultavit ut Gygas ad currendam viam (*Psalm.* 18.) cum Maria, ut vox Salvatoris B ejus, vox exultationis & vox salutis (*Psal.* 106) in voce clamantis in deserto (*Luc.* 3.) uteri materni, deserto per culpam Adæ causato, simul ac in tabernaculo justorum felicis illius familiæ exultante Joanne resonaret. Accelera Maria: accelera JESU, spolia detrahe, (*Isaiæ* 8.) quæ fortis armatus rapuit, festina prædari: (*Ibid.*) ut væ illi sit, qui Joannem prædatus est, quia & ipse prædabitur, præda fiet. Discurre, festina, (*Prov.* 6.) suscita Amicum tuum peccato soporatum imò immortuum. Exulta Joannes, citò veniet salus tua, salvabit te & liberabit Salvator & Liberator Jesus per Mariam salutantem, salutem tibi ferentem cum festinatione. (*Lucæ* 1.) Quidni exinde gaudium & exultatio? Ita est C P. R. F. D. Lux orta est justo & rectis corde lætitia. (*Psal.* 96.) Venit Maria, ex qua ortus est Sol justitiæ. (*Malach.* 4.) Venit mulier fortis, (*Prov.* 31.) Mulier conterens Caput serpentis antiqui (*Gen.* 3.) in Joanne caput illud perditionis humanæ, peccatum Originale dico, virtute seminis sui contritura. Ostendit faciem suam decoram, (*Cant.* 2.) sonuit vox ejus dulcis in auribus Elisabeth, facta est vox salutationis (*Luc.* 1.) Mariæ, & secutus est effectus salutis in Joanne. Virgo Verbo Ave suscipiens Verbum, verbo FIAT Verbum (*Ibidem.*) concipiens, verbo Ave (*Ibid.*) rursùs & voce gratiæ, Voci in utero clausæ gratiam paravit per Verbum vitæ in se Caro factum: (*Joan.* 1.) vitam gratiæ Jo- D anni infudit, ut Joannes verè esset talis, id est gratia sive gratiosus: fructu benedicto Ventris sui (*Luc.* 1.) fructum mortis abstulit à Joanne. Linguam infantis fecit disertam, (*Sapien.* 10.) quia exultavit infans. (*Luc.* 1.) Infantem vox Mariæ fecit fantem, quia exultantem. O admiranda mysteria Visitationis Mariæ omni voto recolenda, omni studio veneranda, omni gaudio prosequenda! O utinam & nos visitaret Maria! utinam exurgeret, utinam ad nos veniret cum festinatione! (*Luc.* 1.) Exurget si & nos exsurrexerimus à mortuis, peccatis mortem æternam generantibus. Veniet, si montana fuerimus, si ad alta virtutum, ad superna quærenda, ad cælestia non terrestria ambienda nos erexerimus. Visitabit, si curaverimus esse Joannes, si ad gratiam Dei anhelantes, ad salutis æternæ bravium currentes, viam mandatorum Dei festinaverimus.

Matris Misericordiæ promptitudo.

Saliens in Montibus.

Celerior salus cum MARIA.

Joannis sanctificatio per MARIAM.

Vox & Verbū salutis.

Optanda & nobis MARIÆ Visitatio.

Incipientes. Proficientes.

Studium Gratiæ D.

A mus. Videte illum Jonatham cœleſtem ſicut ſagittæ ex manu potentis, *Sagittæ Jonathæ Gratiæ D.*
(*1. Reg.* 20.) ſic ab ipſo gratiæ Divinæ vibrantur ad Joannem alterum Davidem. Et nos quid? dormitabimusne, ut veniat ſuper nos quaſi viator egeſtas (*Prov. 6.*) gratiæ Divinæ & pauperies ſpiritûs quaſi vir armatus. Stertemusne, an evigilabimus? nonne pueri ſumus parvuli, ſervi Jonathæ, qui eſt donum DEI. Clamat poſt nos. Feſtina, ne ſteteris. (*1. Reg.* 20.) In via enim Dei non progredi, regredi eſt. DEUS feſtinatò ire præcipit. Adhucne morabimur & gratiam Dei ſinemus tranſire, ſinemus in vacuum abire? (*2. Cor. 6.*) Viſitatur Abraham ab angelis, mox feſtinat in tabernaculum, (*Gen. 18.*) feſtinat ad tractandum *Jonathæ quid?* *Viſitatur Abrahã ab Angelis.*

B Phaſe Domini, quod eſt tranſitus, comeditur feſtinanter. Feſtinemus & nos ingredi in illam requiem, quæ eſt in montibus ſanctis, (*Pſ. 86.*) ad quam per gratiam Dei datur acceſſus: ad quam non paſſibus, ſed affectibus, nec hiſce ſolis ſed magis operibus heroicarum virtutum aſcendendum eſt. Nonne adeſſe feſtinant tempora? (*Deut.* 32.) nonne deficiunt in vanitate dies noſtri, (*Pſal. 77.*) & anni noſtri abeunt cum feſtinatione? Si cum Saule quærimus videntem culmen Prophetarum, per quem adipiſcamur regnum cœlorum, audiamus ſanctas mulieres hodiernas ſe invicem ſalutantes, (*Marc.16.*) quid dicant unicuique noſtrum. Hic eſt JESUS Rex Iſrael nempe videntium Deum, qui te *Feſtinatio ſalutaris ad æternam requiẽ.* *Feſtinant tempora.* *JESUS Rex videntium DEUM*

C vocat ad regnum ſuum. Ecce ante te cernis hunc in ſpeculo fidei, in imagine crucifixi; legis in verbo ſcripturæ, & ſumis in realitate Euchariſtiæ. Audis quòd in te, ad te loquitur. (*Pſalm. 88.*) Sequere me. (*Joan 1*) Ecce ante te, feſtina nunc, (*1. Reg. 9.*) hodie venit, quotidie venit. Sacrificium eſt hodie, id eſt ſemper in illa beata æternitate populi illius cœleſtis in excelſo. Abi in montana cum Maria, ſed abi cum feſtinatione; neſcit enim tarda molimina Spiritus Sancti gratia. Si veniat quinquagenarius uti venit ad Eliam (*4. Reg. 1.*) ex jubilo mundi dicens tibi, feſtina deſcende. (*Luc. 19.*) Vide ne moram feceris, deſcendat potiùs ignis de cœlo devorans (*Gen. 3.*) gaudia mundi. Si *Spiritus promptus.* *Quinquagenarius Eliæ tropol. Mũdanus.*

D tamen ſycomorum vanæ gloriæ hujus ſeculi cum Zachæo aliquando aſcendiſti: (*Luc. 19.*) Noli ſtare in hac fatalitate, non ambula in vanitate, nec feſtinet in dolo pes tuus, (*Job.31.*) qui enim ita feſtinus eſt pedibus, (*Prov. 19*) facilè offendit, multò magis qui feſtinat, ut effundat ſanguinem. (*Eccl. 28.*) Audi vocem Chriſti monentis: feſtina deſcende (*Luc. 19.*) per humilitatem, quam Dominus in Maria reſpexit, (*Luc. 1.*) & tunc cum illa aſcende in montana, feſtina & ſalvare ibi cum Loth ab incendio (*Geneſ.* 13.) peccati. Ibi reperies Mariam ſalutantem, Jeſum ſalvantem, Joannem exultantem, gratiam Dei in corde tuo jubilantem, Eliſabeth animam tuam repletam Spiritu Sancto. (*Luc. 1.*) Et tunc benedictio Dei in mercedem juſti feſtinabit, & in honore veloci proceſſus tuus fructificabit (*Eccl. 11.*) in vitam æternam. *Sycomorus Zachæi tropol. Vanitas.* *Quæ feſtinatio vitioſa?* *Loth ubi ſalvatur* *Quid in Calo invenirmus? Eliſabeth tropol. Anima.*

T *Sermo*

Sermo in Feſto S. Stephani.

Data eſt ei corona & exivit vincens ut vinceret. Apoc. 6.

Feſtum S. Patris tandem fit ſolennius.

NOn abſque ſingulari Dei Providentia accidit, quòd poſt tot ſecula ſancti Patris noſtri Stephani merita hactenus quaſi oblivione ſepulta, nunc primùm in lucem prodeant & publica ac ſolenniori veneratione celebrentur. P. R. F. D. Meo exili judicio videtur Deus per exemplum primi Patris, ſpiritum fervoris primitivum in nobis poſteris ejus velle excitare. Unde jure merito id ipſum Mater Eccleſia in hodierna depoſcit oratione. Videamus filii quid egerit Pater, penſemus quî ſe geſſerit in primitiis Ordinis, ut & nos in reliquiis quaſi Ordinis poſiti vitam noſtram ejus operibus conformemus. Et quidem

Corona & Aureum S. O. Vinculum.

verè Stephanus, verè corona Ordinis fuit Vir iſte, qui Sacrum Ordinem noſtrum coronâ aureâ, nempe chartâ charitatis aureæ conſecravit & coronavit. Ordo S. P. noſtri Benedicti fuit protunc abſque nexu, abſque unione, abſque ligamento. Data eſt ei corona ; datus ſanctus Pater Stephanus, qui connexionem, conjunctionem & unionem per chartam charitatis in Ordine contexuit ; ut ſicut corona in circulum plectitur, ſibique cohæret, ita Ordo noſter, adinvicem vinculo charitatis ſociaretur & copularetur. Ordinavit in eo planè charitatem, (*Cant.* 2.) media charitate conſtravit novellas ex novo monaſterio ita dicto Ciſtercio exortas plantationes, & tam capitulorum generalium vera exultationis coronâ, (*Eccl.* 1.) quàm frequentium viſitationum veluti coronâ vitæ (*Jac.* 1.) reviſicante animos Religioſorum in Monaſteriis, & fervorem redintegrante Ordinem ad ordinem reduxit & redimivit. Inde exivit vincens (*Apoc.* 6.) ſe ipſum, vincens difficultates domeſticas, ut vinceret mundum, vinceret capitalem generis humani inimicum, qui etiam coronam facit, in circuitu impius ambulat, (*Pſalm.* 11.) circuit quærens quem devoret (1. *Petr.* 5.) potiſſimùm in clauſtris Deo dicatis. Quàm cautè agendum, ne ab illo irretiamur ? Et nihil ſanè magis cordi habet, quàm ut auferat & faciat cadere coronam capitis noſtri, (*Thren.* 5.) chartam tollat charitatis, rumpat vinculum unionis, vinculum perfectionis præſcindat. Teneamus coronam hanc Fratres mei, nec ſinamus illam dividi, non ſcindatur veſtis Chriſti : (*Joan.* 9.) regnet pax in Oliva pacis, quæ in ſola charitate nidulatur. Vincamus nos ipſos, ut vincamus hoſtem. Et hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra, (1. *Joan.* 5.) fidelitas in Ordine per chartam charitatis, à Sancto Stephano Patre noſtro ſtabilito. Sunt & alia in eodem Divo Legislatore noſtro nova novi Cænobii, quæ nobis novitas hæc ſolennitatis ejus pro renovatione noſtra repræſentat. Eſt zelus ad ſtrictiorem regulæ obſervantiam per requiſitionem locorum magìs regularium. Eſt fervor devotionis in Divini officii celebratione per curarum omnium excluſionem.

Charta Charitatis.

Viſitationes.

Vinculum perfectionis.

Stabilitas.

Singularia S. Ordinis.

A clusionem. Est abstractio à secularibus curis & mundanis desideriis per Religiosæ vitæ solitudinem. Est cultus paupertatis per tenuitatem & simplicitatem simul ac superfluorum eliminationem. Est devotio singularis ad Virginem Deiparam, per primariam Monasteriorum honori ipsius consecrationem. Est humilitatis exemplar per cessionem dignitatis Abbatialis. Quidni hæc omnia nobis proponuntur imitanda, exercenda & observanda? Quidni filii sequamur Patrem, ut innovato fervoris spiritu zelus domus DEI, Ordinis sacri nos comedat? (*Ps. 68.*) Zelo zelantes pro Domino DEO exercituum, (*3. Reg. 19.*) positi in ejus sacra militia, bonum certamen certemus, (*2. Tim. 4.*) pugne-

Exemplar Humilitatis.

Zelus Perfectionis.

B mus ut vincamus: exeamus de terra nostra omnem terrenam affectionem deponentes, & de cognatione nostra omnem carnis amicitiam excludentes, & de domo Patris nostri (*Gen. 12.*) mundum hunc penitùs abnegantes. Exuamus veterem hominem, (*Col 3.*) excutiamus veternum vincentes passiones nostras, concupiscentias nostras, pravos habitus & inclinationes perversas, ut vincamus fortem armatum, (*Luc. 11.*) principem tenebrarum luce boni operis, zelo fidei & pietatis, ardore charitatis. Abstrahamus nos cum sancto Patre nostro Stephano ab hoc seculo nequam (*Galat. 1.*) posito in maligno, (*Joan. 5.*) non æmulantes in malignantibus, (*Ps 36.*) sed æmulantes charismata meliora: (*1. Cor. 12.*)

C ut Divino officio intendamus meliùs, attendamus diligentiùs, ferventiùs assistamus, paupertatis curam solertiorem in peculiis nostris habeamus, superflua amputantes, sola necessaria retinentes. Matri DEI velut ejus mancipia dedicemus nos, serviamus ei fideliùs, exactiùs obsequamur. Humilitatem virtutum omnium radicem quàm profundissimè cordibus nostris implantemus, super eam opera nostra fundemus, quia aliàs sine ea super arenam fabricamus. Pro ejusmodi virtutibus & meritis data est corona Sancto Patri nostro Stephano. Corona cœlestis gloriæ & sertum exultationis (*Isaiæ 28.*) æternæ. Data est vincenti corona vitæ (*Jacob. 1.*) in beata æternitate. Dabitur & nobis diadema regni,

Corona gloriæ post Spineam Humilitatis & Patientiæ.

D (*Isaiæ 26.*) si victores esse curaverimus, si mortificationi studuerimus, si spineam Christi coronam per patientiam gestaverimus, quam & ipse Divus morbis & laboribus prægravatus, utique portavit. Coronabimur rosis (*Sap. 2.*) è spinis natis, percipiemus immarcescibilem gloriæ coronam, (*1. Petr. 6.*) coronam de lapide pretioso (*Psalm. 20.*) variarum virtutum & meritorum: sic coronabimur ab eâ, quæ nunquam excidit charitate. (*1. Cor. 13.*)

Sermo in Festo Assumptionis B. V. M.

Maria optimam partem elegit. Luc. 10.

OPtima pars, quam sibi Maria electa ex millibus, (*Cant. 5.*) electa & planè prælecta à Domino, elegit, multifariam mul-

Pars Optima electa B. V.

Virginitatis incorruptio.

tisque modis potest explicari. Ac primùm ille thesaurus ingens in vasis fictilibus (2. *Cor.* 4.) incorruptio virginitatis, quæ hominem proximum Deo facit, nonne optima pars est censenda, quam eligit Maria? quoniam virum non cognoscit. (*Luc.* 1.) Non est ponderatio continentis animæ. Procul & de ultimis finibus pretiũ mulieris fortis. (*Prov.* 31.) Et quæ potior, quàm quæ seipsam vincit? Hæc est pars Deo gratissima, de qua mellifluus Doctor noster ait: quod virginitate placuerit.

Humilitas honorata.

Diximne optimam partem fuisse humilitatem? Utique hæc est basis & fundamentum salutis; radix omnium virtutum, quæ meretur exaltationem. Qui enim se humiliat, exaltabitur. (*Matth.* 23.) Jam verò quæ humilitas, humilitati Virginis Matris potest comparari? Eligitur in matrem, ancillam se nominat. (*Luc.* 1.) Denique respicit humilitatem ancillæ suæ Deus; (*Ibid.*) Dominus enim humilia respicit, (*Psalm.* 137.) & inde teste Mariophilo Bernardo, humilitate concepit, & ecce beatam illam Dei genitricem dicunt omnes generationes (*Luc.* 1.)

Fides viva.

Nunquid non optima pars censenda est fides, sine qua impossibile est placere DEO, (*Hebr.* 11.) & ex qua justus vivit? (*Ibid.*) Hanc deprædicat in Maria Diva Elisabeth exclamans! Beata quæ credidisti. (*Luc.* 1.) Nonne in censum optimæ partis venire potest solers cura

Studium D. Gratiæ.

gratiæ Divinæ? quæ quanta fuerit in Maria, manifestat Angelus dicens: invenisti gratiam apud Deum, (*Ibid.*) nimirum uti annotat S. Pater noster, quod quæsivit invenit, ita ut meritò gratia plena (*Ibid.*) salutaretur & benedicta in mulieribus (*Ibid.*) proclamaretur. Sed ecce Evangelii contextus

Auditio Verbi D.

aperit nobis optimam partem Mariæ, quæ erat auditio verbi Divini. Et hoc est unum necessarium (*Luc.* 10.) Fratres mei, audire verbum Domini. (4 *Reg.* 7.) Illud verbum, quod erat in principio apud Deum, (*Joan.* 1.) ante secula Deus verbum, (*Ibid.*) unigenitus in sinu Patris, (*Ibid.*) (semel enim ab æterno locutus est Deus) (*Hebr.* 1.) omnipotens ille sermo, (*Sap.* 8.) verbum per quod facta sunt omnia, (*Joan.* 1.) portans omnia verbo virtutis suæ, (*Hebr.* 1.) quo curantur omnia & reparantur, (misit enim verbum suum & sanavit eos) (*Psalm.* 106.) hoc verbum quod manet in æternum. (1. *Petr.* 1.) Cujus principium in principio DEO Patre, ipsummet quoque principium, qui & loquitur nobis imò Alpha & Omega principium & finis: (*Apoc.* 1.) illud inquam verbum, ut audiretur ab homine inobediente, Caro factum est, (*Joan.* 1.) factum ex muliere Virgine Matre. Hoc verbum non potuit orbi innotescere, nisi per locutionem. DEUS novissimè locutus est nobis in Filio suo, (*Hebr.* 1.) & Spiritum Sanctum primitivæ Ec-

Spiritus S. cur in Linguis?

clesiæ impertiens, linguas igneas pluit super Apostolos, ut loquerentur magnalia verbi Dei, (*Act.* 2.) & in omnem terram exiret sonus illorum & in fines orbis terræ verba eorum. (*Ps.* 18.) Hinc imperat mittens illos: Ite, prædicate Evangelium (*Marc.* 16.) id est bonum nuntium verbi DEI omni creaturæ. Et quid requirit locutio aut prædicatio?

A dicatio? Quid postulat à nobis verbum Dei? nihil aliud, nisi auditum. Audite & intelligite inclamat Verbum Dei, (*Marc.7.*) imò voce magna detonat: Qui habet aures audiendi, audiat. (*Idem. c. 4.*) Nunquid non idipsum egit cum Matre sua? Audi filia (inquit *Psalm. 44.*) & vide, & inclina aurem tuam. Et quid dicit Deus Matri suæ? Obliviscere populum tuum (*Ibidem.*) per virginitatis votum, obliviscere domum patris tui (*Ibid.*) per humilitatis actum. Licet regali ex progenie exorta refulges; dic: ecce ancilla Domini, (*Luc. 1.*) & concupiscet Rex decorem tuum: (*Psal. 44.*) invenies gratiam apud Deum: (*Luc. 1.*) quoniam ipse Dominus Deus tuus, (*Exod. 14.*) & Filius Altissimi vocabitur. (*Lucæ 1.*) Beata quæ credidisti. (*Ibid.*) En fides, sed

Quid dicit D. Matri suæ?

B ex auditu; (*Rom. 10.*) auditus autem per verbum Christi. (*Ibid*) Et sic optima pars Mariæ fuit, quòd audiret verbum illius. Approbat hoc ipsa Veritas incarnata mulieri; (*Luc. 11.*) beatum ventrem, qui portavit, & beata ubera quæ suxit, deprædicanti: respondens & dictum confirmans. Quin imò beati, qui audiunt verbum DEI & custodiunt illud. (*Ibidem.*) Ita sanè verè beata, (teste Joanne Damasceno) quæ Dei verbo aures præstitit. Beata quidem inde, dicente Beda, quia Verbi incarnandi ministra facta est: temporalis utique mulier quædam suscepit eum in domum suam, (*Judith. 6.*) uteri virginalis reclinatorium, purissimo

Mater D. unde Beata?

C illum sanguine vegetans, pòst virgineo lacte pascens, denique cibo fortiori nutriens; planè satagens circa frequens ministerium. (*Luc. 10.*) Beata (inquit Beda) ex hoc, sed inde multò beatior: quia ejusdem semper amandi custos manebat æterna. Ita sanè Maria conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo, (*Luc. 2.*) amoris domicilio. Et hæc est optima pars, quæ non auferetur ab ea; (*Luc. 10.*) in cœlo quoque fruens verbo Dei, ubi anima liquescit, cùm dilectus loquitur, (*Cant. 5.*) ubi erunt omnes docibiles Dei. (*Joan. 6.*) Audire ergò verbum DEI & custodire illud optima quoque pars nostra sit exemplo Mariæ. Hic sedes amoris Divini, si quis diligit me, (Verbum Dei loquitur *Joan. 14.*)

Amor DEI pars optima.

Audire Verbū D. & custodire illud.

D sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Quid dicis Domine? Itane cœlum deseris, ut habites in homine obediente, & sermonem tuum observante? An cœlum in eo reperis? Ita sanè Fratres mei, in cœlo sumus & cœlum in nobis habemus, si audiamus semper, quid loquatur in nobis Dominus. (*Psal. 84.*) Sed ut simus auditores simul verbi & factores, (*Jacob. 1.*) puritatis, humilitatis, fidei Marianæ sectatores & gratiæ Divinæ investigatores; portio mea Domine, dixi custodire legem tuam; (*Psalm. 118.*) unum necessarium (*Luc. 20.*) ad salutem æternam: pars optima, quam eligo & diligo, facere voluntatem tuam per verbum tuum expressam. DEUS cordis mei & pars mea DEUS in æternum. (*Psalm. 72.*) Per hanc optimam partem habebimus partem in regno

Obedientiæ felicitas.

Imitatio Virtutum DEiparæ.

Unum necessarium.

DEI, ad quod Domina noſtra glorioſa, lætabunda, triumphans cum corpore & anima hodie conſcendit æternè poſſidendum. A

Sermo in Feſto Sancti Bernardi.

Bernardus ut Nardus.

VUlgari proverbio dicitur, convenire rebus nomina ſæpè ſuis; quod in ſancto Patre noſtro Bernardo etiam verificari nemo ibit inficias, qui in illius nomine terminationem nardi obſervans, qualitates nardi in vita ejusdem perpenderit reperiri. Non vanum nardi nomen, ſed ipſam nardinæ virtutis tenuit ſanctus Pater veritatem. Nardus herba humilis, modica, ſemper albicando vireſcens, gratum ſpirans odorem, utilem cauſans calorem, auſterum habens ſaporem, ſpicam cærulei coloris in altum protendens, quidni præclaras Divi Patris virtutes manifeſtat? B Ac primùm humilitatem ejus tota loquitur vita, publicat teſtamentum, oblatorum contemptus Epiſcopatuum aperit, & maximè ubi aſſerit ſenſui ſuo ſemper ſe minùs, quàm alterius credidiſſe. Albicantem illius viriditatem in virente perpetim ejus caſtitate cernimus, quâ dealbatus emicuit, meruitque Virginea guſtare ubera. In ſeipſo fervens & amoris caliditate exardeſcens, quia charitate vulneratus, intimi ardoris æſtum in cunctos fecit ebullire, nullum unquam ulli præbens ſcandalum, & ſi quod incidit, ſedans virtute charitatis. Odoris porrò ejus effluvia quis ediſſeret? Quos non traxit ad currendum odor unguentorum ejus? C Mellita Doctoris melliflui eloquia, imò dulciora ſuper mel & favum (*Pſalm.* 18.) quot non ineſcârunt? ut Clarævallis progeniem extenderet ultra maria, in Angliam adeò, Hiberniam, Siciliam, Sardiniam, Scaniam quoque & Daniam: ubi Efronis per Colbacum Oliva noſtra facta eſt etiam ſurculus Clarævallis, & ultra flumen Tyberis mitteret propagines ſuas. Repleta eſt planè domus Eccleſiæ ex odore unguenti, (*Joan.* 12.) quod Maria benedicta inter mulieres (*Luc.* 1.) nardi utique piſtici quia fidelis, effudit in corpus Salvatoris. Jam lingua facta calamus ſcribæ non tantùm velociter, ſed & dulciter ſcribentis: (*Pſal.* 44.) Spiritus ſancti unctione magiſtrâ, nonne balſami, non mixti odorem ſpirat in Bernardo verbo vitæ laureato? D Super omnia verò exempli boni ſpiraculo, certè Bernardus fuit Chriſti bonus odor in omni loco, (2. *Cor.* 2.) adeoque cùm eſſet Rex cœleſtis in accubitu ſuo, (*Cant.* 1.) delicias quærens cum filiis hominum, (*Proverb.* 8.) fructu bonorum operum ſe paſcens, nardus noſtra ſemper odorem dedit ſuum, (*Cant.* 1.) odorem boni exempli per vitæ auſteritatem & religioſæ converſationis regularitatem exhalans. Hinc ſapor nardi amarus in ore, ſed dulcis in corde, rigor ille diſciplinæ, quem in victu abſtinenti & amictu paupertatis, nunquam non obſervavit. Et quidem illa in victu parſimonia plurimorum cauſatrix fuit morborum, cum quibus ad mortem usque conflictatus, hoc nobis reliquit documentum:

Humilitas.

Caſtitas.

Charitas.

Oris & Operis doctrina.

Propagatio S. Ordinis.

Oliva.

Vita Exemplaris.

Rigor Diſciplinæ.

Monachum

A Monachum firmum animo, debere ſemper eſſe aliqualiter corpore invalidum & infirmum. Unde Author fuit Monaſteriorum in vallibus, ubi regnant humiditates nocivæ corpori fundatorum. Sapor nardi auſterus fuit non minùs in patientia, & injuriarum tolerantia ita, ut in Teſtamento ſuo notaverit, à lædente ſe læſum, nunquam expetiiſſe vindictam. Ac ideò verus Crucifixi ſectator; perfectus crucis bajulator, ab exaltato in cruce tractus haud dubiè, ipſe quoque in illo accubitu crucis, odore ſuo ad ſe complectendum pertraxit Crucifixum. Denique ſpicam ſuaveolentem cœleſtis coloris proferebat, quando in hac terra ſolo corpore conſtitutus, totâ cogitatione & aviditate in cœleſti patria converſabatur.

Infirmitas ſalutaris.

Patientia.

Unio cum DEO.

B Nonne igitur Bernardus noſter vera nardus, qui in initiali ſyllaba Hebræo nomine puteum deſignans declarat, quòd fuerit ad puteum aquarum viventium multipliciter plantatus, ut ad Ciſternam S. Ordinis Ciſtercienſis, hauriret aquas de fontibus Salvatoris, (*Iſaiæ* 12.) ſugens mel de petra, (*Deut.* 32.) lac de terra Virgine, eſſetque mel & lac in ore ejus, (*Prov.* 14.) redderetque non ſolùm Claramvallem, ſed & Ordinem & orbem univerſum mellifluum ac lactifluum. Agnoſce Oliva felicitatem tuam habens terræ promiſſionis lacte & melle manantis (*Deut.* 6.) in Sancto Patre participium, quando non jam Proneptis uti eras, ſed ceſſante Matre Colbaco & Aviâ Eſrone, facta es

Bernardus ex Hebr.

Genealogia Olivæ

Eſron, Colbacū Monaſteria.

C filia, ac ſpeciatim meritorum & orationum comparticipatione Soror Claræ-vallis imitatione nardinarum virtutum ejus, humilitatis, caſtitatis, charitatis, doctrinæ, pietatis, boni exempli, auſteræ regulæ obſervationis, deſiderii cœleſtis: ut etiam ejus æternitatis beatæ conſortio perfrui merearis. Præſta id Beatiſſime Pater meritorum & orationum tuarum ſuffragio; præſta inquam Eccleſiæ ſanctæ, quam labore tuo fulciviſti & ſuſtinuiſti; præſta Ordini tuo, quem virtute tuâ plantâſti & propâgaſti; præſta Olivæ tuæ, quæ dedicationis tibi factæ patrocinio gloriatur; præſta agonizantibus animabus atque defunctis, quas ſacrificiis tuis potenter juviſti; præſta omnibus, ut in iis pius ſanctæ religionis perficiatur

D effectus in vitam æternam.

Ad S. P. peroratio.

Sermo in Dedicatione Eccleſiæ & Profesſione Fratris Quodvultdei.

HOdie in domo tua oportet me manere, (*Luc.* 19.) dicit Pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis (2. *Corinth.* 1.) ad unumquemque noſtrum in generali, & ad te frater Quotvultdee in particulari. Hodie, id eſt hoc die, hac duratione & decurſu vitæ noſtræ. Quamdiu enim hic in terris vivimus, dies noſter; & dum morimur, incipit dies Domini. In hoc die noſtro laborandum eſt, operandum eſt bonum, gratia & meritum apud Deum quærenda ſunt; in die Domini requies & præmium ſperanda. Si vita noſtra

Hodie quid?

Vita præſens.

Vita Religiosa dies, nox seculum.

dies est, & est talis, si bona est; multò magis religiosa vita, dies censeri debet. Nox enim seculum est, (teste Ambrosio) quidni vita secularis nox quoque erit? Nox igitur præcessit (*Roman. 13.*) frater Quodvultdee, vitæ nimirum in hoc seculo nequam, (*Galat. 1.*) in mundo immundo, qui supra malignum positus est, (*1. Joan. 5*) transactæ: dies appropinquavit (*Rom. 13*) vitæ regularis in Sacro Ordine Cisterciensi peragendæ. Abjice opera tenebrarum & induere armis lucis, (*Ibid.*) & abhinc sicut in die honestè ambula, (*Ibidem.*) sciens te ingredi domum Dei, (*Gen. 28.*) templum Domini, (*Jerem. 7.*) terram sanctorum (*Isaiæ 26.*) Olivam hanc Sacrosanctæ Trinitati, Virgini Matri Dei, & Divo Patri nostro Bernardo dedicatam, in qua & te iisdem per vitæ religiosæ consecrationem teneris dedicare, ut simul ædificeris templum sanctum in Domino. (*1. Esdræ 4.*) Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos, (inquit Apostolus *1. Cor. 3.*) domus Dei, cultura Dei, ædificatio Dei. Verè tu Domine universorum, quem cœli cœlorum capere non possunt, (*3. Reg 8.*) cujus sedes cœlum, terra autem scabellum pedum tuorum, (*Isaiæ 66.*) cujus possessio immensitas, terminus infinitas, duratio æternitas, hodie vis nos inhabitare, qui voluisti fieri templum tuum in nobis, qui nullius habes indigentiam, in domo nostra facis tibi manendi necessitatem. In domo tuâ ais. Estne aliquid apud me, in me, mecum, quod meum est? utique omnia tua sunt. Et quid habeo, quod non acceperim? (*1. Cor. 4*) Sine te nihil sum, nihil possum, quia omnis sufficientia mea est ex te. (*2. Cor 3*) Quomodo domus mea? Ita est Fratres dilectissimi; dedit nobis aliquid DEUS, quod nostrum est, dedit nobis liberum arbitrium, liberam voluntatem. Hanc si DEO dedicamus, templum Domini (*Jerem. 7.*) efficimur, nominamur aula DEI. Et quid est principale in votis nostris? nonne obedientia, quæ reliqua in se includit vota paupertatis, castitatis & stabilitatis? Per hanc DEO & Superioribus mancipatur voluntas nostra, ut non velimus, nisi quod vult Deus; non agamus, nisi quod est in beneplacito Regulæ sanctæ & Superiorum. Gaude frater Quodvultdee, non vocabitur ultra terra tua, domus tua desolata, sed vocaberis (dicit DEUS *Isaiæ 6.*) voluntas mea in ea, & terra tua, domus tua inhabitabitur à DEO. Jam Deus in domibus Olivæ, in unoquoque nostrum cognoscetur, (*Psalm. 47*) quando in iis fiet, quod vult Deus. In te specimen exhibetur hodie per sanctam professionem, ubi Divinæ vocationis voluntatem secutus ejusdem declaras executionem; sed ad hanc adimplendam Divina misericordia est imploranda. Neque enim est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei opus in nobis. (*Roman. 9.*) Velle adjacet nobis, (*Idem c. 7.*) perficere autem non invenimus. Et hæc est miseria nostra, pro qua sublevanda indigemus magnâ Dei misericordiâ, ut qui dedit nobis bonum velle, det etiam benè perficere pro bonâ voluntate sua. Nonne misericordiæ

Olivæ Patroni Tutelares.

Templum DEI nos.

Quid nostrum est?

Obedientia Votum principale.

Misericordiæ D. necessitas.

A B C D

A ricordiæ Domini multæ, (*Pſalm.* 118.) quòd non ſimus conſumpti in hoc ſeculo nequam (*Gal.* 1..) ſed in religione ſacra, in hac Ordinis domo ſimus à Deo miſericordiam conſecuti? (1. *Tim.* 1.) Fiat ergò Domine & ultra miſericordia tua ſuper nos; (*Pſalm.* 32.) ſiquidem miſericordiæ tuæ non eſt finis. (*Ibid.*) Fiat & ſuper fratrem hunc Quodvultdeum, ut magni hujus nominis Epiſcopi & per hæreticam pravitatem pro fide ſancta exulis cum clero ſuo, cujus feſtivitas 26. Octobris celebratur, perfectus ſectator & ipſius nominis executor fiat; cumque habitu candido caſtitatis decus, ſcapulari nigro brevi & anguſto paupertatis rigorem, & abjecto caputii tegumento obedientiæ jugum, cucullæ complemento, ſtabilitatis & perſeverantiæ plenitudinem præſetulerit, in par- S. Quodvultdeus. S. Habitûs myſteria.
B ticipatione miſericordiæ Tuæ & Ordinis, Te in ſe hodie id eſt toto decurſu vitæ ſuæ manentem ſemper experiatur, donec in domum æternitatis tuæ (*Eccl.* 12.) unà nobiſcum recipi mereatur.

Sermo pro feſto omnium Sanctorum.

Mihi nimìs honorificati ſunt amici tui DEUS, canit Vir ſecundùm cor Dei, utique verus Dei amicus Regius Vates Pſal. 138.

AMbitio Divinitatis per cacodæmonem in cœlo inchoata, ac per ſerpentinum ejuſdem ſibilum protoparenti hominum inſpirata di- Affectatio Divinitatis.
C centem: Eritis ſicut Dii; (*Gen.* 3.) eousque humanum infecit genus; ut plerique magnorum virorum aut filios Deorum Dearumvé ſe jactaverint, aut planè Deos voluerint ſe reputari; nemo tamen eò aſpirabat, niſi qui vel magnus dignitate, vel eminens virtute, vel heroicis facinoribus excellens videbatur. Miſertus hujus fatalitatis humanæ Deus miſit filium ſuum, (*Galat.* 4.) Deum verum, de Deo vero, ut homo fieret; adeoque homines Deos faceret ſibi ſimiles, id eſt, ut filii Dei nominentur. & ſint. (1. *Joan.* 3.) Et quia ſuprema laus Dei eſt, quam deprædicant Seraphim canentes. (*Iſaiæ* 6.) Sanctus Sanctus Sanctus Dominus Deus Exercituum, ipſe quoque Filius Dei (*Hebr.* 5.) Cur DEUS Homo? Sanctitas.
D in ſimilitudinem hominum factus; (*Phil.* 2.) Sanctum ſubſtantialiter ab Archangelo (*Luc.* 1.) declaratur: ſummum quod hominibus dignatus eſt impertiri fuit, quòd ſint ſancti, per ipſum ſanctum ſanctorum (*Dan.* 9.) ſanctificati; Ac ideò ſi honor Dei eſt, quod ſanctus prædicetur, á quo omnis ſanctitas in cœlo & in terra; qui etiam in ſanctis ſanctorum (*Exod.* 30.) habitat (*Pſalm.* 12.) in quibus & mirabilis eſt, (*Pſalm.* 67.) & laudatur; maximus honor hominum eſt, cùm ſunt ſancti: de quibus etiam Pſaltes ait: *Pſalm.* 81.) Ego dixi, dii eſtis & filii excelſi omnes. Inde venit, quod Sancti etiam amici Dei appellentur, (*Pſalm.* 138.) ac propterea quandoquidem nimìs ſunt honorificati à DEO, jure meritò quoq; nimìs honorificentur ab hominibus. Et ſanè honor Sanctis exhibitus redundat in Deum authorem & fontem Sancti honorandi.

omnis sanctitatis. Si sic honorabitur ex mente Scripturæ S. *Esth.6.*) quem Rex voluerit honorari; ut regio paludamento indutus, coronâ & sceptro ornatus, similis quasi regi publicetur: quantò magis sunt honorandi Sancti, quos Deus voluit honorare conformitate imaginis Filii sui, (*Rom.8.*) qui ipsos fecit Deo Patri regnum & sacerdotes, (*Apoc.1.*) ut sicut ipsemet est Rex regum & Dominus dominantium (*Ibid. c.19.*) simulque summus Pontifex, ita ipsi sint reges orbis terræ, (*Ibid. c.6.*) dicentes: regnabimus super terram; (*Ibid. c.5*) sint & sacerdotes offerentes DEO continuò incensum (*Exod. 29.*) orationum pro nobis terræ habitatoribus. Cumque in cœlo sint consummati cum Deo in unum, (*Joan.17*) sint unum cum Christo (*Rom. 12.*) velut membra corporis ejus; (*Eph.5.*) honor Sanctorum est honor DEI, est honor Christi, quia membrorum ejus cum ipso in cœlo triumphantium. Et siquidem dicitur honor major esse in honorante quàm in honorato; honorando Sanctos nos ipsos honoramus, qui secundùm propositum vocamur sancti; (*Rom. 8.*) atque per fidem, spem & charitatem membra Christi sumus, (*1. Cor.6.*) unimur Deo, & unum per Christum cum Deo constituimur. (*Galat.3.*) Sed quomodo & quâ viâ ascenditur ad sanctitatem? Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad justitiam & amicus Dei appellatus est; asserit ex antiquo testamento Divus Jacobus Apostolus *cap. 2.*) Fides ergò ingressus est ad sanctitatem; justus enim ex fide vivit, (*Rom.1*) & sine fide impossibile est placere Deo. (*Hebr.11.*) Progressus sanctitatis est ad exemplum Abrahæ, ambulare coram Deo & esse perfectum in omnibus mandatis ejus. (*Gen.17.*) Hoc ipsum suprema Veritas manifestat dicens discipulis suis: *Joan. 15.*) Vos amici mei estis, si feceritis ea, quæ præcipio vobis: & ne ignorantiâ excusarent se, superaddit *Ibidem.*) Vos dixi amicos, quia omnia, quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis. Ecce igitur via ad sanctitatem est, facere voluntatem Dei; vera sanctitatis vita est in voluntate ejus. Voluntas Dei explicat se per signa mandatorum, aperit se per beneplacita ordinationum. Hæc est planè DEI perfecta amicitia idem velle, & idem nolle: facere quod vult Deus; de manu Dei omnia etiam adversa parato corde acceptare, hoc opus perfectum est sanctitatis: hoc est cum Deo consummari in unum, (*Joan. 17.*) Christo uniri, qui non venit, ut suam faceret voluntatem sed Patris sui, qui in cœlis est: (*Idem c.6.*) idque ex mera dilectione ergà Patrem, & ergà nos. Majorem hâc dilectionem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis. (*Idem c.15.*) Majorem habuit Jesus, quia suam posuit pro inimicis, sed per conversionem ex merito ipsius futuris amicis. Hinc fluit mutua amicitia, reciprocus amor. Et hæc est primum & maximum Dei mandatum (*Matth 22.*) dilectio Dei super omnia ex toto corde propter ipsummet, & proximi sicut sui ipsius propter Deum. Finis præcepti est charitas. (*1. Timoth. 1.*) Unde verè ambulat

Marginalia: Honor Sanctorũ, honor Dei. — Via ad Sanctitatem. — Fides Abrahæ. Incipientium. — Proficientium. — Quid Amicus DEI? — Unio cum DEO. — Amor DEI.

A ambulat coram Deo & eſt perfectus, (*Gen.* 17.) & facit quæ præcepit Chriſtus; mereturque eſſe amicus DEI, verè ſanctus, qui amat Deum & proximum. Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. (1. *Joan.* 4.) Quanta unio amicitiæ! quanta divinitatis communio, quantus ſanctitatis honor per charitatem & in charitate! Sed ah! quanti obices, quàm magna impedimenta, quàm multi offenſionis lapides (1. *Petr.* 2.) intercurrunt in hoc aſcenſu ad ſanctitatem! Eapropter omni curâ obſtacula ſanctitatis quàm maximè ſunt tollenda. Et hæc quæ? non alia, niſi quæ uno mundi vocabulo continentur. Ego non ſum de hoc mundo (inquit Chriſtus *Joan* 8.) ergò ne-

Obices Sanctitatis.

Amor Mundi.

B que de hoc mundo debet eſſe Chriſtianus. Sapientia mundi inimica eſt Deo; (1. *Cor.* 3.) omne autem quod in mundo eſt, concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum & ſuperbia vitæ eſſe definitur à dilecto Jeſu diſcipulo. (*c.* 2.) Qui proinde voluerit eſſe amicus mundi, inimicus DEI conſtituitur: (*Jac.* 4.) ut ſit amicus Dei, Vir ſanctus, debet eſſe mundi inimicus. Sed quid eſt, quod æterna Veritas & illi incomptè ad nuptias venienti ait? *Matth.* 22.) Amice quomodo huc intrâſti non habens veſtem nuptialem? Et illi murmurioſo reponat: *Ibid. c.* 20.) Amice non facio tibi injuriam. Et quomodo, quod ſummum eſt, ipſum traditorem ſuum Judam compellat: *Ibid.* 26.) Ami-

Concupiſcentia & ſuperbia.

Inimici etiam diligendi.

C ce ad quid veniſti? Bonitas hic infinita relucet Redemptoris, inimicos quoque amicos vocando, ut nobis apicem ſanctitatis inſtillaret, quæ eſt dilectio inimicorum. Jam quæret aliquis; qualiter debeant Sancti nimis honorificari? Cultum Sanctorum per encomia eorum, per fundationem memoriæ illorum in Eccleſiis, Capellis, vel Altaribus aut imaginibus, aliaque his ſimilia, quibus honorantur in terris, non commemoro; dico quod eſt & ipſis gratiùs & nobis utiliùs: nimis honorat Sanctos, qui eorum exempla ſequitur, vitam in ſe exprimit, virtutes imitatur: & talis nimium ipſorum patrocinium & ſuffragia efficacia promeretur. Honor & gloria omni operanti bonum: (*Rom.* 2.) hoc faciant

Quomodo nimis honorificantur Sancti.

Imitatio Sanctorum.

D imitatores Sanctorum; tum & ipſi gloriâ & honore coronabuntur. (*Pſ.* 8.) Nec deſperent peccantes Lazarum mortuum, quatriduanum jam fætentem, (*Joan.* 11.) & peccatoris formam gerentem; vocat miſericordia Dei amicum: (*Ibidem.*) Lazarus amicus noſter dormit. Illa inquam miſericordiâ, quæ venit vocare non juſtos, ſed peccatores. (*Marci* 2.) Illa patris benignitas, quæ filium prodigum in ſe reverten-tem & ad Patrem redeuntem recipit cum amplexu & oſculo. Miſericordiâ enim motus cecidit in collum ejus, ruit in amplexus, & oſculatus eſt eum. (*Luc.* 15.) Paternum oſculum verè amicum ex charitatis viſceribus procedens. Sed qui cum patre ſuo redit in amicitiam, deſinat eſſe peccator; verè amicum, filiale cor patri demonſtret; non fictum, non hypocriticum, non dolo falſitatis repletum, nec cor ſicut Judæ traditoris è collegio Apoſtolico abortivi, & ex ſocietate Jeſu excluſi, cor ampli-

Lazarus Amicus Bonitatis D. exemplum.

Filius Prodigus.

Vera Converſio & Sanctitas.

ans supplantationem. Inde nec sanctitas ficta esse debet, sed vera; non apparens, sed realis; non adultera, sed sincera. Erit talis, si ad vocem JESU (*Joan 11.*) Lazare veni foras; è tumulo iniquitatis verè prodeat, resurgat, & ad rectam Sanctorum vitam se componat. Tum planè amicus Dei constituetur. Amicus dicitur alter ego; & sic amicus Dei alter Deus. Si ergò volumus ad participium Divinitatis legitimo tramite Christi & omnium Sanctorum aspirare, ut simus sicut Dii; (*Genes.3.*) debemus per fidem, spem & charitatem in Sanctorum venire consortium; Filii Dei fieri, membra Christi, ac demùm magnis ac heroicis actibus faciendo voluntatem Dei & ea quæ præcipit nobis per obedientiam irrefragabilem, exequendo in album amicorum Dei adscribi; ut etiam cum omnibus Sanctis Dei amicis mereamur in cœlis nimis honorificari. A B

Participium Divinitatis.

Summa Sanctitatis.

Gratulatio P. ac R.D. Abbati in Festo S. Stephani Proto-Martyris Anno 1684. pro die Colendæ à R.P. Priore nomine Conventûs facta.

Gaudium Olivæ de incolumitate sui Abbatis.

CORONATIO hesterna Regis Regum diademate, quo coronavit eum Mater sua; & hodierna triumphalis corona Proto-Martyris Christi, fecit hanc Coronam Fratrum ad Te venire P. & R. Domine: Quippe vel antiquorum fuit in more positum (Suida teste,) in tesseram amicitiæ, cum coronis & ramis Olivæ illis, quos propenso observabant affectu, obviam procedere. Potiori jure hoc nobis observantiæ debitum incumbit, in communi gaudiorum de coronato summo Rege applausu, Tibi P. & R. Pater, cum hac corona Filiorum Tuorum ramis & novellis Olivarum occurrere. Nimirum gratulabundi omnes, quod Te Superi incolumem & fortunatum nobis hactenus servavêre. Tu enim es Corona Olivæ nostræ, non modò quia infulatus Abbas, sed quia dignissimus Antistitum infulis. Tu corona immunitatis & libertatis S. Ordinis in Orbe Polono, dum ubivis Ecclesiarum Cathedralium quoque deperditus, in Te resuscitatus liberæ Electionis ad dignitatem amplissimus usus. Tu juxta magnum GilIebertum Abbatem, coronâ redimitus manes, cùm monitis & exemplis Tuis subjecti libant sanctitati. Sed quid memorem & enumerem virtutum & qualitatum Tuarum coronam, verecundiâ Tuâ prohibente? Patere tamen ut fulgentiores gemmas Coronæ Tuæ insertas, hosce Spirituales Filios Tuos proferam. Radiabant in pectore summi Israëlitarum Pontificis duodecim lapides pretiosi, memoriale duodecim tribuum Israël coram Domino. Radiant & in hac corona Tuorum Fratrum, Achates fidi DEO: radiant Saphiri amore Sapientiæ ætherei, & ad solis justitiæ fulgorem corusci: Radiant Carbunculi fervore virtutis incensi. Radiant Sardii devotione in DEUM ignis ad instar sursùm activi- C D

Corona Olivæ & S. Ordinis.

Rationale.

Lapides pretiosi tropol.

A activi. Radiant denique & alia gemmarum seu virtutum decora in hac Fratrum seu Filiorum Tuorum corona charitate & concordia fraternitatis aurea; ut non immeritò cum Apostolo quoque dicere possis: Quæ est nostra spes, aut gaudium aut corona gloriæ? nonne vos ante Dominum nostrum JESUM Christum estis in adventu ejus? Vos enim estis gloria nostra & gaudium.

Gaude igitur in Domino Pater Reverendissime Te Coronam esse Olivæ, & Olivam Tibi esse coronam gratulare, quia sub auspicatissimis initiis Tui regiminis affulgent magnæ spes; in quo sicut cœlum coronis syderum, ita Olivetum Tuum dans in tempore suo fructum, re-

B splendebit ampliùs & ampliùs coronis gemmisque virtutum. Apprecentur Tibi alii altiores Infulas, voveant alii pinguioris pretiosiorisque fortunæ opes: sed quia hisce evanidis non apponis cor Tuum sumis, solidius perenniusque exopto Tibi bonum, videlicet faveant Superi, ut integra sospitate videas Nestoris annuos soles, videas pariter Olivetum Tuum illis stelliferis gemmis numerosiùs coronatum, de quibus Propheta: Fulgebunt docti sicut splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Utinam! sub felici gubernio Tuo Olivæ lampades cœlestes, radiis doctrinæ & virtutis coronatæ ardeant & luceant Sacro Ordini, Ecclesiæ DEI. *Apprecatio Religiosa.*


C Utinam! scientiâ salutis illuminent his, qui in umbra mortis sedent. Quod præclarum bonum, dum curia cœlestis desuper gestit cernere, summisque præstolatur votis, ad hunc effectum benedic Pater Reverendissime præsenti Olivæ Tuæ coronæ.

Responsum P. & R. D. Abbatis.

ET quæ est gloria mea? nisi Vos (*Thessal.* 2.) P.R.F.D. Gaudium meum & corona mea in Domino, (*Philip.* 4.) corona pulchritudinis, corona charitatis aurea super caput meum. Et quæ coronis omnium votorum, nisi gloria DEI & gratia bonitatis ejus in *Corona Prælatorum subditi eorum.*

D vobis, adeoque ut gratiâ DEI nunc, & pòst gloriâ coronemini? Cùm præsenti tamen novo Sapientiæ DEI incarnatæ natalitio reciprocè vobis desuper voveo coronam sapientiæ, timorem Domini; (*Eccles.* 1.) cum hac corona novi anni benignitatis DEI (*Psalm.* 64.) opto vobis, ut sit benedictio Domini super vos, (*Psalm.* 128.) & sitis corona novæ ac semper renascentis exultationis in Domino. (*Eccl.* 1.) Et si ego ex beneplacito, judicio, & voto vestro sum Corona Olivæ, vos pretiosi lapides estis hujus coronæ, quam Dominus posuit in capite meo. (*Psalm.* 20.) Procul hinc corona superbiæ ebriorum Ephraim, quæ pedibus meretur conculcari. (*Isaia* 28.) Sed sit hìc corona justitiæ (ut expeto) reposita, quam reddet nobis Dominus justus Judex. (2. *Tim.* 4.) Interim ut hanc mereamur, portemus (quoad vivimus) coronam spineam cum Christo etiam in cunis eam gestante; coronam patientiæ cum *Corona Justitiæ.* *Corona Patientiæ.*

Divo Stephano hodie lapidibus coronato, & cum ſancta Glyceria, quæ non minùs jactu lapidum velut coronâ cincta coronam meruit martyrii; donec à DEO percipiamus immarceſcibilem gloriæ coronam; (1. *Petr.5.*) ſimusque omnes corona gloriæ in manu Domini & diadema regni in manu Dei noſtri. (*Iſaiæ 62.*) Denique in illa æternitatis corona pro obedientia, paupertate & mortificatione laureolam Martyrii, pro inſtructione aliorum & ſui adinvicem laureolam Doctorum, pro voto caſtitatis Virginum laureolam apprehendamus.



SYNOPSIS

Sermonum Capitularium ex ſecundo Tractatu.

TRACTATUS TERTIUS SERMONUM CAPITULARIUM

Ab Anno 1685. *ad Annum* 1686.

FACULTAS SUPERIORUM.

SErmones Capitulares R. D. M. A. H. A. O. imprimantur, quandoquidem ſerviunt omnium devotioni & eruditioni. Datum Landæ, die 15. Septemb. Anno 1688.

Fr. Joannes de Roxyce Zapolski, Abbas Landen. S. O. C. Vicarius & Commiſſarius Generalis per Regnum Poloniarum, Pruſsiam & Litvan. S. R. M. S.

CENSURA THEOLOGICA ex Ordinatione L. O.

EX voluntate R. P. Joannis Franciſci Hacki Rectoris Collegii Gedan. Societatis JESU; & Perilluſtris ac Reverendiſſimi D. JOANNIS GEORGII KUNIGK, J. U. D. Vladisl. Plocen. Varmienſ. Pultov. Canon. Officialis Gedan. Vicarii in Spiritualibus & per Pomeraniam Generalis S. R. M. Secret. commiſſione, Tractatus III. & IV. *Sermonum Capitularium* Perilluſtris ac Reverendiſſimi D. MICHAELIS ANTONII HACKI Abbatis Monaſter. B. M. de Oliva S. Ord. Ciſt. &c. revidi & perlegi cum guſtu ſpirituali Autore dignos, in quibus nullum verbum otioſum advertere potui, quin omnia ita aptè concinnèque cum Divini Eloquii ſententiis & ſenſu connectuntur, ut difficilè dignoſcere quis poſſit Sacram DEI & Autoris inter locutionem. Gedani in Parochia 6. Septembr. 1691.

ALBERTUS NIGRICI
Societ. JESU.

Sermo in Nativitate Domini. A

Natus est vobis Salvator & hoc vobis signum : invenietis infantem pannis involutum positum in præsepio Luc. 2.

Adventus Salvatoris in silentio.



Cce DEUS Salvator tuus venit, ô homo deperdite; citò venit salus tua. Sed quomodo? Venitne in sonitu, in tonitru, in clangore buccinæ & tubarum, ut olim ad Israëlitas, (*Exod.* 19.) in voce confringente cedros libani, (*Ps.28.*) in spiritu vehementi conterente naves Tharsis, B
(*Psalm. 47.*) Minimè. DEUS Majestatis veniens ad salvandum te, non intonuit. (*Psalm.28.*) Non est vox Domini concutientis desertum, (*Psalm. 28.*) non venit in turbine Dominus, nec in sono spiritus vehementis, (*Actor.2.*) non in spiritu grandi & forti subvertente montes & conterente petras, (*3. Reg. 19.*) non in commotione Dominus. (*Ibidem.*) Ita judicaturus hominem adveniet, nunc venit salvaturus. Adam qui perieras, ubi es? (*Gen.3.*) Ne dicas: vocem tuam audivi & abscondi me. (*Ibid.*) Cùm quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter perageret, omnipotens sermo Dei exiliens de cœlo à regalibus sedibus venit, (*Sap. 18.*) in silentio venit. Omni- C
potens sermo, Deus Verbum, per quod facta sunt omnia, (*Joan.1.*) jam Verbum Caro factum, (*Ibidem.*) verbum est infans, & jam videt omnis caro salutare DEI. (*Lucæ 3.*) Hoc vobis signum (*Idem c.2.*) nati Salvatoris primum; invenietis infantem. (*Ibidem.*) Si Salvator hominis cognoscitur ex eo, quòd sit infans, (infans à non fando dicitur) quòd non loquatur, quòd taceat; quidni salvandus homo insistat vestigiis ejus? Exemplum enim dedit nobis, ut quemadmodum ipse fecit & nos faciamus, (*Joan.13.*) si salvari velimus. Quidni salvandus homo per eadem silentii signa fiat manifestus, & in taciturnitate salutem su-

JESUS Infans exemplar S. Silentii.

am operetur? (*Phil.2.*) Non ergò in garrulitate & loquacitate, multò minùs D
scurrilitate, multiloquio aut vaniloquio salus. Non in contentione & æmulatione; non in lingua magna exaltante vel litigiosa, quæ ignis est & universitas iniquitatis teste Apostolo Jacobo c. 3.) tantò magis non in lingua dolosa, (*Psal. 51.*) detractoria, præsumptuosa salvatio. Denique vir linguosus non dirigetur super terram, (*Psalm.139.*) & si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio. (*Jacob.1.*) Cultus enim justitiæ silentium. (*Isaiæ 32.*) O Eva utinam tacuisses ad interrogationem serpentis, utique nec te, nec hominem perdidisses! Curiositas sciendi bonum & malum, vanitas scientiæ te ad colloquendum induxit, collocutione seduxit & interfecit. Primum igitur & Salvatoris signum & salvandi est infantia.

Vitia Linguæ.

A infantia. Ubi infantia, ibi innocentia; & sic ad prima principia primigenii statûs, in quo à Deo creatus est homo, salvandus reducitur. Sed & à bonis quandoque silendum ad exemplum Regii Vatis, (*Psal.* 38.) quantò satiùs à malis? Sed quid Salvatori cum pannorum involucro? hoc enim secundum signum est. Multum per omnem modum. Venit utique Verbum infans, Filius Dei factus filius hominis, ligatus manus & pedes; venit non suam, sed Patris quin & Matris facere voluntatem. (*Joan.* 6.) Involvitur pannis, ut se non proprii sensûs ductu, non propriæ voluntatis motu, sed alieni regiminis actu duci & gestari manifestet, factus obediens usque ad mortem. (*Philip.* 2.) Et hic

IESUS Pannis involutus Obedientiæ Idea.

B Salvator? Quid nos? ergone credimus nos aliter salvandos, quàm per ligamenta obedientiæ? si sic credimus, erramus. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata, est axioma æternæ Veritatis *Matth.* 19.) Esto obediens; ausculta præcepta Magistri (ait *S. Bened. in Regula.*) si es in schola salutis tuæ procurandæ. Qui auscultat, supponitur tacere. Ad Deum non datur regressus nisi per obedientiam ut nempe (pergit ultrà magnus Legislator) ad eum per obedientiæ laborem redeas, à quo per inobedientiæ desidiam recesseras. Adam utinam pannis obedientiæ fuisses involutus, utinam DEO imperanti satiùs obtemperâsses, quàm Evæ tuæ propriæ voluntatis illicia secutus fuisses! non te

Adæ inobedientia.

C vidisses nudum, nec tunicis pelliceis eguisses. (*Gen.* 3.) Ecce novus Adam Salvator tuus, factus quasi unus ex nobis, (*Ibidem.*) pannis involvitur, ut tuæ rebellis voluntatis nuditatem imò pravitatem tegat, & sic per exemplum obedientiæ suæ te ad DEO obsequendum reducat. Jam verò cur pro tertio signo Salvator infans pannis involutus in præsepio reclinatur, nisi ut salvandus homo per memoriam conditionis suæ in imo humilitatis collocetur? Ita sanè: quia omnis caro fœnum, (*Eccl.* 14.) Verbum Caro factum (*Joan.* 1.) in præsepio fœni loco reponitur, ut carnalis homo humilietur sub potenti manu DEI (1. *Petr.* 5.) veluti

IESUS in præsepio Humilitatis prototypon.

D Nabuchodonozor ut bos fœnum comedens, (*Daniel.* 4.) infima requirat & jumentum Domini se reputans ad humilitatis præsepe descendat. Petit Propheta Isaias *c.* 45.) aperiri terram & germinare Salvatorem. Apertio terræ est effossio sepulchri, est descensus ad inferiora, est excavatio præsepis, exinanitio humilitatis, & inde procedit, inde ascendit germen salutis. Qui se putat aliquid esse cùm nihil sit, ipse se seducit: (*Gal.* 6.) ad perditionem, non ad salutem se reducit. Ita proinde P. R. F. D. natus est nobis Salvator, natus infans, natus pannis involutus, natus in præsepio positus, ut & nos sic nascamur ad salutem, ut cognoscamus primordia salutis nostræ sita esse in infantia silentii, in involucris obedientiæ, in præsepio humilitatis. Hæc prima salutis nostræ limina, hæc nostræ ad salvationem tendentiæ signa, tacere, obedire, humiliari: qui caret istis, nec in limine est salutis. Hinc ad pueritiam vitæ Christiformis ab hac infantia ascendemus, ut cum puero Salvatore proficiamus in

Initia & indicia salutis.

Profectus Christiformis.

ſapientia & gratia apud Deum & homines, (*Lucæ* 2.) ſcilicet non tantùm providendo bona coram Deo, ſed etiam coram hominibus. (*Rom.* 12.) Ita progrediemur ad æmulationem chariſmatum meliorum (1. *Cor.* 12.) videlicet perfectæ abnegationis noſtri ipſius, amoris DEI ſuper omnia propter ſemetipſum, amoris proximi uti ſuiipſius propter Deum; donec occurramus in virum perfectum, in ætatem plenitudinis Chriſti, (*Epheſ.* 4.) ubi plenam & perfectam ſalutem per Salvatorem noſtrum Jeſum Chriſtum poterimus adipiſci.

Sermo Reverendi Patris Prioris nomine Conventûs in die Colendæ.

VErbum infans tacens, cùm ſuo de natalitio, mutuo univerſi loquitur geſtitque applauſu: operæ pretium duxit hæc corona Fratrum & Filiorum Tuorum, Tibi quoque Reverendiſſime Pater congratulari. Hujus feſtivæ apprecationis & votorum noſtrorum inſignia & xenia omni divite glebâ ſuper aurum & lapidem pretioſum multum pretioſiora, infantem DEUM (qui nobis datus, nobis natus) in manus tuas deponeremus, niſi eum jam lucè heſterna è ſinu æterni Patris excepiſſes, illi dulcia baſia impreſſiſſes, illum ſtrictis amoris amplexibus præcordiis tuis appreſſiſſes. Et verè centrum amoris noſtri incarnata Sapientia. Speciosus ille præ filiis hominum, cujus in labiis purpureis diffuſa gratia, vultus ejus roſa & lilium, mel & lac ſub lingua ejus, ocelli ſcintillantes, gemmulas lacrymarum amore noſtri ſtillantes, ut verè cum mellifluo Patre noſtro loquar. Dulcis eſt Jeſus in voce, dulcis in facie, dulcis nomine, dulcis in opere. Sive cum Sarmatico Orpheo accinam:

Amabilitas Infantuli JESU

Amemus: an Maſſilus aut noſtris riget
Alpinus in venis ſilex?
Amemus; en ut pronus Matris è ſinu
In noſtra pendet oſcula.
Qualis ſevera vel Gelonorum puer
Mollire poſſet pectora!
Ut lumen oris, ut renidentes genas,
Ut bina frontis ſidera,
Nivesque colli quasque purus & tener
Titan inauravit comas,
Eburneasque tendit in collum manus!
Ut annuit totus rapi!
Ut hoſpitali vagit admitti ſinu,
Stringique brachiis rogat!
Amemus; ut ſi non amare poſſumus,
Repentè poſſimus mori.

Imitatio Parvuli.

Verùm adeſt ille amabilis Puſio & hiſce in membris ſuis, qui cum

parvulo

A parvulo JESU effecti parvuli, submissione, simplicitate, rectitudine, parvuli affectûs teneritudine ergà Te Patrem suum, quisque eorum filialis cordis xenium Tibi repræsentat offertque Patri suo, juxta quod exoptas: præbe fili cor tuum mihi. Nec immeritò. Te enim in mitissimo Duce Israelis Moyse Patrem agnoscimus, qui Tibi à supremo Numine dici existimas, Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum & defer in terram scilicet promissionis, vel satiùs in terram viventium. Te in Paulo Orbis prædicatore Patrem veneramur, qui nos filios parturis Christo, donec formetur in nobis in virum perfectum ætatis plenitudinis suæ. Te Patrem Nutricium animæ nostræ esse lætamur, qui pro B deliciis panis vivi, qui de cœlo descendit, pro vino germinante virgines pretiosa nobis vasa confers & tribuis. Te Patre & pio Protectore oppressa subditorum refovetur calamitas, ad cujus levamen mille curis, laboribus, itineribus insudas; non sumptibus, non sanitati, non vitæ parcis. Te denique Promotore in spiritu, sacris literis, juribus, fortunis, decore, gloriâ viget, viret, floret, fructificat Oliva nostra. Et quidem hæc aliaque tuæ laudis decora, amæniori & uberiori orationis stylo exornari possent, verùm tua non patitur modestia, nec mea religiosa permittit verecundia: cùm vel maximè in libro vitæ æternis conscripta sint encomiis, temporalibus minimè debent obfuscari. Attamen C filialis gratitudinis est Reverendissimæ Paternitatis Vestræ collata in nos recolere beneficia, complecti affectum, reddere vicem teneræ & quasi infantilis cujusdam propensionis, ruere in sinum Patris nostri, in ejus amorem, honorem, obsequium, cujusdam xenii & doni instar nos totos consecrando, cum omnis felicitatis & optimæ incolumitatis in sera fata & plena sæcula solennissima apprecatione ac voto cordiali.

Mitissimus Vivorū Moyses. — *Paulus Lectus* — *Albatis Negotia.* — *Oliva florens.*

Responsum Reverendissimi Domini Abbatis.

ABbatem Patrem esse, & nominis è Sacro idiomate orti etymologia, & ratio Statûs & Sanctæ Regulæ dictamen manifestat. Sub- D jectos verò Abbati filios esse, ratio correlativa declarat. Quidni utriusque Mater dici debeat ipsa Religio Sacra Cisterciensis, quæ Regulâ Divi Benedicti & piis Ordinis constitutionibus veluti duobus uberibus nutrit universos? Jure merito proinde omnibus competit nomen parvulorum, cunctis servit status puerorum. Utique & ille magnus Pater gentium Abraham & Moyses supremus gentis Israeliticæ Dux ac Legislator & David Rex Judæorum fortissimus, nomine puerorum à S. Scriptura indigetantur; ubi non minùs Jacob sive Israel, totus videlicet populus electus nomine pueri connotatur & ab ipsa Matre DEI in cantico talis prædicatur. Sed quid dico? Ipse totius generis humani Servator & Messias Christus Dominus apud Isaiam *c. 8.)* nomen hoc sortitus est à DEO. Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in

Abbas Pater, S. Ordo Mater subditi filij — *Abraham Moyses David Pueri.* — *Israël puer.* — *Christus Puer.*

 quo

quo complacuit anima mea. Cùm verò Divus Legislator noster Ab- A
Abbatis officium pueri. batem Christi vices gerere asserat, nonne & ipsum pueri officium in se portare recognoscit, potissimùm quando exemplo Christi *Matth.* 20.) magis ministrare debeat, quàm ministrari? Quandoquidem ergò parvulus natus est nobis, (*Isaiæ* 9.) *Pueritia salutaris.* efficiamur & nos cum ipso parvuli. Verùm monet Apostolus 1. *Cor.* 14.) nolite pueri effici sensibus, sed malitiâ parvuli estote; sensibus autem perfecti estote. Malitiam dicit negativè, quòd eâ careant parvuli, ut & nos illâ privemur. *Obedientia fidei.* Simus autem pueri per audientiæ fidem (uti monet Hilarius.) *Simplicitas.* Simus parvuli per simplicitatem vitia corporis & animæ rescindendo, in quibus nulla sit macula. *Humilitas.* (*Daniel.* 1.) Simus pueri, ut speciem humilitatis Dominicæ circumferamus. B *Typus Parvulorum ex S. Hilario.* Simus parvuli, qui patrem sequuntur, (teste eodem Divo Hilario) matrem amant, proximo velle malum nesciunt; carent concupiscentiâ, & ideò curam opum negligunt; carent superbiâ & ideò non insolescunt: carent invidiâ; hinc non oderunt, amant veritatem, sic non mentiuntur, denique dictis credunt & obediunt. Nisi efficiamur tales parvuli, non intrabimus in regnum cœlorum. (*Matth.* 18.) Dum proinde in hisce natalitiis parvulum JESUM & vos P. R. F. D. velut membra ejus (1. *Cor.* 15.) tanquam parvulos ideò mihi pro strenâ offertis, ego reciprocè me talem vobis repræsento, sciens me insuper cùm omnia fecero (quod utinam fiat!) etiam servum inutilem C esse, (*Luc.* 17.) *Adhortatio ad Charitatem.* simulque eundem puerum Jesum vobis retribuens exoro, ut doceat nos comedere butyrum, (*Isaiæ* 7.) nimirum pinguedinem misericordiæ & compassionis ad invicem: mel, videlicet dulcedinem amoris & dilectionis in alterutrum; quatenus cum ipso taliter sciamus reprobare malum & eligere bonum. (*Ibidem.*) *Ad Profectum in Virtutibus.* Sit minimus è vobis in mille & parvulus in gentem fortissimam (*Idem c.* 60.) robore virtutum & multiplicitate meritorum. *Ad Pacem.* Stringo pedes parvuli Jesu Doctoris parvulorum, ut faciat vitulum & leonem & ovem simul morari, (*Isaiæ* 11.) ipseque Puer parvulus loco mei minet (*Ibidem.*) omnes & ducat ad locum pascuæ suæ, nec tumultuetur puer contra senem, (*Isaiæ* 3.) nec collidantur in utero parvuli, (*Genes.* 25.) nec sint D similes pueris sedentibus in foro & clamantibus ad suos coæquales: (*Matth.* 11.) cecinimus vobis & non saltâstis, lamentavimus & non planxistis, quæ omnia difformitatem, contradictionem, divisionem sonant; sed sint omnes unanimes, idipsum sentientes (*Phil.* 2.) & unius moris in domo: (*Psalm.* 67.) omnes enim in Christo unum sumus. (*Galat.* 3.) Si igitur filius mihi honorabilis (*Jerem.* 31.) Conventus meus Olivensis, si puer delicatus; (1. *Paral.* 22.) ecce & ego licet Pater sum, puer parvulus, & pueri quos mihi dedit Dominus, (*Isaiæ* 3.) erunt in signum exemplaritatis & in portentum (*Ibid.*) *Munus Aureum.* observantiæ disciplinæ regularis per unionem charitatis. Et quia hæc aurea est in aureo vase, aureum Paternum amorem fero, aureum filialem amorem referre volo;

ut &

A ut & ſoliditas auri & pretium & pondus etiam in minima ejus portione inveniatur in cordibus noſtris charitate vera ſimul junctis, ad laudem & gloriam illius, qui theſauros ſuos abſcondit à ſapientibus & prudentibus (*Matth. 11.*) in opinione & præſumptione ſua, ſed eos revelat parvulis (*Ibid.*) in oculis ſuis, parvulis in oculis hominum, in oculis DEI, qui humilia reſpicit (*Pſal. 137.*) & exaltat in æternum.

Abſcondita à Sapientibus.

Sermo in Circumciſione Domini.

Ut circumcideretur Puer Matth. 2.

B AB infantia ad pueritiam datur progreſſus. Natus Salvator infans, jam puer circumciſus. Ab infantia ſilentii, obedientiæ pannis, & humilitatis præſepi ad circumciſionem ſequitur aſcenſus. Et quæ hæc circumciſio Fratres mei? Nulla alia, niſi abnegatio ſuiipſius. In infantia ſilentii portamur ut humiles, & regimur ut obedientes ab aliis: in pueritia jam incipimus procedere. Hinc Puer JESUS proficiens & progrediens imò procedens circumciſus inclamat *Matth. 16.*) Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuam & ſequatur me. Sequimini P. R. F. D. Si infantiam tenuiſtis, progredimini ad pueritiam, exſpoliantes vosmetipſos exuite C transacto veteri anno veterem hominem cum moribus & actibus ſuis. (*Coloſſ. 3.*) Circumcidite vos, & induimini novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt cum hoc novo anno: induimini Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum (*Rom. 13.*) puerum circumciſum, ut & vos ſitis cum ipſo jam non carnaliter, ſed ſpiritualiter circumciſi. Ad hoc apparuit gratia Salvatoris noſtri omnibus hominibus erudiens nos, ut primò abnegemus impietatem, & poſtea ſecularia deſideria. (*Tit. 2.*) Procul à nobis impietas, qui pietatem ad omnia utilem ſectamur; impietas dico & ingratitudo ergà Deum Patrem luminum, (*Jac. 1.*) à quo omne datum & omne donum perfectum procedit. (*Ibid.*) Im-D pietas & ingratitudo ergà Eccleſiam Matrem, quæ nos DEO per baptiſmum genuit; ergà Religionem Matrem, quæ nos per profeſſionem generavit; ergà Olivam Matrem, quæ nos tam ſpiritualiter, quàm corporaliter paſcit & nutrit. Ergà Superiores, qui pervigilant tanquam Deo pro animabus noſtris rationem reddituri (*Hebr. 13.*) Ergà Fratres, qui nos invicem ſupportare, (*Coloſſ. 3.*) & alter alterius onera portare debemus. (*Gal. 6.*) Ergà pauperes, debiles & infirmos, quorum inopiam & indigentiam noſtrâ abundantiâ ſublevare tenemur. Abſit inquam omnis hæc impietas à nobis, quæ abneganda eſt, abrenuncianda & eliminanda per veram circumciſionem. Abneganda deinde ſecularia deſideria, (*Tit. 2.*) vanitas mundi, concupiſcentia oculorum & ſuperbia vitæ; (*1. Joan. 2.*) multò magis abneganda ſunt carnalia deſideria, quæ militant adverſùs animam; (*1. Petr. 2.*) præſcindenda concupiſcentia car-

Proficientium exemplar Chriſtus natus.

Circumcis. trepol.

Abnegatio ſui.

Impietas Ingratitudo &c.

Secularia deſideria & carnalia.

Gulæ Vitia. nis, amputanda voluptas. Cùm enim corpus hoc, quod corrumpitur, A aggravet animam, (*Sap. 9.*) ut quid ipsi indulgetur? Hæccine vocatio nostra, ut alamus cuticulam, gulæ illecebris inserviamus, bibamus vinum, in quo est luxuria; (*Ephes. 5.*) nutriamur croceis, (*Thren. 4.*) vestiamur mollibus, (*Matth. 11.*) adeoq; carnis curam faciamus in desideriis, (*Roman. 13.*) jam ferculorum exquisitorum, quæ fortè olim in *Cultus corporis.* seculo nec libavimus, jam indumentorum pretiosiorum & camisiarum subtiliorum, qui ex regula tenemur quærere & gestare, quod vilius comparari potest: imò quod carnem macerare debet, quod mortificet membra nostra, quæ sunt super terram, (*Coloss. 3.*) & in terram vertentur: ne hæc terrena habitatio gravet sensum meliorem animæ multa B pro gloria DEI & salute propria ac aliorum cogitantem. (*Sapient. 9.*) Hæccine sunt, quæ sectari debemus & non potiùs ea abnegare ac circumcidere? Respicite Fratres mei S. Ord. primordia, in quanta sim-*Austeritas Ordinis Primitivi.* plicitate animi, cum quanta austeritate vitæ, in quanto rigore disciplinæ jecerit fundamenta & fructum fecerit in domo Domini extendens palmites usq; ad mare, (*Ps. 79.*) & propagines mittens ad extrema terræ. Per talem abnegationem, per hanc circumcisionem stetit & crevit Ordo Sa-*Superfluum.* cer. Et nos quid? Cadimus & decrescimus per hæc superflua, per hæc maledicta præputia. Non quòd nos victu & vestitu privare debeamus, sed utrumque sobrietatis & abstinentiæ virtute moderari tene- C mur ac temperare. Sic dabitur nobis facilior in interioribus abnega-*Circumcisio Interior. Phantasiæ. Memoriæ. Intellectûs. Voluntatis. Renovatio Spiritûs.* tio, commodior internorum nostrorum fiet circumcisio: ubi phantasia ab imaginationibus vanis & præsumptuosis, memoria à cogitationibus illicitis; intellectus à proprio & privato sensu: voluntas à prava & perversa ad malum inclinatione simul ac à proprietate affectûs sunt præscindenda. Et hoc est verè abnegare semetipsum, hoc est spiritualiter circumcidi; hoc est renovari spiritu mentis, (*Ephes. 4.*) hoc est renovari ut aquilæ juventutem nostram (*Psalm. 102.*) abjectis pennis antiquis, sublatis veteris hominis exuviis, ad pueritiam novi hominis succrescere & pervenire circumcisos. Hæc sunt pueritiæ Christianæ rudimen- D ta ad Christi sequelam, per quæ ad constructionem viri perfecti in gestatione crucis Christiformis ascenditur. Jam hic consummantur dies *Perfectionis dies octo, & salutis.* octo, jam octo beatitudinum documenta exercentur, hic clarescit, hic elucescit & vocatur nomen JESUS, nomen salutis, nomen salvificum, nomen salutare; effectum sortitur in iis, qui taliter sunt circumcisi cum puero JESU circumciso, & pueri effecti per puritatem corporis & animæ, sublatis omnibus carnis impuritatibus, abjectis sordibus terrenis, abactis cunctis mundi superfluitatibus, expurgatis & extirpatis pravis affectibus universis, principium fiunt aliquod creaturæ DEI, (*Apoc. 3.*) *Novus Annus nova omnia.* imò nova creatura in Christo Jesu, (*2. Cor. 5.*) qui cum hoc novo anno utinam re ipsa dicat nobis! Ecce nova facio omnia, (*Apoc. 21.*) novam terram corporis, novum cœlum animæ per pueritiam circumcisionis

onis, per operationem abnegationis ex ea ergà DEUM, quæ nos mandato novo innovat, charitate.

Sermo in Epiphania Domini.

Ubi est natus Rex Judæorum? Matth. 2.

Proficiendum.

MActe animis omnes vos, qui infantiæ spiritualis rudimenta in silentio, obedientiâ & humilitate cæpistis, puerili simplicitate circumcisi, vosmetipsos abnegâstis; jam datur ascensus à parvis ad majora, ab infimis ad sublimiora, à teneris ad maturiora. Nunc jam viriliter agite & confortemini, (*1. Cor. 16.*) tendite ad virum perfectum ad ætatem plenitudinis Christi, (*Ephes. 4.*) uncti Domini, Regis Judæorum, (*Matth. 2.*) regios cum tribus Regibus induite animos & tot itinerum spatia, tot annorum curricula, tot virtutis labores emensi, quærite Dominum, dum inveniri potest, (*Isaiæ 55.*) interrogate diligenter de puero & investigate: Ubi est, qui natus est Rex Judæorum? (*Matth. 2.*) Ubinam creditis? P. R. F. D. Nusquam præterquam in cruce. Hic est gradus viri perfecti, ut tollat crucem suam & sequatur Christum. (*Matth. 16.*) Hæc est Regia via crucis. Non creditis? Credite vel titulo. Hic est JESUS Nazarenus Rex Judæorum, (*Joan. 19.*) Regia sedes, regius thronus, terrestre cœlorum regnum Crux. Adhucne dubitatis? vel ipsi regio Vati fidem adhibete asserenti *Ps. 92.*) Dominus regnavit, à ligno utique crucis. In hoc venit accipere sibi regnum. (*Lucæ 19.*) Num desunt regia insignia? minimè. En corona spinarum, diadema, quo coronavit eum mater sua (*Cant. 3.*) Synagoga. En sceptrum, clavi. En regalis purpura tincta pretioso sanguine Redemptoris, rubrum verè indumentum, vestimentum sicut calcantium in torculari, (*Isaiæ 63.*) torculari crucis. Hic planè fecit nos DEO nostro regnum & sacerdotes (*Apoc. 5.*) ipsemet Rex & Sacerdos, Rex omnium Regum, (*Apoc. 19.*) omnes sibi subditos volens esse Reges & regnatores super terram. Sed dicet aliquis. Quid cruci cum cunis? quid luctui cum gaudiis? quid ignominiæ cum gloria? Multum sanè Fratres mei. Ignominia & luctus crucis, est verum gaudium & gloria Christiani sequacis & imitatoris Christi, cui absit aliter gloriari, nisi in cruce Domini nostri JESU Christi. (*Galat. 6.*) Cunæ Christi fuêre initia crucis. Hic Rex fecit nuptias Filio suo (*Matth. 22.*) Regi per incarnationem desponsanti sibi naturam humanam, procedenti ex utero Virginis tanquam sponso de thalamo suo, (*Psalm. 18.*) quæ tamen nuptiæ coronidem acceperunt in thalamo crucis, ubi costam è latere eductam Evam, suam desponsavit sibi Ecclesiam, quam eodem sanguine suo acquisivit. (*Act. 2.*) In his proinde cunis jam apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri DEI secundùm misericordiam suam salvos nos facientis per crucem. (*Tit. 3.*) Nata victima sacra, holocaustum pro de-

Regum imitatio. *Christus in Cruce invenitur.* *Regnū Crucis.* *Crux cum gaudio.* *Cunæ Christi initiū Crucis.*

Obedientia. licto, (*Levit. 7.*) cùm diceret: (*Psal. 39.*) Ecce venio. Ad quid? ut facerem voluntatem tuam DEUS meus, volui (*Ibidem.*) nempe obediens factus usque ad mortem crucis. (*Philip. 2.*) Nec arbitremini Bethleem mihi excidisse ubi Rex natus est, quæ est domus panis vivi, qui de cœlo descendit, (*Joan. 6.*) adeoque me ad crucem exerrâsse. Nec hic procul abest crux, quod manifestant voces apud Prophetam *Jerem. c. 11.*) dicentium: Mittamus lignum in panem ejus. Sed & stella in Oriente apparens signum nati Regis, qui Oriens est ex alto, (*Luc 1.*) Oriens est nomen ejus, (*Zach. 6.*) quale præseferebat indicium? Crediderim non aliud, nisi signum crucis. Quod est signum Christi, est signum Christiani, signum Thau, (*Ezech. 9.*) quo signantur servi DEI in frontibus eorum: (*Apoc. 7.*) etiam primitùs in baptismo in hoc signo vicimus inimicū. Regnum ergò Regis Judæorum est Crux, quod regnum omnibus dominabitur (*Psalm. 102.*) Christi sectatoribus. Jam exinde ascensiones in corde nostro disponamus, (*Psalm. 83.*) æmulemur charismata meliora, (*1 Cor. 12.*) ut eamus de virtute in virtutem. (*Psalm 83.*) Et si jam facti sumus nova in Christo creatura, (*2. Cor. 5.*) cum Vase electionis (*Act 9.*) stigmata Domini nostri Jesu Christi in corpore nostro portemus, (*Gal. 6.*) mortificationem crucis in carne nostra circumferamus. (*2. Cor. 4.*) Mundus sit nobis crucifixus & nos mundo; (*Gal. 6.*) Christo configamur cruci, ut jam non nos sed ipse vivat in nobis (*Ibid. c. 2.*) Christus crucifixus Rex Judæorum, (*Matth. 27.*) Rex videlicet confitentium. Est confessio fidei & laudis, est confessio peccatorum, utraque necessaria ad salutem. Hæc respicit nos, qui in multis offendimus omnes, (*Jacob. 3.*) ut cum Regio Propheta dicamus *Psalm. 31.*) Confitebor tibi adversùm me injustitiam meam Domino. Illa respicit DEUM, ut corde credendo ad justitiam, confessio oris fiat ad salutem, (*Rom. 10.*) ac simul confessio laudis Divinæ honorificet nos (*Ps. 49.*) ad imitationem illorum 24. Seniorum, Regum planè ante sedem DEI deponentium coronas suas. (*Apoc. 4.*) Utroque modo confitentes esse tenemur, ut cum Rege Gaspare simus argentei per candorem castitatis, & desiderabiles montes per optatæ virtutis eminentiam, offerentes thus devotionis nos ipsos, hostiam sanctam, viventem, DEO placentem, (*Rom. 12.*) sacrificium immolemus in odorem suavitatis (*Levit. 8.*) velut Sacerdotes; cum Rege Balthasare simus possessores gratiæ Divinæ, seu doni maximi crucis (quos enim amat Deus, castigat. *Hebr. 12.*) myrrham passionis & patientiæ DEO consecrantes: cum Rege Melchiore simus Regis lumen per exemplum bonorum operum, vel Regius ignis per ardorem Regiæ charitatis, quæ est primum culmen virilis perfectionis & suprema omnium virtutum corona.

Quid cruci & Bethleem.

Signum Nati Regis Stella Crux.

Signum Christiani.

Mortificatio.

Confessio.

Gaspar. Thus.

Balthasar. Myrrha.

Melchior. Aurum.

Corona Virtutum Charitas.

Sermo

Sermo in Dominica I. post Epiphaniam Domini post visitationem Monasterii.

Ecce leprosus veniens, & puer meus jacet in domo paralyticus. Matth. 8.

NOn absque mysterio Ecclesia Sancta duas nobis infirmitates in hodierno Evangelio repræsentat; unam leprosi apertam, alteram paralytici occultam. Ille veniens, hic domi jacens, uterque graviter & periculosè ægrotus, duplicem nobis ægritudinem exteriorem & interiorem manifestat. Ecce leprosus, (*Matth. 8.*) & quis non timebit? (*Amos 3.*) Morbus contagiosus, pestifer, palpatus contaminat. Ecce monstrari digito & dicier; hic est, magnum est. Ecce vocat attentionem, stringit reflexionem, cogit respectum. Ecce leprosus pellit affectum, causat nauseam, parit detestationem. Ecce leprosus veniens terret animum, animat fugam, excitat abominationem. Leprosus veniens indicat infectionem, publicat malum, spargit contagionem. Ecce leprosus veniens præbet malum exemplum, societatem deturpat, lapis est offensionis & petra scandali, (*1. Petr. 2.*) utique in profundum maris potiùs demergendus ad mundandam lepram ejus. O leprose! utinam cum Naaman Syro Elisæum accessisses, (*4. Reg. 5.*) & consilio ipsius in Jordanis flumine septies te lavisses, & sic mundatus in publicum venisses! Sed factum est. Ecce leprosus veniens meretur extensâ manu JESU publicè tangi & mundari. Quàm benè leprosus mundatur, dum tangitur: quin dum ipse tangit alium, inficit, nec se à lepra liberat. Meliùs est leprosum tangi manu extensâ, quàm contractâ; manu protensâ, quàm abbreviatâ; manu domesticâ, quàm extraneâ: non tamen tangi & mundari potest, si abscondit lepram, si celat in sinu suo iniquitatem. Quæ tamen hæc lepra est? Lepra nostra Fratres superbia est, dum alios contemnentes, ambulamus in mirabilibus super nos. (*Psalm. 130.*) Lepra nostra præsumptio est, dum existimantes nos aliquid esse, cùm nihil simus, (*Galat. 6.*) ingerimus nos in ea, quæ ad nos haud spectant. Lepra nostra invidia est, dum livido oculo respicientes alios de eorum virtute cruciamur, quâ ipsimet caremus. Lepra nostra detractio est, dum nostri obliti, aliorum dicta vel facta censuramus, quæ tantò magis DEO odibilis, quantò altiores tangit personas. Lepra nostra diffamatio est, dum secretiora quæque contra alios propalamus, absentûm famam etiam falsis relationibus rodentes vel allatrantes. Lepra nostra inconstantia est, dum immemores professionis & stabilitatis nostræ quærimus vagari. Lepra nostra ira est vel odium, dum pravo corde adversùs alios malignamur, & venena malitiæ nostræ profundimus. Lepra nostra hypocrisis est, dum in proprio oculo trabem non videntes, in alieno

Infirmitas exterior & interior.

Lepra tropol.

Scandalum.

Superbia & Præsumptio.

Invidia.

Detractio.

Diffamatio.

Inconstantia.

Ira & Odium.

Hypocrisis.

lieno feſtucam obſervamus, (*Matth.* 7.) & eximere audemus; hypocriſis eſt inquam, dum ſpeciem pietatis circumferentes foris pellem ovinam præferimus, lupum intùs alentes; hypocriſis tertiò eſt, dum in nobis glutientes camelos, in aliis culices liquamus; hypocriſis quartò eſt, dum lyncei contra alios, ergà nos talpæ, non videmus manticæ, quid in tergo ſit. Lepra noſtra gula eſt, dum paupertatem ſanctam & ſimplicitatem antiquam ac parſimoniam in cibo & potu poſtponentes, ad ollas Ægypti ſuſpiramus. Nolo plures proferre lepras, quia & hæ jam ad nauſeam ſufficiunt. Lepras has nemo curat niſi Dominus; ſed leproſus venire, (*Matth.* 8.) accedere, approximare debet, ut tangi poſſit à Domino; ſibi imputet, ſi ab eo eſt, quòd minimè mundetur. Et hæc infirmitas eſt aperta, ſed occulta pejor, quando puer jacet domi paralyticus, venire haud poteſt, immobilis eſt, eſt inſenſibilis & inſenſatus, jam ibi requiritur, ut Dominus dicat *Ibid.*) Ego veniam & curabo eum. Paralyſis eſt morbus miſerabilis, quo pars membrorum tangitur, ita ut membra priventur ſenſu & motu & pars membrorum ſana idem cogatur participare. Paralyticus fæces ſuas ſub ſe egerit, jacet in ſuis ſtercoribus, nec ſentit. Quanta miſeria non agnoſcere ſuum malum, non advertere dedecus ſuum, non percipere fœtorem ſuum! Puero ſimilis eſt, alieno eget in omnibus adjutorio. Paralyticus jacet nec adjicit, ut reſurgat (*Pſalm.* 40.) velut inveteratus dierum malorum (*Dan.* 13.) nil conſiderat, nil percipit corde. Mortuo ſimilis eſt: nullum præſefert ſenſum; etiamſi domi eſſet incendium, licet ruinam minentur parietes, jacet antiquo oppreſſus veterno, an lethargo? paratus inter rudera ſepeliri. Paralyticus turpitudinem & ignominiam ſuam revelat (*Iſaiæ* 47.) nec curæ habet denudari, ſubſannari, contemni, conſpurcari, ſe & alia membra ſaniora conſpurcare. Non ſerviunt paralytico illa Centurionis verba *Matth.* 8.) Dico huic vade, & vadit; & alii, veni & venit: & ſervo meo fac hoc & facit, quia nec vadere, nec venire, nec facere quidquam poteſt; denique ad nihil aptus eſt, niſi ut locum occupet, & aliis ſit moleſtus. Procul à nobis hæ lepræ, hæ paralyſes P.R.F.D. & ſi quis fortaſsè aliquid ſimile vel in exteriori, vel in interiori homine expertus, recurrat ad Dominum, cujus eſt aliena ſanare mala, non detegere; pium etiam Patris reperturus affectum. In viſceribus enim miſericordiæ viſitat, (*Lucæ* 1.) ſcit compati & promptus eſt ut dicat: volo, mundare; (*Matth.* 8.) ego veniam, & curabo eum (*Ibidem.*) in charitate.

Sermo in Quinquageſima.

Quid tibi vis, faciam? Luc. 18.

Diluvium P.R.F.D. diluvium. Diluvium iræ DEI ſuper rebelles, diluvium amoris DEI ſuper obedientes. Et qui ſunt rebelles, niſi pecca-

A peccatores? Et qui ſunt obedientes niſi juſti? Scitis quale diluvium ſuper peccatores rebelles? Primum fuit aquarum diluvium, (*Gen.7.*) ut perderetur omnis caro, quia finis venerat univerſæ carnis, (*Ibid.c.6.*) quandoquidem fuit origo mali, omnis quippe caro corruperat viam ſuam (*Ibid.*) ambulans in adinventionibus ſuis. (*Pſalm. 80.*) Hinc & illi, qui in deſerto carnes appetierunt, (*Num.11.*) perierunt ab exterminatore. (*1. Cor. 10.*) Sed maximum & tremendum diluvium fuit ſuper Sodomam & Gomorrham, (*Gen.19.*) ubi Dominus pluit ſulphur & ignem à Domino de cœlo; & tale erit quoque ultimum, quando Deus pluet ſuper peccatores laqueos (*Pſalm. 10.*) deſperationum in extremo Judicio, ignis ſulphur & ſpiritus

Diluvium Iræ D. in rebelles Generale.

In Deſerto.

In Sodomam & Gomorrhã.

Extremi Judicij.

B procellarum pars calicis eorum: (*Ibidem.*) qui hic bibunt ſicut aquam iniquitatem, (*Job.15.*) ibi calicem iræ DEI haurient, ex quo bibent omnes peccatores terræ, (*Pſalm.74.*) quæ caro eſt. Terra enim eſt, & in terram ibit, in cujus meditullio ignis infernalis, ignis devorans, nec conſumens: (*Deut.9.*) ibi erunt ardores ſempiterni pro carne peccaminoſa. Et ſicut in diebus Nóè erant comedentes & bibentes, ac tum ſupervenit diluvium aquarum, (*Gen. 7.*) ita in diebus noviſſimis gulæ & carni inſervient, prout & nunc faciunt, Bachanalia celebrantes, ac tum derepentè veniet ſuper eos diluvium igneum; ut ipſa contra peccatores pro DEO pugnent, aquarum & ignis elementa. Sed ut hæc diluvia

Gehenna.

Bachanalia.

C iræ Dei ſint procul à nobis; ſimus procul à cauſis diluvii, à concupiſcentia carnis; rebellem carnem comprimamus, carnalia deſideria, quæ militant adversùs animam (1. *Petr. 2.*) compeſcamus, & carnem ſpiritui qui DEUS eſt, & cujus particulam in anima poſſidemus, nos qui ſpirituales ſumus, ſubjiciamus: & ſic obedientes ſpiritui, juſtitiam ſpiritûs ſectantes, diluvium amoris DEI merebimur. Dominus enim tale diluvium inhabitat, & inhabitare facit, (*Pſalm. 67.*) ubi fluminis impetus lætificat civitatem DEI. (*Pſalm. 45.*) Sed quis eſt, qui hujus diluvii habet participium? Nemo niſi juſtus. Juſtus enim eſt Dominus & juſtitias dilexit. (*Pſalm.10.*) Et quis eſt juſtus, niſi timens Dominum, rece-

Concupiſcẽtia Carnis.

Diluvium Amoris D. ſuper Juſtos.

D dens à malo & faciens bonum? (*Job. 1.*) videlicet obediens mandatis Domini, ambulans cum Deo, (*Gen.5.*) & ſequens Deum. Miratur Propheta *Pſalm. 30.*) Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te! ac ſi diceret: Quàm magnum dulciſſimi amoris diluvium in anima abſconditum iis, qui timent Dominum offendere, ac ideò in omnibus ipſi obediunt! Sed ecce mirabile diluvium gratiarum DEI! ubi abyſſus miſeriæ invocat abyſſum (*Pſalm.41.*) miſericordiæ; cæcus in tenebris conſtitutus petit luminis viſionem: Author gratiæ interrogat *Luc.18.*) Quid tibi vis, faciam? Itane Domine requiris à nobis, quid nos velimus, ut hoc quod volumus, Tu nobis facias? Ita ſanè. Quod nos volumus, hoc Deus agit. Volumus bonum, bonum nobis datur à Domino; volumus malum, malum nobis confertur, ut unicuique juſta fiat retributio. (*Lucæ 14.*) Abyſſus

Timor DEI.

Diluvium Gratiarum D.

Voluntatem timentium ſe faciet D.

humanæ malitiæ, diluvium peccatorum, invocat abyssum (*Psalm.* 41.) A
Divinæ justitiæ vindicativæ, petit inundationem pœnarum. Conformat se DEUS actionibus nostris, ut quales nos ergà ipsum sumus, talis & ipse ergà nos sit: quod volumus, hoc facit. Quàm benè magnus Augustinus! Dicimus, voluntate homines esse miseros, non quod miseri esse velint, sed quod in ea voluntate sunt, quam etiam ipsis invitis, miseria sequatur, necesse est. Voluntas ergò nos facit & miseros & beatos.

Quomodò voluntariè quis miser? sent. Augustini.

Totum habet, qui bonam voluntatem habet, (dicit idem SOL Doctorum.) Sola bona voluntas sufficere potest, si cætera non sint, si autem sola deest, nil prodest, quidquid habitum fuerit.

Quanti bona Voluntas?

Sed cæca est voluntas nostra, caret lumine judicii, impetu ducitur. In aliis vult, & B
non vult pigra, (*Prov.* 13.) tota die concupiscit & desiderat: & talem in se expertus in initio conversionis suæ prædictus Præsul Hipponensis. Cùm deliberarem & servirem Domino Deo meo (ait) ego eram qui volebam, ego qui nolebam. Nec plenè volebam, nec plenè nolebam, ideò mecum contendebam & dissipabar à me ipso.

Voluntatis nostræ infirmitas

Sanctus Pater noster in diversis diversam observat voluntatem. Voluntas (inquit) alia sicca est in reprobis, alia recta in inchoantibus, alia devota in proficientibus, alia beata in consummatis.

Voluntas sicca, recta, devota, beata.

Sed dicet aliquis cum Doctore Gentium *Rom.* 7.) velle adjacet mihi, perficere autem non invenio. Verum est, quod duo sint juxta Boëtium, quibus omnis humanorum actuum C
constat effectus; voluntas scilicet & potestas. Sed juxta Pelusiotam in spiritualibus quibus adest voluntas, iisdem & facultas non deest.

Inter velle & posse quid interfit?

Unde benè ore aureo Chrysostomus monet: In te est ut possis, quia in te est ut velis; ita enim velle efficit nolle non posse. Nec quisquam poterit excusari, quia voluerit & non potuerit: cùm constet illum, idcircò non potuisse, quia noluit, & nolens exemplo volentis damnatur.

Nolle in causa est, non posse prætenditur.

Sufficit ergò si velis ut oportet, (ait idem aurei oris Doctor) & facias ea, quæ sunt volentis, tunc & DEUS faciet ea, quæ vis. Fratres mei, pax hominibus bonæ voluntatis, (*Lucæ* 2.) abundantia charitatis, diluvium amoris. DEUS (teste Divo Gregorio) non intuetur, quantum quilibet D
valeat, sed quantum velit.

Charitatis efficacia.

Vocavi & renuisti dicit DEUS *Prov.* 1.) nam si ipse vult, (ait Chrysostomus) nos autem non volumus; ad nostram salutem nihil proficiunt ea, quæ alioquin efficacia sunt. Nobis proinde attribuamus, quidquid accidit nobis.

Perditio tua ex te.

Qui vult esse bonus, (testatur Angelicus Doctor) nihil est quod impediat, etiamsi priùs esset improbissimus. Qui est peccator, rebellis, propria voluntate talis est, & diluvium iræ DEI justè patietur. Qui est justus, obediens, propriâ voluntate talis est & gaudebit diluvio amoris Dei, ad quod Tu DEUS nostras etiam rebelles compelle voluntates, ut omnia sint in benè volente charitate.

Obedientia Voluntaria.

Sermo

Sermo in Dominica I. Quadragesimæ

Ut tentaretur à Diabolo. Matth. 4.

Vita hominis militia & tentatio

Quemadmodùm tentatio, ita & militia est vita hominis super terram (*Job.7.*) P. R. F. D. Et sicut expositus est homo ad tentandum, ita compositus esse debet ad certandum. Primus homo à serpente per mulierem tentatus & victus nobis hæc negotia fecit, ita ut quævis creatura præferat, & tentaminum specimina, & molimina omnis tentationis fixa in nobismetipsis nempe radicem concupiscentiæ. Unusquisque enim (teste Apostolo Jacobo *c.1.*) tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus; & hæc est Eva nostra inducens nos ad peccatum, quia cùm tentationem conceperit per sensum delectationis & consensum voluntatis, parit peccatum (*Ibidem.*) peccatum autem generat mortem, (*Ibidem.*) & hi sunt gradus perditionis per has proles tentationis detestandas. Ac proinde nemo cùm tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur. (*Ibid.*) Et tentaverit sanè DEUS Abraham immolatione filii, (*Genes.* 22.) Jobum despoliatione omnium ac ipsiusmet sanitatis, (*Job.1.*) Tobiam tenebris cæcitatis: (*Tobiæ 2*) alia significatione intelligitur in his tentatio sicut & ibi de populo Israelitico dictum; (*Deut.13.*) tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis eum: aliâ ubi dicitur (*Jacob. 1.*) Deus neminem tentat: hæc enim (inquit Augustinus) seductionis est tentatio; illa est probationis. Hinc optat Regius Vates, (*Ps.* 25.) proba me Domine & tenta me. Unde cum oramus DEUM, (*Matth.6.*) & ne nos inducas in tentationem, intelligimus illam seductionis, non probationis, de qua Angelus Tobiæ: *c. 12*) quia acceptus eras Deo necesse fuit, ut tentatio probaret te. Et sic Abraham in tentatione est inventus fidelis. Sed & fidelis Deus est, qui non patitur justos tentari super id, quod possunt (*1. Cor. 10.*) verum facit cum tentatione proventum, ut possint sustinere. Novit enim Dominus pios de tentatione eripere, (*2.Petr.2.*) cum & sapientia in tentatione ambulet cum justo (*Ecclesi. 4.*) & timenti Dominum non occurrent mala sed in tentatione Dominus illum conservabit & liberabit à malis: (*Idem c.33.*) ac ideò subjungimus, sed libera nos à malo, (*Matth.6.*) Deus ergò intentator malorum est (*Jac.1.*) sive passivè sumendo, quod sit intentabilis, in se enim nullo malo pulsari aut tentari potest: cùm sit impassibilis & optimus, qui nec pati nec peccare, nec concupiscere potest; sive activè quod Deus nulli intentat mala, sive neminem excitat ad malé agendum, neq; tentat malos sed bonos duntaxat. Teste enim Divo Clemente, vir improbus non tentatur à DEO. Intentator proinde dicitur malorum, (*Jacob 1.*) quia nulla mala tentat, id est experitur & sentit tam in se, quàm in aliis, omnis mali expers, omni malitia carens, qui est Summum Bonum, & ideò neminem tentat ad malum, (*Ibidem.*) sed ad bonum probat

Eva tropol. Concupiscētia.

Gradus Perditionis.

Quomodo tentet Deus Abraham Job Tobiam Populum Israël?

Tentatio alia seductionis alia probationis.

Tentationis vim D. moderatur.

Deus intentator malorum.

probat, uti vaſa figuli probat fornax, ita homines juſtos tentatio tribulationis, (*Eccl.* 27.) ut ſic in paucis vexati in multis benè diſponantur: (*Sap.* 3.) DEUS enim tentavit juſtos & invenit eos dignos ſe, tanquam aurum in fornace probavit illos. (*Ibidem*) Igitur certum eſt tentationis ad malum fomitem eſſe in nobis concupiſcentiam, ſed ſubter te dicit Deus *Gen.* 4.) erit appetitus tuus, & dominaberis illius regimine rationis à DEO tibi datæ. Jam verò tentatio prima hominis venit à diabolo, qui antonomaſticè tentator appellatur. Ipſemet enim â pravitate Spiritus ſui tentatus & ſuperbiâ victus circuit quærens quem devoret, (*1. Petr.* 5.) ut hominem quem DEO ſimilem agnoſcit, à Deo per tentationes abſtrahat & ſeducat. Permiſit quoque ipſe DEI Filius, filius factus hominis, ſe tentari ab ipſo, (*Matth.* 4.) ut ſua tentatione noſtras tentationes ſuperaret, nobisque modum porrigeret hoſtem ſuperandi. Videte Fratres mei, quæ tentationis inſtrumenta tentator aſſumpſit. Nonne illa, quæ in mundo dominari aſſerit dilectus JESU diſcipulus *Ep.* 1. *c.* 2.) Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, concupiſcentia oculorum & ſuperbia vitæ. Et quidem in prima tentatione, carnis, in ſecunda, ſuperbia vitæ, in tertia, concupiſcentia oculorum reperitur. Et ſic diabolus per voluptates, honores & divitias ſternebat Chriſto præcipitium. Hæc ſunt arma diaboli contra nos, qui Chriſti ſumus; hæc tentandi nos & nocendi nobis inſtrumenta. Contra hæc quid opponemus? nihil aliud niſi arma juſtitiæ vota noſtra, quæ diſtinxerunt labia noſtra, (*Pſalm.* 65.) ut voluptates caſtitate, honores obedientiâ, divitias paupertate vincamus & peſſundemus. Nobis proinde credamus dictum ab Eccleſiaſte *c.* 2.) Fili accedens ad ſervitutem DEI, ſta in juſtitia, ut DEO reddas quod promiſiſti, & timore; qui enim ſtat, videat ne cadat (*1. Cor.* 10.) & præpara animam tuam ad tentationem. Nobis occinat ſemper Verbum Veritatis æternæ *Marc.* 14.) Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem. Quodſi omninò ex Divino beneplacito tentatio venire debet: monemur verbis Apoſtoli 1. *Cor* 10.) Tentatio vos non apprehendat, niſi humana, talis quæ videlicet poſſit ſuperari. Humanum enim eſt (dicit S. Anſelmus) ſentire tentationem & vincere: Angelicum eſt eam non ſentire ; diabolicum eſt maligna tentatione vinci, & ex malitia peccare. Ergò ſi poſſides animam tuam, in tentatione poſſide eam & ne facilè credas ei, (*Eccl.* 6) nec ſis inter eos, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt; (*Luc.* 8.) ſed expecta Dominum, (*Pſalm.* 26.) in quo eripieris à tentatione, (*Pſal.* 17.) viriliter age (2. *Tim.* 4.) bonum certamen certa, (1. *Cor.* 9.) non pugna in incertum quaſi aërem verberans, (*Ibid.*) caſtiga corpus tuum & in ſervitutem redige (*Ibidem.*) non tantùm hoc tempore Quadrageſimæ, ſed toto decurſu vitæ tuæ curſum conſumma: (2. *Timoth.* 4.) ſic age ut vincas. Gratias DEO, qui dat nobis victoriam per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum (1. *Corinth.* 15.) tentatum per omnia pro ſimilitudine

A litudine absque peccato. *(Hebr. 4.)* Beatus planè, qui ſuffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. (*Jacob. 1.*) Jure merito igitur nos Divus Jacobus exhortatur *c. 1.*) Omne gaudium exiſtimate fratres mei, cùm in varias tentationes incideritis. Variæ ſunt omninò: ſunt afflictiones, ſunt tribulationes à DEO, à dæmone, ab hominibus, à falſis fratribus immiſſæ, ſunt perſecutiones, labores, fatigationes, moleſtiæ, incommoditates. In his gaudendum nobis, gloriandum in tribulationibus, cùm ſciamus quòd probatio fidei noſtræ patientiam operetur, patientia autem opus perfectum habet. (*Ibidem.*) Unde DEUS in Apocalypſi cuidam dicit *c. 3.*) Quoniam ſervâſti verbum patientiæ meæ, & ego ſervabo te ab hora tentationis, quæ ventura eſt in orbem univerſum tentare habitantes in terra. Patientia eſt poſſeſſio animæ, omnibus nobis ſummè neceſſaria, qui Chriſtum patientem imitamur, in quo exultabimus; nunc ſi oportet contriſtari in variis tentationibus, (*1. Petr. 1.*) ut probatio fidei noſtræ, quâ fideles ſumus in certamine, fideles in ſervitio Dei, fideles in obſervantia regulari Ordinis Sacri, inveniatur in honorem, laudem & gloriam in revelatione Jeſu Chriſti, (*Ibid.*) in reſurrectione cum ipſo felici ac glorioſa, ubi in æternitate beata mercedem tentationum devictarum & bravium certaminis conſequemur.

Omne gaudiū in tribulationibus varijs.

B

Imitatio Patientiæ Chriſti.

C

Sermo in ſecunda Dominica Quadrageſimæ.

Neminem viderunt niſi ſolum JESUM. Matth. 17.

BEati oculi, qui JEſum vident ſpecioſum præ filiis hominum, (*Pſal. 44*) in quem deſiderant Angeli proſpicere (*1. Petr. 1.*) velut deſiderium collium æternorum; (*Geneſ. 49.*) qui vident Solem juſtitiæ, (*Malach. 4.*) lucem veram illuminantem omnem hominem venientem in hunc mundum: (*Joan. 1.*) qui vident ſplendorem paternæ gloriæ, figuram ſubſtantiæ ejus, (*Hebr. 1.*) & imaginem bonitatis illius. (*Sap. 7.*) Sed quinam oculi vident Jeſum? non alii niſi oculi Petri, oculi Jacobi, oculi Joannis. Cupimusne etiam nos videre Jeſum? quidni cupiamus? Simus Petri, firmi in fide, Simones, conſtantes in obedientia mandatorum Dei. Simus Jacobi, ſpe ſupplantatores inimici deſperati ad deſperationem ſuam nos pertrahentis, ſpe per patientiam expectantes. Simus Joannes, in gratia DEI, per charitatem radicati ſequamur Jeſum, à quo & aſſumimur & ducimur in montem excelſum ſeorſum, (*Matth. 17*) montem perfectionis religioſæ, à tumultu ſeculi per Sacrum Ordinem ſegregati, non alio motivo niſi ſalutis noſtræ adipiſcendæ. In montem exercitiorum ſpiritualium, in quibus non decem duntaxat dies, ſed totum vitæ noſtræ tempus impendere tenemur propter ſalutem noſtram. Aſcendamus in montem Thabor, qui eſt electio, ut ſimus inter paucos electos: in montem Thabor, qui eſt contritio ſive confra-

Tradicata Chriſti.

D

Oculi Petri Jacobi Joannis vident I.

Fides firma. Conſtans Obedientia. Spes patiens. Gratia DEI per Charitatē. Solitudo Perfectionis.

Exercitia Spiritualia.

Thabor quid? tropol.

ctio in Spiritu humilitatis & animo contrito, (*Dan.3.*) DEO servientes, pravos habitus nostros, malas inclinationes confringentes. In montem Thabor, qui est puritas; munditiem animæ & corporis sectantes, soli enim mundi corde DEUM videbunt. (*Matth.5.*) Habemus in hoc monte Moysen & Eliam nobis apparentes, Legem & Prophetas nobiscum loquentes, nos instruentes de JESU, de salute animæ nostræ, de excessu quem complere debemus in hac terrestri Jerusalem, ut simus cum JESU transfigurati, configurati morti ejus, nempe Crucifixi vivamus, in cruce moriamur, in cruce de excessu mortis nostræ, quando ad illam cœlestem transferemur Jerusalem, quæ est visio pacis, ubi complebuntur omnia, quæ scripta sunt, quæ nobis revelata sunt; nunc per speculum & in ænigmate (*1.Cor.13.*) ibi autem revelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformabimur, (*2.Cor.3.*) à claritate in claritatem, ubi eum sicuti est facie, ad faciem videbimus (*1. Cor.13.*) Interea posteriora ejus cum Moyse respiciamus, (*Exod. 33.*) humanitatis ejus opera intueamur, vestigiis ejus pressè insistamus, ut ambulemus sicut & ipse ambulavit: (*1.Joan.2.*) ut abundemus magis (*1. Thessal. 4.*) in gratia DEI, in operibus bonis, in observantia disciplinæ regularis. Sed videamus R.P.F.D. ne aliquid aliud videamus nisi solum Deum. Hic solus nobis sufficit. Avertamus oculos nostros, ne videant vanitatem (*Psalm.118.*) mundi. Pangamus fœdus cum oculis nostris, (*Job. 31.*) ne ad carnis illecebras deflectant. Claudamus potiùs oculos nostros, ne videant malum, soli JESU videndo aperiamus illos. Ad hunc levemus oculos nostros, qui habitat in cœlis. (*Psalm.122.*) Interim non taceat pupilla oculi nostri dies anteactos vitæ nostræ deplorantes, in amaritudine animæ nostræ, (*Job.10.*) unde minimè retro respiciamus, cum Israelitis ad ollas Ægypti aspirantes (*Exod.16.*) ad Sodomæ & Gomorrhæ incendia cum uxore Loth oculos reflectentes, (*Gen.19.*) eam conversationem, quam in seculo reliquimus, deseruimus, projecimus, non repetentes; sed ad anteriora nos extendentes persequamur bravium vocationis nostræ, quæ est in Christo JESU, (*Philip.3.*) in sola & unica salute animæ nostræ perquirenda: Frustrà laboramus Fratres mei, invanùm fatigamus nos, supervacuè observamus Regulam Sanctam, disciplinæ regularis incommoda absque ullo fructu sustinemus, in incertum pugnamus, aerem verberamus, (*1.Corinth.9.*) si solum videre Jesum, si solam animæ nostræ salutem non curamus. Quid nobis proderunt vigiliæ? quid jejunia? quid chameuniæ? quid disciplinæ & reliquæ corporis afflictationes? Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum dicit Dominus? *Isaiæ 1.*) Si in his omnibus non solùm respicimus JESUM, ut videlicet in meritis ejus fundati, in eum transformemur, comparticipationem ejus passionis in nobis exprimentes, hoc sentiamus in nobis, quod & in Christo Jesu, qui cum in forma esset Dei, formam servi assumpsit (*Philip.2.*) transfiguravit se ut nos doceret transfigurationem

Margin notes:
Moyses & Elias Lex & Prophetæ.
Transfiguratio Mystica.
Posteriora Christi opera imitanda.
Oculus rectæ Intentionis.
Oculus Pænitentiæ.
Stabilitas.
Frustra omnia, si ante omnia non est salus animæ.
Chameuniæ.
Qualis Transfigurationis forma Christus.

Margin letters: A B C D

A tionem veram, per quam à prætereunte figura hujus mundi (*1. Cor. 7.*) avulsi, ex servis peccati, ex mancipiis dæmonis in filios DEI transmutati soli JEsu conformemur & vivamus nos in ipso, jam non nos, sed vivat in nobis solus JESUS, (*Galat. 2.*) ipsi omnia attribuentes, sine quo nihil possumus facere, (*Joan. 15.*) cùm omnis sufficientia nostra ex ipso sit, (*2. Cor. 3.*) ex quo omnia, in quo omnia, per quem omnia (*1. Cor. 8.*) qui est fons vitæ, (*Psal. 35.*) fons luminis. Scitis Fratres, quòd oculus lumine privatus nihil videt, homo ambulat in tenebris, nescit quò vadit. (*Joan. 12.*) Oculus animæ nostræ est intellectus: hic si non est illuminatus lumine fidei, lumine gratiæ Divinæ, cæcus est. Nam hæc est vita æterna,
B ut cognoscamus te DEUM verum, & quem misisti JEsum Christum. (*Idem c. 17.*) Maneamus igitur in lumine hujus cognitionis, ne tenebræ peccatorum nos unquam comprehendant, (*Idem c. 12.*) ne ex statu vitæ in regionem umbræ mortis (*Isaiæ 9.*) exerremus. Dum lucem habemus, ambulemus in luce, ut filii lucis simus: (*Joan. 12.*) Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ. (*1. Joan. 1.*) Sequamur Deum solum, sequamur Jesum solum, qui est Deus benedictus in secula, (*2. Cor. 11.*) & habebimus lumen vitæ æternæ, (*Joan. 8.*) ubi in lumine gloriæ videbimus lumen (*Ps. 35.*) illud inaccessibile & admirabile, (*1. Pet. 2.*) illud inextinguibile, illud interminum & indeficiens, (*Eccli. 24.*) fontem sapientiæ Verbum DEI
C in excelsis (*Eccli. 1.*) Jesum. Quæ sursùm sunt quæramus, ubi Jesus est, & quæ sursum sunt sapiamus, (*Col. 3.*) ubi est visio beatifica, ubi videbunt oculi nostri salutare Dei, (*Lucæ 2.*) & qui non satiantur visu, ibi satiabuntur cùm apparuerit gloria DEI (*Psalm. 16.*) in Christo JESU Domino nostro. (*2. Timoth. 1.*)

Nil, sine Deo.

Intellectus sine Fide & Gratia D. cæcus.

Perseverantia

Lumen gloriæ & Visio Beatifica.

Sermo in Dominica Quadragesimæ Tertia.

Fient novissima hominis illius pejora prioribus. Luc. 11.

CUjus hominis P. R. F. D.? Illius sanè, qui more Pharisaico emun-
D dat id, quod deforis est calicis & paropsidis, intùs autem plenus est immunditiâ: (*Matth. 23.*) illius qui similis est sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa; intùs verò plena sunt ossibus mortuorum & omni spurcitia. (*Ibid.*) Hæc est domus hominis scopis mundata (*Idem c. 12.*) & vacans; hominis, qui curat exteriora & negligit interiora, qui in exercitiis spiritualibus scopis confessionis generalis & contritionis expurgat quidem conscientiam, sed postea vacat ab iisdem exercitiis spiritualibus, minimè continuat illa, nec proposita bona in iis stabilita tradit executioni, torpet otio, diffluit desidiâ, ignaviâ fervorem exercitiorum relaxat. Ubi verbum Dei cadit super petram, (*Luc. 8.*) & post casum arescit, quia non habet humorem veræ devotionis. Ubi cum gaudio suscipitur verbum, sed radices non habet, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt, (*Ibid.*) quando im-

Hypocritæ typus.

mundus spiritus rediens, assumit septem spiritus nequiores se, (*Matth.* A
12.) septem capitalibus peccatis hominem impugnat. Utinam saperet
talis homo & intelligeret ac novissima sua prioribus pejora (*Matth.* 12.)
provideret! (*Deut.* 32.) Quia non qui cæperit, sed qui perseveraverit

Imitatio Christi Primi & novissimi.

usque in finem; hic salvus erit. (*Matth.* 24.) Dicit de se DEUS apud
Isaiam *c.* 41.) idem resonat Filius DEI in Apocalypsi *c.* 1.) Ego pri-
mus & ego novissimus; ut & nos imitatores DEI, (*Ephes.* 5.) imitatores

Perseverantia.

Christi simus & curemus esse uti primi, ita novissimi, sicut benè
cæpimus, ita in bono perseveremus; sic primitias spiritus habentes (*Rom.*
8.) agamus, ne cum spiritu cæperimus, carne consummemus, (*Gal.* 3.)

Novissima Voluptatis.

& consumamur: cujus voluptas ingreditur blandè, sed in novissimo B
mordet ut coluber, (*Prov.* 23.) & sicut regulus venena diffundens: ita
planè novissima carnis, novissima mundi amara quasi ablynthium & acu-
ta quasi gladius biceps. (*Prov.* 5.) Est via quæ videtur homini justa,
novissima autem ejus deducunt ad mortem. (*Prov.* 14.) Vide ergò mo-
net Sapiens *Ibid. c.* 23.) ut non æmuletur cor tuum peccatores, sed in ti-
more Domini esto tota die & habebis spem in novissimo, & præstola-

Tentationes post Exercitia augentur.

tio tua non auferetur. Viriliter age (*Psalm.* 26.) resistendo tentationi-
bus, quæ post exercitia augentur, confortetur cor tuum in observatio-
ne propositorum bonorum & sustine Dominum; (*Ibidem.*) gratiam ejus
implora, ut qui dedit velle, det etiam perficere pro bona voluntate sua. C

Exercitia Spiritualia sunt diluculum.

(*Phil.* 2.) Unde si diluculo, (teste Job *c.* 8.) consurrexeris ad Deum
(diluculum nostrum sunt exercitia spiritualia, ubi nobis gratia Dei di-
lucescit, ubi quisque sibi primus, quisque sibi ultimus) &
omnipotentem fueris deprecatus: si mundus corde mundo, con-
scientiâ mundâ, à vitiis expurgatâ & rectus rectitudine vitæ non decli-

Neq; ad dexteram, neq; ad sinistram.

nans ad dexteram (*Prov.* 4.) felicitatis mundanæ vel ad dexteram volu-
ptatis carnalis per consensum, nec ad sinistram adversarii allicientis, ad-
versitatis occurrentis per dissensum impatientiæ, si inquam ita mundus
& rectus, nec vacans sive otiosus incesseris, statim evigilabit ad te lu-
men gratiæ Divinæ, & pacatum reddet habitaculum justitiæ tuæ. D

Profectus in Spiritu.

(*Job.* 8.) Non habebunt in eo locum septem spiritus nequiores, in tan-
tùm, ut si priora tua fuerint parva in initio conversationis factæ ad De-
um & in principiis spiritualibus, & novissima tua multiplicabuntur nimis,
nec fient pejora sed meliora prioribꝰ, quando justitia tua velut lux splendens
procedet & crescet usque ad perfectam diem. (*Prov.* 4.) Audi igitur consi-
lium Patris sapientis & spiritualis & suscipe disciplinam regularem docet
Rex sapientissimus, ut sis sapiens in novissimis tuis. (*Prov.* 19.) Semita
enim vitæ super eruditum, (*Ibid. c.* 15.) qui eruditur & erudit se; exercita-
tur, & exercet se & scopat spiritum suum (*Psalm.* 76.) continuò, nec
vacat ab oratione, humiliatur in exercitatione sua; recumbit in novissi-
mo loco, (*Lucæ* 14.) memoratur novissima sua ne peccet; (*Ec-
clesi.* 7.) novissimam tubam (1. *Corinth.* 15.) sibi insonantem audit,
ut

A ut declinet de inferno noviſſimo, (*Prov.15.*) ſequitur non primum Adam, qui factus eſt in animam viventem, (*Gen.1.*) quæ in ſanguine eſt, imò in ſanguinibus carni dedita, animam ſpiritualiter morituram: ſed noviſſimum Adam, qui factus eſt in ſpiritum vivificantem (*1.Cor.15.*) carnis facta mortificantem (*Rom.8.*) & quærit aſſimilari ei, qui æſtimatus fuit deſpectus & noviſſimus vir virorum, vir dolorum: (*Iſaiæ 53.*) hic talis ridebit in die noviſſimo; quia in carcere corporis ſui curat Deo reddere omnia usq; ad noviſſimum quadrantem. (*Matth.5.*) Hæreditas illa cœleſtis ad quam feſtinatur ab initio & poſtea zelus ille fervoris remittitur, in noviſſimo benedictione carebit dicit Sapiens *Prov.* 20.) Ergò conjungere DEO
B docet idem *Eccl.* 2.) & ſuſtine, id eſt tene cæptum iter, progredere conſtanter, cura de die in diem proficere, ut creſcat in noviſſimo vita tua. (*Ibid.*) Cor enim durum, non flexibile ad bonum, non facile ad obedientiam, habebit malè in noviſſimo; (*Eccl.3.*) & qui amat periculum, peribit in illo juxta mentem Sapientis *Ibid.*) qui non evitat occaſiones peccandi, conſortia prava non declinat; noviſſimus error fit pejor priore, (*Matth.27.*) & ipſa vitæ noviſſima pejora prioribus. (*Idem c.12*) Abſcondam faciem ab eis dicit DEUS & conſiderabo noviſſima eorum. (*Deut.32.*) O ſumma hominis infelicitas viſione DEI privari! Filioli exhortatur dilectus JESU Apoſtolus *Ep. 1. c.2.*) noviſſima hora eſt, deſtru-
C amus hic noviſſimam inimicam mortem peccati, (*1. Corinth. 15.*) mortem animæ noſtræ, ut fiant noviſſima noſtra Sanctorum ſimilia (*Num.* 23.) & felices ac beati reſuſcitemur cum iis in noviſſimo die. (*Joan.* 11.)

Vetus homo noſter. — *Mors ſecura.* — *Societas prava* — *Noviſſima.*

Sermo in Dominica Quadrageſimæ quarta.

Fugit iterum in montem ipſe ſolus JESUS. Joan. 6.

ITeratus Salvatoris noſtri per fugam in montem receſſus, quidni ſalvandos docet, ſuas quoque cùm opus eſt reiterare fugas? Nec pudor
D eſt fugere, ubi ſalutis negotium adeſt. Si Author ſalutis fugâ quandoque ſibi conſuluit, & docuit ſequaces diſcipulos ob perſecutionem ex una in aliam fugere civitatem; (*Matth.* 10.) ſi mulier amicta ſole, lunam pedibus calcans, 12 ſtellarum coronâ armata, (*Apoc.* 12.) Eccleſiæq; referens figuram dum ſalutis partum feciſſet, ab inſidiis draconis perſequentis fugit in ſolitudinem; (*Ibid.*) nonne jure merito quisque ſalutis amans fugæ præſidium ſumat, ubi cernit ſibi ſalutis periculum imminere. Fuga talis victoria eſt, imò hoc artis eſt etiam fugiendo hoſtem ſuperare. Non tamen nobis cum Jona (*c.1.*) fugiendum à facie Domini eſt; benè enim monet Regius Vates *Pſalm.138.*) Quò ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Non à Domino, ſed ad Dominum fuga capeſſenda. Quid mirum in vita fugere, ſi ipſa vita fuga eſt? homo enim brevi vivens tempore fugit velut umbra, neque in eodem ſtatu permanet (*Job.14.*)

Fuga ſalutaris. — *Signũ Magnũ.* — *Non fugiendũ à D. ſed ad D.* — *Vita præſens fuga.*

 Quid

Quid ergò illud eſt, quod nos ad fugam premere debet & terga vertere? A
Ponit primùm Sapiens exhortans *Eccl.21.)* Quaſi à facie colubri fuge peccatum. Fuga peccati ante omnia nobis neceſſaria eſt, ſi ſalvari volumus. Quàm res terribilis & execranda ſit peccatum, dicam ſequenti Dominica, nunc conſidero ſimilitudinem peccati cum colubro factam. Num ideò, quòd ille antiquus ſerpens callidior cunctis animantibus (*Gen. 3.*) ille coluber tortuoſus (*Job. 26.*) author ſit peccati? per invidiam enim diaboli peccatum intravit in mundum. (*Rom.5.*) An quòd inſidiosè ſe inſinuet, in animam peccati virus? An fortaſsè hic coluber formam habet baſiliſci, quòd necet intuitu, ideoque fugiendus. Quidquid ſit; ſerpens venenum geſtat mortiferum, peccatum contagione letali imprægnatum generat mortem, ideò ab eo qui ſalvari cupit, fugiendum. B

Fuge Peccatū ut Colubrum.

Particularia peccatorum docet Apoſtolus 1. *Cor. 6.)* fugienda, ubi monet Corinthios & per ipſos nos, fugere fornicationem, & hic eſt inimicus domeſticus concupiſcentia carnis; (*1.Joan.2.*) fugere ab idolorū cultura, (*1.Cor.10.*) & hic eſt hoſtis extraneus divitiarum avaritia, videlicet concupiſcentia oculorum: (*1.Joan.2.*) generaliter tamen Deus imperat per Jeremiam Prophetam. *c.51.)* Fugite de medio Babylonis, & hæc eſt ſuperbia vitæ, vana gloria, mundi vanitas, quæ hodie fugæ ſuæ exemplo Salvator regiam aſpernatus dignitatem monſtravit fugienda. O Homo DEI hæc fuge, in Timotheo nobis dicit Doctor gentium 1. *Tim 6.)* C
ubi radicem omnium malorum poſuit cupiditatem.

Fugienda Cōcupiſcentia Carnis.

Avaritia.

Superbia.

Fugite Fratres mei, fugite Babylonem, fugite confuſionem, fugite mendacium, deceptionem, illuſionem mundi, ubi regnat peccatum, ubi fons peccati cupiditas ſive concupiſcentia dominatur, ubi ſalutis perditio, æternæ mortis acquiſitio prævalet: ita tamen ut in pœna æterna mori cupient & mors fugiet ab eis. (*Apoc.90.*) Sed quò fugietis? In montem ipſe ſolus DEUS fugit; (*Joan. 6.*) ut etiam ad montis ſolitudinem ſe conferat ſuæ ſalutis ſtudioſus. Venite aſcendamus ad hunc montem; (*Michea 4.*) mons enim eſt, in quo beneplacitum DEO habitare in eo. (*Pſalm.67.*) In montibus ſalus: in monte ubi Dominus videt Abraham, immolat filium (*Gen.22.*) & repromiſſionem Meſſiæ ex ipſo naſcituri accipit. D
In monte loquitur Moyſes cum Domino facie ad faciem (*Deut.5.*) recipit legem Dei, fruitur Dei viſione. In monte Elias quoque meruit videre Deum. (*3.Reg. 19.*) In monte diſcipuli gloriam Domini ſpeculati ſunt? (*Marci 9.*) In monte magnus Apoſtolus & Evangeliſta novique Propheta unicus teſtamenti vidit Apocalypſin, (*Apoc.21.*) vidit omnia Eccleſiæ ventura & prædixit: quot verba, tot Sacramenta. Ipſe denique Dominus in monte ut plurimùm ſolus orat, (*Joan.6.*) abſtractus videlicet à valle miſeriæ terrenæ, à cujus conſpectu fugit terra; (*Apoc.20.*) cœlo vicinior, vult nos quæ ſurſum ſunt, quærere, quæ ſurſum ſunt, ſapere. (*Coloſſ.3.*) Solus ipſe JESUS fugit, ad amorem ſolitudinis nos invitans. Neque enim ſatis eſt, ſemel in anno decen-

Babylon Mundus.

Montes Solitudinis S.

A decendiali solitudini incumbere, fugit iterum JEsus, ut & nos toties, quoties necesse est, iterum fugiamus. Repetenda est sæpiùs solitudo dicendo cum Propheta *Psalm.54.)* Ecce elongavi fugiens & mansi in solitudine; solitudinem sibi pro habitaculo eligendo, habitando semper secum & cum Deo. Non enim loci solitudo facit solum, sed cordis & conscientiæ absconditum, interioris hominis adytum & abditum, animæ solius cum solo DEO conjunctio. O anima sancta esto sola, ut soli omnium DEO serves teipsam, monet S. Pater Bernardus. Ibi ait Propheta *Psalm.54.)* expectabo Deum, qui salvum me fecit à pusillanimitate spiritûs & tempestate. Festinabo (Hebraicus textus refert) ut

Exercitia Spiritualia.

Solitudo Cordis.

B salver à spiritu concitato, & tempestate passionum, à voce formidinis mundanæ, à ventura ira(*Luc.3.)* judicii Divini, à facie arcûs(*Ps.59.*)mortalis, ab increpatione DEI, (*Psalm. 103*) à facie gladii imminentis, (*Isaiæ 21.)* æternam pœnam inferentis fugiendo velociter, & ibi expectabo salutem ex festinatione fugæ per orationem ad Deum. Fuga in montem est fuga in DEUM. Levavi oculos meos in montes (inquit Propheta *Psalm. 120.*) unde veniet auxilium mihi, & infert; auxilium meum à Domino. Sic quando nullum in angustiis reperit effugium, (dicit *Psalm. 141.*) periit fuga à me, & non est qui requirat animam meam: nemo juvare potest, tandē refugium ad Deum. Clamavi ad te Domine dixi: Tu es spes mea

Fuga in DEUM.

Vita æterna.

C hic in terra (*Ibid.)* mortali; portio mea in terra viventium, (*Ps.141.)* ubi longè fugiet egestas à me, (*Prov.6.*) fugiet dolor & gemitus, nec mors erit ultra,(*Apoc.21.*) sed vita æterna. Talem fugā facere in nobis ipsis possumus, quando recollectioni internæ studemus pro conservatione solitudinis veræ, id est, vitæ nostræ monasticæ. Nihil enim Monachus est, nisi solitarius: qui talis non est, non est Monachus. Monet Verbum Dei *Matth.24.)* ne fiat fuga nostra in hyeme, quando frigus animi supervenit, languor spiritûs ingruit, calor internus charitate refrigescit. Verè tunc perit fuga etiam à veloce, (*Amos 2.)* qui in exercitiis spiritualibus volabat ad DEUM. Fuga nostra in æstate fieri debet,(*Matth.24.)* in fervore spiritûs, in ardore ani-

Monachus quid?

Fuga in hyeme.

D mi, in igne charitatis, ut curramus alacriter viam mandatorum Dei. (*Ps. 118.*) Deus ignis est, (*Deut. 4.)* & qui ad Deum accedit, igneus sit & ardens, necesse est. Idcircò cæptum salutis iter semper prosequendum, ignis enim nunquam dicit, sufficit; (*Prov. 30.*) neq; justus dicit: sufficit mihi, sic manebo. Verè tunc deficit non proficit: negligentiâ tepescit frigescit & rigescit. Fuge dilecte mi & assimilare capreæ hinnuloque cervorū(*Cant.8.)*supra montes Bethel(*Ib.c.2.)* suadet Sponsa Sponso; utiq; ut & ipsa simul fugiat unita dilecto suo, velut damula fugiens super montes Bethel, (*Isaiæ 13.)* id est domûs DEI, regni illius cœlestis, ubi mansiones multæ sunt, (*Joan. 14.)* ubi omnes erunt montes: in hac solitudinis fuga omnem conversationem in cœlis habens, (*Phil. 3.)* quò fuga ex hoc mundo, ex hoc ergastulo corporis erit felicissima.

Fervor Spiritûs.

Sermo in Annuntiatione B. M. V.

QVod Spiritus Sanctus ore Prophetico signum à DEO prædixerat inquiens, *Isaiæ 7.)* Ecce virgo concipiet & pariet filium & vocabitur nomen ejus Emmanuel: hoc verbum salutis missus à DEO Archangelus Virgini nunc annuntiat dicens *Luc. 1.)* Ecce concipies in utero & paries filium & vocabis nomen ejus JESUM, qui verus fuit Emmanuel, id est nobiscum Deus. Et hæc sunt salutis humanæ primordia per Virgineum conceptum & partum: hæc eadem salvationis hominum sunt documenta. Neque enim aliter salvari possumus, quàm concipiendo verbum salutis & pariendo. Væ nobis, si steriles fuerimus! maledictione namque sterilitas in Lege veteri notatur. Ipse Deus nobis præit exemplo apud Isaiam loquens *c. 66.)* Nunquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam dicit DEUS? Si ego qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus tuus? *Ibid.)* Sed hanc generationem in splendoribus Sanctorum ante luciferum (*Psal. 109*) ab æterno & in æternum, (*1. Paral. 16.*) ubi semper dicit Deus Pater filio suo (*Psalm. 2.*) Ego hodie, id est, in illo absque principio & absque fine æternitatis die genui te & genero: quis enarrabit? imò quis mente assequetur? Imitari tamen pro modulo, & quantum ipse DEUS nobis dedit, tenemur. Nec arbitremur secundam hanc Verbi Divini in carne ex Virgine generationem primæ esse absimilem. Ibi ex Patre sine Matre, hic ex Matre sine Patre nascitur Verbum Deus. Ibi Unigenitus in sinu Patris, (*Joan. 1.*) hic Primogenitus in sinu Matris, ut nobis daret potestatem filios DEI fieri, (*Ibid.*) adeoque & nos per ipsum adoptionem filiorum Dei reciperemus. (*Gal. 4.*) In quo tamen situs est hic conceptus & partus salutis nostræ? Dum mulier illa Evangelica exaltaret uterum Virginis Matris dicens; *Lucæ 11.)* beatus venter qui te portavit, manifestavit nobis ipsa Veritas æterna veram Matris suæ & nostrûm omnium beatitudinem subinferens; *Ibid.)* quin imò, beati qui audiunt verbum DEI (en conceptus mentis nostræ per aures animæ internas) & custodiunt illud: en partus Verbi Divini concepti per constantem bonorum operum executionem. In hoc beatitudo nostra fundatur, quod & ipsa determinatio nominis declarat, ubi dicitur apud Prophetam *Isaiam c. 7.)* & vocabitur nomen eius Emmanuel, id est nobiscum Deus. Verè enim Deus nobiscum est operans, ipse dat concipere, ipse dat parere, in nobis opus suum peragens & perficiens gratiæ suæ potentiâ velut virtute Altissimi nobis obumbrante. Nobiscum Deus: & quæ major felicitas, quàm Deum habere? cum DEO esse? Deum possidere? Manifestat & Evangelica nominis positio *Lucæ 1.)* Vocabis nomen ejus Jesum; id est Salvatorem. In ipso enim est vita, salus & resurrectio nostra; sine ipso nihil possumus facere, (*Joan.*

Primordia salutis humanæ & documenta.

Generatio Mystica Verbi.

Verbum Deus.

Auditu concipitur Verbum D. paritur opere.

Emmanuel.

Nil sinè Deo.

(*Joan.* 15.) ex ipſo ſufficientia noſtra, (2. *Cor.* 3.) in ipſo omne meritum
A noſtrum, qui etiam Filius Altiſſimi vocatur; (*Luc.* 1.) imò quod naſcitur
ſanctum, vocatur Filius Dei: (*Ibid.*) quando & nos recipiendo in corde
verbum Dei, per opera, verbi Divini mandata, exequentia; opera planè
ſancta ad participium Divinæ filiationis deducimur. Sed cernite P. R.
F. D. Virgineum partum. Antequam parturiret, peperit clauſtro pu-
doris clauſo; antequam veniret partus, absque ulla corruptione peperit
maſculum. (*Iſaiæ* 66.) Miratur Propheta dicens *Ibid.*) Quis audi-
vit unquam tale & quis vidit unquam huic ſimile? Nunquid parie-
tur gens ſimul, quia parturivit & peperit Sion filios ſuos. Hæc
eſt vera Mater cunctorum viventium (*Gen.* 3.) MARIA, quia in hoc Pri-
B mogenito ejus(*Matth.* 1.)nos omnes geniti ſumus ipſomet Verbo veritatis,
(*Jacob.* 1.) Homo & homo natus eſt in ea, quam fundavit Altiſſimus.
(*Pſalm.* 86.) Noſtri verò conceptus & partus quales ſunt? Avertat
Deus! ut concipiamus dolorem aut laborem, & pariamus iniquitatem.
(*Pſalm.* 7.) Procul ſit à nobis peſſima mater Eva, aut ſatiùs noverca, in-
fanticida, concupiſcentia concipiens & pariens peccatum, cujus con-
ſummatio generat mortem. (*Jacob.* 1.) Pereant tales conceptus & par-
tus: Dei generationem in conceptione & partu Verbi Divini debemus
imitari. Et ſanè in exercitiis noſtris ſpiritualibus, in hac beata ſolitudi-
ne Deum ad cor noſtrum loquentem utique ſenſimus. Audivimus, quid
C loqueretur in nobis Dominus: (*Pſalm.* 84.) ſi tamen dignè ſuſcepimus
inſitum verbum, quod poteſt ſalvare animas noſtras. (*Jac.* 1.) Cum prompti-
tudine ſemen illud Divini verbi ſuſcipiendum eſt. Ecce, dicit Maria;
Ecce ego, quia vocâſti me, (1. *Reg.* 3.) qui priusquam vocetur, dicit *Iſaiæ*
58.) Ecce adſum. Ancilla Domini ſubjungit *Luc.* 1.) cujus humilitatem
reſpexit DEUS, ut & nos in corde contrito & humiliato (*Daniel.* 3.)
illud recipiamus. Fiat mihi (concludit *Luc.* 1.) ſecundùm verbum Tuum:
reſignatio voluntatis plenaria habenda, ut dicamus Verbo Dei: fiat vo-
luntas tua in nobis, de nobis, per nos. Concepimus ergò in Verbo Dei
ſancta propoſita: verendum eſt, ne verificetur de nobis illud Iſaiæ *c.* 26.)
D Concepimus & quaſi parturivimus & peperimus ſpiritum ſalutis, ſed
(quid dicendum? juſtitiam non fecimus in terra. Dies planè tribulati-
onis & correptionis & blaſphemiæ dies hæc, (*Iſaiæ c.* 37.) blaſphema-
tur enim in nobis verbum Dei, (*Tit.* 2.) quia venerunt filii usque ad
partum, & virtus non eſt pariendi: (*Iſaiæ* 37.) hæc ſunt propoſita inef-
ficacia. Concepimus & locuti ſumus de corde verba mendacii, (*Iſa.* 59.) dum
ea quæ propoſuimus, non exequimur: vel etiam (quod abſit) Dei apud
eundem Iſaiam *c.* 33.) effatum in nobis verificatur: concipietis ardo-
rem & parietis ſtipulam; ſpiritus veſter, ut ignis vorabit vos & erunt
populi, quaſi de incendio, cinis: quando fervor ſpiritûs, ignis in medi-
tatione noſtra exardeſcens, (*Pſalm.* 38.) in ſtipula & cinere nullius bonæ
actionis conſumitur & extinguitur; aut quando terra noſtra ſpinas &
Ee 2 tribulos

B. V. partus antè partum.

Mater Viventium.

Partus noſtri mali & boni.

Exercitiorum Spirit. fructus.

Reſignatio Voluntatis.

Propoſita inefficacia.

Stipula tropol

tribulos germinat, (*Gen.3.*) sequitur, quòd spinæ congregatæ igni comburuntur. (*Isaiæ 33.*) Conceptus quidem facilis, sed partus difficilis in dolore, & quando tristitiam habens. Euntes ibant & flebant mittentes semina sua. (*Psalm.125.*) Ut fiat facilis, vocari debet filius, accelera (nescit enim tarda molimina Spiritus Sancti gratia) spolia detrahe, (tollenda sunt omnia impedimenta) festina prædari, (*Isaiæ 8.*) illum qui nos prædatus est, innocentiæ, justitiæ, gratiæ, virtutum spolia ab ipso recuperando. Lætabimur tunc super eloquia Dei, (*Psalm.118.*) super verbum Dei conceptum & in lucem deductum per partum bonorum operum, sicut qui invenit spolia multa. (*Ibid.*) Venientes veniemus cum exultatione, portantes manipulos nostros, (*Psalm.125.*) in salutem animarum nostrarum (*1.Petr.1.*) cum Jesu, in Jesu, per Jesum filii DEI nominati & facti (*1. Joan.3.*) utique & filii Virginis Matris; cujus patrocinio salutem æternam consequemur. (*2. Timoth 2.*)

Fervor Spiritûs.

A

Gloria Cælestis.

B

Sermo in Dominica Passionis.

QVis ex vobis arguet me de peccato? Dicit impeccabilis DEUS homo factus, (*Joan.8.*) ut homo in peccatis conceptus & natus consors Divinæ naturæ factus sit etiam impeccabilitatis ipsius æmulator. Ille qui peccatum non fecit, (*1.Petr.2.*) imò venit tollere peccata mundi, (*Joan.1.*) propitiatio factus pro peccatis nostris (*1.Joan.4.*) in carne peccati assumptâ absque peccato, quia in similitudinem carnis peccati (*Rom.8.*) in corpore suo peccata nostra pertulit. Ipse inquam hostia factus & mortuus est pro peccatis nostris, (*1.Cor.15.*) ut nos omnes qui peccavimus & in primo parente & in nobis ipsis, egentes gratiâ Dei (*Rom.3.*) per ipsum liberaremur à morte peccati & destrueretur corpus peccati in nobis, (*Ib.c.6.*) nec ultra serviremus peccato, adeoq; peccatis mortui justitiæ viveremus in ipso. Quidni ergò debemus conformari illi velut membra capiti impeccabili? Quidni per Filium DEI sine peccato tenemur esse? Omnis enim qui natus est ex Deo, peccatum non facit, teste dilecto Jesu discipulo *Ep. 1. c. 3.*) Quoniam semen ipsius in eo manet, semen nimirum verbi & non potest peccare *Ibid.*) Ecce præservativum; en amuletum impeccabilitatis verbum Dei in se habere. Qui ex Deo est, verba Dei audit. (*Joan.8.*) In hoc sunt manifesti filii Dei & filii diaboli. (*1. Joan.3.*) Dicit idem Apostolus Virgo *Ibid.*) Qui facit peccatum ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat, primus peccati author in se & in homine per transgressionem verbi Divini ac prævaricationem. Inde patet, quâm res terribilis sit peccatum. Primò enim est peccatum ad mortem; anima enim quæ peccaverit, ipsa morietur: (*Ezech 18.*) cùm stipendia peccati sint mors (*Rom.6.*) animæ & corporis. Deinde privat hominem Deo & ejus gratiâ, privat unione verbi Divini, communione corporis Christi, privat in æternum

Impeccabilitas Christi imitanda.

C

D

Peccati horror

visione

A visione & fruitione Dei in cœlesti beatitudine. Facit hominem filium, imò mancipium diaboli. Qui enim facit peccatum, ex diabolo est (1. *Joan.* 3.) illius exterminatoris, illius crudelissimi hostis & carnificis, hæredis inferni ejusque ignis & pænarum nunquam finiendarum. Quis ad hæc non formidabit? quis peccatum non expavescat & per hæc à peccato non absterreatur? Væ nobis, quia peccavimus! (*Thren.* 5.) Sed laus Deo, à quo remedium peccati recepimus pœnitentiam per Jesum Christum Dominum nostrum, ubi visitantes speciem nostram non peccamus, (*Job.* 5.) utique & illam si unquam, nunc tempore hoc acceptabili Quadragesimæ in his sa-
B lutis diebus exercemus; utinam ita efficacem, ut per illam penitùs deleantur omnia peccata nostra. (*Act.* 3.) Beatus planè vir, cui non imputavit Dominus peccatum. (*Psalm.* 31.) Jam restat, ut nihilominus de propitiato peccato non simus sine metu, (*Eccli.* 5.) & non tantùm in hac Quadragesima, sed per totam vitam continuemus pœnitentiam dicentes cum Propheta: *Ps.* 50.) iniquitatem meam agnosco & peccatum meum contra me & coram me est semper. Inde fiet, ut non peccemus. Et quis est qui non peccet? (3. *Reg.* 8.) imò non est homo justus in terra, qui faciat bonum & non peccet; (*Eccles.* 7.) & septies in diem justus cadit, (*Prov.* 24.) Tantò magìs vigilandum est, ut reddamur impecca-
C biles. Fili peccâsti (monet Sapiens *Eccli.* 21) non adjicias iterum, sed & de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur, ut semper agatur pœnitentia. Non adjicias (dicit idem *cap.* 5.) peccatum super peccatum, & ne dicas; misericordia Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Misericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira illius. Ne dixeris; peccavi & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor; exspectat ut misereatur nostri. (*Isaiæ* 30.) Dissimulat quandoque peccata hominum propter pœnitentiam, (*Sapient.* 11.) quæ ut sit vera, debet esse perpetua pœnæ tenentia ad impeccabilitatem obtinendam. Debemus autem ab
D omni specie mala peccati abstinere, (1. *Thessal.* 5.) quia qui in uno etiam minimo offendit, factus est omnium reus. (*Jacob.* 2.) Qui spernit modica, paulatim decidet, (*Eccli.* 19) & omnis qui facit peccatum, servus est peccati; (*Joan.* 8.) quia peccatum prædominatur ipsi, ita ut hominem postea funes peccatorum circumplectantur, (*Ps.* 118.) nec facilè valeat se à peccatis extricare. Sed neq; difficultas est in peccato agnoscendo. Si feceris malè, (dicit Deus *Gen.* 4.) statim in foribus peccatum tuum aderit: ipse remorsus conscientiæ illud tibi indicabit. Et tunc non absconde quasi homo peccatum, nec cela in sinu tuo iniquitatem, (*Job.* 31.) nec confundaris confiteri peccata tua; (*Eccli.* 4.) multò minùs quære excusationes in peccatis (*Psalm.* 140.) more protoparentis in alium tuam rejiciendo culpam: sed confitere adversùm te injustitiam tuam Domino, (*Psalm.* 31.) ut tibi remittat impietatem peccati tui, (*Ibidem*) Si tu agnoscis peccatum tuum,

Tempus Pænitentiæ.

Nemo sinè Nævo.

Servitus Peccati.

Confessio.

tuum, Deus tibi illud ignoſcit. Serviet autem ad præcautionem peccandi, præſentiam DEI & timorem ejus ſemper in corde habere. Si excuſas, accuſas: ſi accuſas, excuſas (inquit S. Auguſt.) Qui enim in DEO manet, non peccat; (1. *Joan.* 3.) & timor Domini expellit peccatum. (*Eccli.* 1.) Qui timet Dominum, nihil negligit. (*Eccleſ.* 7.) Cogitatio noviſſimorum mortis, judicii, cœli & inferni etiam præſervat à peccatis, monente Sapiente: *Eccli.* 7.) memorare noviſſima tua & in æternum non peccabis. Occaſionum ad peccandum fuga, ſocietatis malæ evitatio, plurimùm ad id conferunt. Corrumpunt namq; bonos mores conſortia prava, (1. *Cor.* 15.) cum ſancto ſanctus eris, & cum perverſo perverteris. (*Pſ.* 17.) Eleemoſyna quoque reſiſtit peccatis: (*Eccli.* 3.) ubi deeſt temporalis, ſufficit ſpiritualis: Jejunium & mortificationes corporis, quòd maximè inducit in peccatum, ſubſidia magna ſunt impeccabilitatis, quibus addenda deprecatio ad Deum aſſidua. Sed qui jejunat in peccatis ſuis & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando ſe? orationem ejus quis exaudiet? (*Eccli.* 34.) Et hæc unica cura & ſolicitudo noſtra eſſe debet, omnis conatus noſter ad hoc tendat neceſſe eſt, quatenus liberi ſimus à peccatis. Avertat DEUS extollere ſe in peccatis, lætari cùm malè facimus; & exultare in rebus peſſimis. (*Prov.* 2) Tantò magis abſit à nobis, defendere peccata, vel alios facere peccare; vel facere Deum ſervire ſibi in peccatis. (*Iſa.* 43.) Prô quantũ crimen læſæ Majeſtatis Divinæ! procul à nobis hæc, ſed adſit potiùs confeſſio, humiliatio, peccati execratio, abominatio, correctio, rigoris & diſciplinæ uſus, emendatio, tandem perſeverantia in bonis operibus. Nobis enim dicit primus Chriſti Apoſtolus *Epiſt.* 2. c. 1.) Quapropter Fratres ſatagite nunc, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis: hæc enim facientes non peccabitis aliquando, ſed ſalvi eritis (uti præcepit DEus *Levit.* 11.) Sancti eſtote, id eſt impeccabiles, quoniam Ego ſanctus ſum Dominus DEUS veſter.

Timor DEI. *Occaſiones pravæ.* *Eleemoſyna, Mortificatio.* *Converſionis veræ fructus.* *Sanctitas quid?*

Sermo in Dominica Palmarum.

Ecce Rex venit tibi manſvetus ſedens ſuper aſinam & pullum. Matth. 21.

Humilitas Majeſtatis, exemplar Humilitatis.

ATtendite & videte P. R. F. D. Ecce Rex venit, Rex utique Regum & Dominus Dominantium, (*Apoc.* 19.) ille Rex gloriæ, (*Pſal.* 23.) qui ſedet ſuper Cherubim, (*Pſalm.* 68.) cujus ſedes cœlum & terra ſcabellum pedum ejus. (*Iſaiæ* 66.) Venit ſedens ſuper aſinam & pullum. (*Matth.* 21.) Hæccine ſedes Majeſtatis, ſedes Regni, ſedes David Patris ejus, quam ipſi Dominus daturus erat? (*Lucæ* 1.) Egredimini Fratres mei, ab exaltatione oculorum & elatione cordis, (*Prov.* 21.) ab ambulatione in magnis & mirabilibus ſuper vos, (*Pſalm.* 130.) à cogitationibus mundanis, ſuperbiæ, præſumptionis & vanæ gloriæ. Egredimini de terra carnis veſtræ, & videte Regem (*Cant.* 3.) in throno ſuo, quale

A quale ferculum sumpsit sibi Rex Sapientissimus imò Sapientia ipsa. Ecce venit Rex noster nobis mansvetus, humilis, pauper, ascensor asinæ & pulli, (*Zach.* 9.) Ille ipse est Rex exercituum cœlestium, qui infinitas habet Angelorum legiones,(*Matth.*26.) cui nascenti adstitit, & cecinit multitudo militiæ cœlestis: (*Matth.*1.) ecce jam asinâ & pullo, quæ cognoverunt præsepe Domini sui,(*Isa.*1.) vehitur, portatur, præsentatur. Nonne hic planè dicit nobis *Matth.*11.) Discite à me, quia mitis sum & humilis corde? dicit nobis, qui pia jumenta Domini sumus; tollite jugum meum super vos. (*Ib.*) O suave jugum! O leve onus! Dicit hoc ipse Dominus portans omnia verbo virtutis suæ, (*Hebr.*1.) tribus digitis molem terræ appendens. B (*Isaiæ* 40.) Videte, iterum dico, & attendite insolitam pompam, insperatum adventum, inopinatum ingressum Regis in sanctam civitatem. Considerate specimen Regiæ ipsius potentiæ & magnificentiæ. Utique dicetis regnum ejus non esse de hoc mundo, (*Joan.*18.) de hoc mundo inflato, vano, superbo, ambitioso, glorioso: regnum ejus non esse temporale sed spirituale, ut regnaret per humilitatem & mansvetudinem in animabus nostris. Ecce Agnus mansvetissimus Paschalis, die decimo, hoc die palmarum, solenni pompa in urbem ducitur, decimo quarto, in ara crucis immolandus, ut tollat peccata mundi, (*Joan.*1.) ut homines salvet & jumenta. (*Psalm.*35.) Cum pompa ingreditur, C olivas pacis inter Deum & hominem per se stabiliendæ, & palmas victoriæ infallibilis supra mortem, peccatum, dœmonem, carnem, infernum, mundum reportandæ præferens & præsagiens. Ecce Rex venit mansvetus, (*Matth.*21.) vanam mundi gloriam deridens & inconstantiam ejus despiciens, sciens illos ipsos, qui nunc acclamabant: (*Ibid.*) Hosanna Filio David, nempe vivat Rex noster Messias: post quatuor dies clamaturos *Marci* 15.) non habemus Regem, tolle, crucifige eum. Videte repetita vice infero, cum quanta solennitate, cum quanto gaudio & tripudio ad passionem & crucem festinat, ut & nos ad crucem nostram ferendam, ad mortificationem tolerandam, gaudentes velut ad epulas invitati cum exultatione procedamus. Venit Rex ju- D stus & Salvator(*Zach.*9.)imò Justitia ipsa & salus nostra, ut per mortem ejus consummetur prævaricatio, finem accipiat peccatum, & iniquitas deleatur. (*Dan.*9.) Venit ipse pauper, nempe pauper spiritu, id est humilis & mansvetus mansvetis insidens animalibus. Ast nunquid in utroque sedit? Ita est: sed successivè; priùs asinæ, deinde pullo insedit. Cur hoc? non equidem propter itineris distantiam & animalium defatigationem mutatoriis usus jumentis, sed ut mysterium Regni sui futuri manifestaret. Non enim tantùm venerat, ut salvum faceret populum suum à peccatis eorum, (*Matth.*1.) populum Judæorum, quorum Rex erat; sed ut etiam ex gentibus filios DEI congregaret in unũ, (*Joan.*11.) ad unius fidei & Ecclesiæ suæ unitatem. Sedit ergò primùm super asinam populũ Judaicum, qui jugum legis veteris ferebat; sedit postea super pullum, super quem

Regnum C. non de hoc Mundo.

Diei Palmarũ . . .

Sic itur ad Crucem.

De Asina & Pullo Allegor.

nemo hominum ſederat, ſupra populum gentilem, exlegem, indo- A
mitum; vix humani quid demonſtrantem, non tantùm comparatum
jumentis inſipientibus, (*Pſalm. 48.*) ſed planè reputatum ut jumenta:
& ſic utramque nationem per inſeſſionem fidei in cœleſtis Jeruſalem de-
duceret manſionem. Utique Domini eſt regnum & ipſe dominabi-
tur gentium: (*Pſalm.21.*) Dominus his opus habet. (*Matth. 21.*) Felix
Felicitas Servi DEI. jumentum, cui inſidet Dominus! Dicamus Fratres mei Domino, quam-
vis bonorum noſtrorum non eget: (*Pſalm.15.*) ut jumentum factus
ſum apud te, & ego ſemper tecum. (*Pſalm.72.*) Repetat unusquisque
noſtrûm ſæpiùs cum illo pio Abbate in vitis SS. Patrum dicente: Ego
& aſinus unum ſumus. Camus aſino, (ait Sapiens *Prov. 26.*) ne re- B
calcitret; virga & onus aſino, ne inſoleſcat. (*Eccli.33.*) Sed quàm dulce
onus aſino Agnus DEI, qui paſcit oves! Quàm grata virga! cujus vir-
ga & baculus me conſolata ſunt (ait Rex *Pſ.22.*) Venit planè manſvetus,
ſicut ovis ad occiſionem ductus. (*Iſaiæ 53.*) Qualis ipſe eſt, (ait Drogo
Hoſtienſis) talem te eſſe vult. Manſveſce jugum ejus portare, & ipſe
ſedeat ſuper te aſinam ſuam & pullum filium ſubjugalis. Et quæ eſt hæc aſi-
Caro & Spiritus. na? Ipſa quæ caro vocatur, & mulier & virago, quia de viro ſumpta eſt.
(*Gen.2.*) Et quis eſt pullus ejus? Spiritus manſvetus virilis. Sed quo-
modo pullus carnis? Quia formavit DEUS priùs hominem de limo
terræ, & poſtea inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ. (*Ibid.*) Priùs C
organizatur corpus, poſtea infunditur anima. Quia non priùs quod ſpi-
rituale eſt, ſed quod animale, deinde quod ſpirituale. (*1.Cor.15.*) Sedet priùs
Rex manſvetus ſuper aſinam, poſtea ſuper pullum; priùs caro doma-
tur, (ait idem Hoſtienſis,) ut jugo habilis ſit, ne hæc videlicet caro, quæ
corrumpitur, aggravet ſpiritum: deinde naſcitur pullus, ſpiritus nutritur,
Anima Justi ſedes Sapientiæ. roboratur; ſpiritu vivitur, ut ſeſſorem ſuum portare poſſit & fiat ſedes
ejus, qui ſpiritus eſt, Dei. (*Joan.4.*) Anima nimirum juſti ſedes eſt Sapientiæ.
Sedet itaque ſuper utrumque Dominus noſter faciens pacem,
ne caro concupiſcat adverſùs ſpiritum, (*Gal.5.*) ſpiritus adverſùs carnem ſit
indiſcretus & nimius; ſed ſub jugo Domini & præceptorum ejus ſvaviter D
Confeſſio Sacram. ſibi invicem maneant copulata. Ut tamen Dominus in iis ſedeat, debent
eſſe non ligata jugo peccati: ſed ſoluta Apoſtolicæ poteſtatis abſolutio-
ne. In malevolam enim animam non intrat ſapientia, nec habitabit
in corpore ſubdito peccatis. (*Sap.1.*) Veniat utinam non tantùm ad nos,
ſed in nos, & ſuper nos illa ſedium Divinarum aſſiſtrix ſapientia, (*Sa-
pient.9.*) Veniat de ſede magnitudinis ſuæ, ubi ſedet à dextris DEI, (*Marci
16.*) & ſedem Sathanæ ex nobis tollat, illius qui dixit *Iſaiæ 14.*) ſe in mon-
te teſtamenti ſeſſurum. Ita ſanè Rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ (*Job.
Superbia. 41.*) eligit ſibi montes elationis pro ſeſſione. Et quæ eſt ſedes ejus, non-
ne ſuperbia, quæ eſt initium omnis peccati. (*Eccli.10.*) Veniat Rex hu-
milis & manſvetus, & ponat ſolium ſuum in humilitate noſtra omnis
boni fundamento, per quam ſedeamus ſemper ſolitarii & tacentes, (*Thr.3.*)
per

A per orationem tamen, meditationem, continuationem exercitiorum spiritualium, levantes nos super nos ad eum, qui in altis habitat & humilia respicit. (*Psalm.* 112.) Poterit & asina nostra ut illa Balaam (*Num.* 22) quandoque prophetare, sicut prophetârunt ossa Jeremiæ, (*Eccli.* 49.) quando carnis nostræ ossa ut herba germinabunt (*Isa.* 66.) in illa felici resurrectione, quando in sede judicii veniet Rex justus carnem & spiritum salvans utraque secum in cœlestem Jerusalem inducens & in sedibus collocans beatitudinis sempiternæ.

Exercitia spiritualia.

Asina prophetans.

Sermo in Festo Paschatis.

B *Alleluja, salus & gloria & virtus DEO nostro.* Apoc. 19.

Alleluia quid? Cæleste melos quater in visione Apocaliptica repetitum.

ALleluja hebraicè, latinè laudate Deum hoc tempore Paschali continuò resonans in Ecclesia DEI militante, à triumphante sumpsit exordium P.R.F.D. ubi beati, qui habitant in domo DEI, (*Psalm.* 83.) in Sancto Spiritu laudant eum. Quater etenim in Apocalypsi refertur Alleluja repetitum. Ac primùm fertur vox turbarum multarum in cœlo dicentium *Apoc.* 19.) Alleluja, salus & gloria & virtus DEO nostro est; salus per Salvatoris nostri mortem & resurrectionem nobis parta, cujus gratiâ salvati sumus (*Ephes.* 2.) à morte, C & inde Alleluja, laudate Deum. Gloria soli DEO sit, & virtus Domino virtutum, (*Apoc.* 19.) qui virtute passionis & crucis suæ nos redemit, & hostes omnes superavit. Salus ergò nostra Deo nostro ex Agno tribuenda: gloria quoque in altissimis DEO (*Lucæ* 2.) decantanda. Omnis demùm potestas à DEO est & virtus, sine quo nihil possumus facere. (*Joan* 15.) Jure merito proinde dicere debemus *Psalm.* 117.) Fortitudo & laus mea Dominus, qui factus est mihi in salutem. Sed quid tibi ô mi JESU laudis accedere potest à minimo terræ vermiculo, qui nihilum ante te, (*Psalm.* 38.) ante quem omnes gentes ita sunt, quasi non sint, & tanquam nihilum & inane reputatæ sunt ei? (*Isaiæ* 40.) Quid ego D unus respectu omnium gentium & tamen incumbit mihi laus tua? Ergò laudabo JESUM in confessione; quia pulvis & cinis sum. (*Gen.* 18.) Laudabit usque ad mortem anima mea Dominum. (*Psalm.* 145.) Laus DEI opus est Angelorum (teste Divo Basilio) & nihil ita propriè juxta effatum melliflui Patris nostri quendam in terris repræsentat cœlestis habitationis statum, sicut alacritas laudantium Deum. Sed sciendum nobis est, non esse speciosam laudem in ore peccatoris: (*Eccli.* 15.) unde non potest esse laus DEI, nisi in sanctis ejus (dicente S. Augustino.) Nam qui malè vivunt, non eum laudant, etsi prædicant linguâ, blasphemant vitâ. Necesse ergò est, ut laudem priùs Dominum in vita mea. (*Psal.* 145.) Laudem dicite DEO nostro (monet vox de throno DEI *Apoc.* 19.) omnes servi ejus. Ipsi laudant Dominum, qui subdunt se Domino (teste S. Augustino) & qui timetis eum pusilli & magni. (*Apoc.* 19.)

De laude DEI.

Initium Sapientiæ timor Domini, (*Pſalm. 110.*) intellectus bonus omnibus facientibus eum, laudatio ejus manet in ſeculum ſeculi. (*Ibidem.*) Timor Domini bonam vitam facit, docet ſequi ductum rationis, & inde laus Dei vera. Bonum eſt, ut ſemper ſit laus Dei in ore noſtro (*Pſ. 33.*) & repleatur os noſtrum laude; (*Pſalm. 70*) ſed cavendum, ne de nobis dicat DEUS *Marci 7.*) Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Pſallam ſpiritu oris, pſallam & mente (*1. Cor. 4.*) cordis, & ſic verè ſacrificium laudis immolabo. (*Pſal. 49.*) Non tantùm labiis exultationis laudabit os meum, (*Pſalm. 62*) ſed ex intima cognitione & amore DEI laudem dicam Domino: videlicet in ara cordis igne charitatis, thus devotionis, verum laudis ſacrificium & thymiama offeram Deo. Talem imperat laudem Deus per Regium Pſaltem *Pſal. 49.*) Immola DEO ſacrificium laudis in fundamento cognitionis & timoris Dei, ex motivo amoris ejus, & redde Altiſſimo vota tua, (*Ibid.*) vivendo juxta hoc, quod diſtinxerunt labia tua. (*Pſal. 65.*) Præcipuum autem votum, votum eſt obedientiæ, quæ melior eſt quàm victimæ. (*1. Reg 15.*) Tale ſacrificium laudis honorificabit te, & illic iter, quò oſtendetur tibi ſalutare Dei. (*Pſalm. 49.*) Hæc eſt vera via ad ſalutem æternam, ubi canes Alleluja, ſalus DEO noſtro, (*Apoc. 7.*) cùm apparuerit tibi ſalutare Dei: nunc per ſpeculum & in ænigmate (*1. Cor. 13.*) fidei cognoſcens ſalutem tuam à Domino, agnoſcens nihilum tuum; ubi tranſi ad vituperationem tui propter peccata commiſſa (monet S. Auguſtinus) & laudabis Dominum: non enim mortui in peccato, (quales utique nos non ſumus, qui reſurreximus cum Chriſto à peccatis, *Col 2.*) laudabunt te Domine, neque omnes qui deſcendunt in infernum: (*Pſalm. 113.*) quod confirmat Ezechias Rex dicens *Iſaiæ 38.*) Non infernus confitebitur tibi neque mors laudabit te, ſed vita vera in gratia Dei, vita pia, vita juſti, vita timentis Dominum & ſervantis mandata ejus. Vivet anima mea ſic, & laudabit te Deus. Deinde ex agnitione Dei ſummi Boni in meditatione tua exardeſcet ignis (*Pſ. 38.*) amoris, & laudabis Dominum quia bonus Dominus. (*Pſ. 134.*) Si deficies ab amore, (præcavet Auguſt.) deficies à laude. Eſt igitur in Eccleſia Dei militante laus Dei publica exterior in tremendo Miſſæ ſacrificio, in Officio Divino, in pſalmis, hymnis & canticis ſpiritualibus, in concionibus & exhortationibus; eſt & privata interior, ubi in corde laudatur Deus modo ſupranominato. Sed potiſſimùm laus Dei ſpectatur in vita religioſa & devota Deo. Quater repetitum Alleluja hìc pateſcit, quando à turba multa laudes DEO ore canuntur, quando à ſenioribus per prædicationem verbum Dei propalatur, quando maximè in corde practicatur, quando denique per vitam Chriſtiformem publicatur. Quadruplici Alleluja Deus trinus & unus laudatur: tria enim & unum, faciunt quatvor. Dum ergò tam frequenter iteramus Alleluja, exequamur Eccleſiæ triumphantis methodum, & non tantùm hoc Paſchali tempore, ſed aſſiduè laudemus

Margin notes: *Pſallendum ſpiritu et mente.* (A) — *Votum Obedientiæ.* (B) — *Pœnitentia.* (C) — *Laus ex amore.* (D) — *Laus DEI Eccleſiaſtica.* — *Vita Religioſa, quadruplex Alleluia.* — *Trinitas in quadro.*

Perseverantia in laude DEI.

demus nomen Domini, semper & ubique; ad imitationem cælestis Jerusalem, ubi in æternum laudabimus Deum, & laus erit unicuique à Deo. (1. *Cor.* 4.) Beatus qui factus est sicut Seraphim & Cherubim (dicit S. Ephrem) & in Divino ac spirituali Officio nunquam est segnis, sed assiduus glorificat Dominum clamans: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus, & curans Dei sanctitatem imitari, & hic est salus. Beatus (inquit idem S.) qui semper spirituali gaudio plenus est, nec in portando svavi jugo pigrescit: coronabitur enim in gloria, nempe illic iter est, quò ostenditur salutare DEI. (*Psalm.* 49.) Et hic est gloria gloriari in laude Dei. Beatus, qui in cella sua in Domino tanquam Angelus cœlestis castas retinet cogitationes (ait demùm sanctus Ephrem) suoque collaudat eum in ore, qui omnium spirituum potestatem habet. Et hic est virtus, est ubique Alleluja, laus Dei perennat, cùm ore & corde & opere canitur Alleluja & datur Deo benedictio, claritas, id est gloria & sapientia & gratiarum actio, honor, virtus, sive potentia, id est omnipotentia & fortitudo (*Apoc.* 7.) seu robur immensum, cui nihil resistere potest, nimirum interior & exterior executio Divinæ potentiæ, quæ omnia maximè patuerunt & enituerunt in salute, gloria & virtute tam passionis quàm resurrectionis Christi, cujus socii erimus, si erimus passionis, (2. *Corinth.* 1.) ad illam cum Christo cælestem veniemus Jerusalem, ubi per vicos & plateas cantatur Alleluja (*Tob.* 13.) in æternum.

Amor Cellæ

Sermo in Festo Inventionis S. Crucis, & Exhortatio ad parsimoniam victûs.

Crucis inventio in Paradiso.

UBinam crucem Christi exortam & inventam creditis P. R. F. D.? num in monte Calvariæ, ubi Dominus crucifixus fuit & cruces in terra fuerant sepultæ? Ita quidem, quoad historiæ veritatem ultimarius ortus & inventio crucis accidit: sed primus & primarius ortus ejus fuit in Paradiso, ubi parens noster primus fructum manducans vetitum se & fructum lumborum suorum, totam videlicet humanam progeniem trucidans, mortem sibi & omnibus accivit. Ibi Dei Filius lignum mortis tunc notavit, damna ligni ut solveret in ligno vitæ, ligno crucis. Videte & perpendite, quanti filio Dei facto filio hominis constiterit una protoparentis esca, ut nequiverit aliter diluere culpam per escam contractam, nisi ipsemet, qui erat vita, fieret esca mortis per mortem crucis. O maledicta esca, quæ Adamum per serpentis & Evæ instinctum & carnis suæ appetitum ad mortem inescâsti, & causa mortis fuisti Filii Dei in cruce, ut fieret maledictum pro nobis (*Galat.* 3.) ad tollendam Dei propter te factam super humanum genus maledictionem. Siccine indulgendum erat appetentiæ carnali? O Adam! cùm tibi omni ligno Paradisi frui liceret abundanter præter lignum scientiæ boni & mali, ut & anima periret tua, & tota generis tui massa ad æternam duplicis mortis præcipitaretur damnatio-

Ex suppositione cōsequentis

Causa Mortis Christi Esca fuit.

nem, nec daretur remedium salvationis, nisi per mortem Salvatoris in cruce. Revera gustâsti tantùm fructum, & ecce morimur; & ecce nonne ipsum Filium Dei oportuit tanta pati, (*Lucæ* 24.) ita ut etiam ipsi in escam daretur fel, & aceto potaretur, (*Psalm.* 68.) adeoque in gustu concupiscentiæ tuæ crucem inveniret? Maledicta hæc appetentia escæ, hæc concupiscentia fructûs, ex qua per quam & propter quam inventum est lignum crucis, in quo salus mundi, benedictus uteri Virginalis fructus debuit suspendi & morte absumi. Nec primo duntaxat parenti nostro ejusque posteris malè cessit hic extraordinarius & inordinatus escæ appetitus, cessit & aliis talis prava appetentia in notabilem perditionem. Quid Esau inquinavit servumque fratris reddidit? (*Gen.* 25.) ait Divus Basilius: nonne esca una, propter quam primogenita vendidit, ita ut à Doctore gentium fornicator & prophanus nominetur? Ne quis fornicator (inquit ad Hebræos *cap.* 12.) aut prophanus ut Esau, qui propter unam escam vendidit primitiva sua. Hic sigillatim notandum, quòd magnus subnectit Apostolus. *Ibid.*) Scitote quia & postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est. Quanta pernicies ex appetentia unius escæ? Audite majora, Fratres mei; non invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquisivisset eam (dicit Vas electionis de Esau *Ibid.*) Quare reprobatus? Quare ejus pœnitentia locum non habuit? Propter gulam, propter unius escæ concupiscentiam. Idipsum cernite in populo Hebraico, de quo præfatus D. Basilius, uno temporis momento ob gulam populus ille per maxima prodigia Dei cultum edoctus in Ægyptiacam idololatriam devolutus est. Quare? Sedit populus manducare & bibere. (*Exodi* 32.) Gula (inquit S. Doctor) ad idololatriam populum deduxit ac contaminavit. Interrogat idem ultrà. In deserto quorumnam membra ceciderunt? Nonne illorum, qui carnes appetivêre? Illorum, qui murmurabant dicentes *Num.* 11.) Quis dabit nobis escas carnium? unde jure-merito, dum adhuc escæ eorum essent in ore ipsorum, ira Dei ascendit super eos & occidit pingves eorum, (*Psalm.* 77.) deditos nempe gulæ illecebris, quorum Deus venter erat & gloria in confusione. (*Phil.* 3.) Ita planè. Omnis enim esca, quæ intrat per os, in ventrem vadit & postea per secessum emittitur: nonne in confusione sordidorum excrementorum escæ gloria? Ideone murmurandum Fratres mei? Audite ipsiusmet Dei circa primam creationem decretum datum primis parentibus nostris. (*Gen.* 1.) Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram & universa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam & cunctis animantibus terræ omnique volucri cœli & universis, quæ moventur in terra & in quibus est anima vivens, ut habeant ad vescendum. Et hic cibus vitam humanam ad plurimas annorum centurias producebat. Magni Joannis plus quàm Prophetæ, Angeli illius terrestris, quis cibus? Esca autem

Detestatio gulæ. *Esau profanus.* *Pœnitentia sera.* *Hebræi Idololatræ, Murmuratores.* *Confusio gulosorum.* *Parsimoniæ victûs antiquitas.* *S. Joann. Bap.*

A ejus locusta & mel sylvestre ait Scriptura *Matth. 3.)* Si infirmo præcipitur per Apostolum *Rom. 14.)* olus manducare, quidni sano? Et qualis cibus erat Eremitarum antiquorum, imò & SS. Patrum nostrorum? Radices herbarum, olera, pisa & his similia, & exinde longitudine dierum adimpleti, (*Psalm. 90.*) uti Pauli, Antonii, Hilariones, Onufrii, Francisci de Paula; ita ut terminum à Propheta Regio stabilitum superarent dicente: *Psalm. 89.)* Dies annorum nostrorum septuaginta anni, & si in Potentatibus 80. anni: quia hi nonaginta & ultra centum annos per abstinentiam & sobrietatem vixerunt. Esca ventri, venter escis, Deus autem & hunc & has destruet. (*1. Cor. 6.*) Quid enim erimus, nisi

Olus Infirmorum.

Cibus Eremicolarum longævorum.

B esca vermium? Equidem esca nos non commendat DEO. (*1. Cor. 8.*) Neque etiam, si quod volumus, manducaverimus, abundabimus; neq; si non manducabimus, deficiemus. (*Ibid.*) Noli propter escam destruere opus DEI, monet Apostolus *Rom. 14.)* quod est charitas. Imò si esca scandalizat fratrem meum, carnem non manducabo in æternum, (ait idem Zelotes Evangelicus *1. Cor. 8.)* ne fratrem meum scandalizem. Subter te erit appetitus tuus, (docet DEUS *Gen. 4.)* & tu dominaberis illius. Optimum est gratiâ stabilire cor non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis. (*Hebr. 13.)* Nonne anima plus est, quàm esca? (*Matth. 6.*) Non est regnum Dei esca & potus, sed justitia, pax, gaudiũ

Charitas & Cura Spiritûs

C in Spiritu Sancto. (*Rom. 14.*) Nihil sanè indignius, quàm propter cibum murmurare, non esse contentum eo, qui exhibetur, alium appetere: hoc est crucem Christi invenire, rursùm Filium DEI crucifigere & ostentui habere. (*Hebr. 6.*) Quin satiùs inveniamus & nos crucem in vera abstinentia, mortificatione, sobrietate; non gulæ indulgendo, non ventri serviendo, (*Rom. 16.*) cuticulam alendo, exquisita fercula appetendo, non in commessationibus & ebrietatibus (*Rom. 13.*) crucem nobis damnationis paremus. Sustentare non nutrire debemus carnem. Qui manducat, Domino manducet: nemo enim sibi vivit, & nemo sibi moritur. Sive ergò vivimus & vitam escâ sustinemus, Domino vivimus; sive

Inventio Crucis Mortificatio.

Recta Intentio Vitæ.

D morimur, Domino morimur. (*Rom. 14.*) Tunc autem felices vivimus & morimur Domino, si in cruce Domini inventa & portata fuerimus reperti.

Felix quem mors inveniet in Cruce.

Sermo in Ascensione Domini.

Ascendit in cœlos ait Symbolum Apostolicum

QVid adhuc hæremus in terra, & adhæret pavimento ejus anima nostra? (*Psalm. 118.*) usquequò moramur, & in hoc sabulo reptantes commoramur? Ascendit JEsus in cœlum, ut & nos assumamur: elevatus est, ut & nos elevemur. Ascensio ejus est nostra exaltatio. Ascendendum ergò nobis est, non per exaltationem cordis, per elationem oculorum, per superbiam vitæ, juxta exemplum Regis

Ascensio Christi nostra Exaltatio.

Contra Superbiam.

ſuper univerſos filios ſuperbiæ, (*Job. 41.*) qui etiam dixit *Iſaiæ 14.*) A
Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſuper aſtra exaltabo ſolium meum: quia vidi impium (ait Propheta *Pſalm. 36.*) ſuperexaltatum & elevatum ſicut cedros Libani, tranſivi & ecce non erat. Gaudium enim hypocritæ ad inſtar puncti. (*Job. 20*) Si aſcenderit usque ad cœlum ſuperbia ejus (inquit *Idem Ibid.*) & caput ejus nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium in finem perdetur. Non eſt hoc aſcendere, ſed præcipitari. Talis aſcenſus deſcenſus eſt, ubi ſuperbia aſcendit ſemper, (*Pſalm. 73.*) ibi caſus propè eſt, ruina eſt in januis. Fratres mei, ipſa Veritas dicit *Joan. 3.*) Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit. Deſcenſus hic humilitas eſt. Si

Deſcenſus humilitatis.

cum Chriſto aſcendere volumus, debemus etiam cum Chriſto, qui humiliavit ſemetipſum factus obediens, (*Philip. 2.*) deſcendere. Ideò B
Vas electionis aſſerit: (*Eph. 4.*) Quod aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primùm in inferiores partes terræ. Primùm igitur deſcendendum nobis eſt. Qui deſcendit, ipſe eſt qui aſcendit ſuper omnes cœlos, ut adimpleret omnia. (*Ibid.*) Ille ipſe eſt, qui aſcendit ſuper occaſum (*Pſalm. 67.*) humilitatis ſuæ, paſſionis ſuæ, crucis ſuæ; Dominus nomen illi, (*Ibid.*) ut & nos ſervi Dominum imitemur, humiliando nos ſub potenti manu DEI, (*1. Petri 5.*) mortificationem crucis in corpore noſtro circumferendo, (*2. Cor. 4.*) communicando paſſionibus ejus:

Vocatio Religioſa ad Cæleſtes Nuptias.

(*1. Petri 4.*) adeoque taliter ſequamur aſcendentem in cœlum. Ea- C
propter benè monet Sapientia æterna: *Lucæ 14.*) cùm invitatus fueris ad nuptias, (utique nos ſumus invitati, qui & vocati ad cœleſtes nuptias) recumbe in noviſſimo loco, ut qui te invitavit (videlicet qui ædificat etiam in nobis aſcenſionem ſuam, Dominus nomen illi *Pſalm 67.*) dicat tibi: aſcende ſuperiùs. (*Lucæ 14.*) Sic itur ad aſtra per humilitatem, non per ſuperbiam; per tolerantiam, non impatientiam; per manſvetudinem, non per excandeſcentiam. Benè dicit Sponſa *Cant. 7.*) Aſcendam in palmam, utique crucis palmam, & apprehendam fructus ejus. (*Ibid.*) Fructus crucis humilitas, patientia, manſvetudo. Et hoc eſt aſcenſiones primùm in corde ſuo facere, eundo de virtute in virtu-

Sic itur ad Aſtra.

Palmæ Crucis fructus.

Aſcenſiones in Corde.

tem. (*Pſalm. 83.*) Venite aſcendamus in montem Domini ad domum D
DEI Jacob (invitat Propheta *Iſaias c. 2.*) Sed quis aſcendet in montem Domini? alter Regius Vates interrogat, & reſpondet ſibi: *Pſalm. 23.*) innocens manibus & mundo corde. Innocentia manuum eſt operum rectitudo; cordis munditia, eſt eſſe absque peccato: & hoc reſpectu Dei. Proſequitur ultra Vir ſecundùm cor DEI *Ibid.*) Qui non accepit in vano animam ſuam, & hoc reſpectu ſui, qui nimirum vanitatem ſeculi minimè ſectatur, qui pauper eſt ſpiritu, non inflatus, non ambitioſus, non quærit quæ ſua (*1. Cor. 13.*) humilis, modico contentus. Tandem concludit: *Ibid.*) nec juravit in dolo proximo ſuo, utpote ſincero corde & recto agit cum aliis & hoc reſpectu proximi. Hæc eſt generatio quærentium faciem ejus, (*Ibid.*) qui aſcendit in cœlum eodem tramite virtutum.

Quis aſcendet in montem Domini? Quis respectu DEI, ſui, proximi?

A virtutum. Jam videte in hoc mari seculi fluctuantes homines seculares. Ascendunt usque ad cœlos vanæ gloriæ tumore & vento præsumptionis agitati, descendunt usque ad abyssos (*Psalm.* 106.) pusillanimitate spiritûs præcipitati, & sic semper in extremis habitant, (*Psalm.* 138.) ad extrema tendunt. Hinc sequitur: anima eorum in malis tabescebat; (*Psalm.* 106.) non eunt de virtute in virtutem, (*Psalm.* 83.) licet quandoque speciem virtutis habeant, realitate tamen ejus carent. Virtus enim subsistit in medio. Ascensus fit per medium, non per saltum. Non datur etiam in spiritualibus actio in distans, non agendo per medium. Medium ascensionis veræ in cœlum humilitas est. Scrutatoribus terræ

Ascensus vani vana gloria.

Ascensus per saltum, neglecto Virtutis medio, nullus.

B promissionis dictum est *Num.* 13.) Ascendite per meridianam plagam, nempe per mediam charitatem Dei & proximi itur ad cœlum. Agamus igitur P.R.F.D.; ne unquam ascendat malitia nostra cum Ninivitis coram Deo, (*Jonæ* 3.) ne reciprocè ascendat super nos ira Dei, (*Ps.* 77.) sed potiùs in spiritu humilitatis & animo contrito (*Dan.* 3.) per patientiam & mansvetudinem, cum innocentia manuum, rectitudine, & munditie cordis, cum rerum terrenarum & mundanarum contemptu, in veritate & sinceritate conversationis, in charitate vera non ficta, (2. *Cor.* 6.) quæramus sequi Christum ascendentem in cœlum: ubi quæ præparavit humilibus & diligentibus se Deus, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, (1. *Cor.* 2.) ubi videbitur Deus Deorum (*Psalm.* 83.) in

C cœlesti Sionis mansione.

Post Christum suavissimum ibis.

Sermo in Festo Pentecostes.

Veni Creator Spiritus canit Ecclesia in hymno.

QVemadmodum omne bonum sui est communicativum, (juxta commune axioma) ita primum, summum & unicum Bonum Deus homini se potissimùm communicavit secundùm naturam in creatione ipsius, plasmato priùs corpore de limo terræ & inspirato in

D faciem ejus spiraculo vitæ; ut sic homo fieret in animam viventem, (*Gen.* 2.) in qua veram DEI communionem haberet ad imaginem & similitudinem Dei creatus. Jam verò cadente homine per peccatum in statum dissimilitudinis, & recedente à communione bonitatis Dei; propter immensam charitatem suam misertus hominis lapsi Deus volens eundem clementer recreare in reparatione ipsius secundùm gratiam, imaginem bonitatis suæ (*Sapient.* 7.) filium suum Unigenitum (1. *Joan.* 4.) per omnia sibi similem quia Deum de Deo misit, ut carnem humanam sibi conjungeret in similitudinem hominum factus & habitu inventus ut homo, (*Philip.* 2.) adeoque homini carnali suam communicaret Deitatem, & sic caro per carnem restauraretur. Quid accidit? Caro Christi per crucem mortificata, per resurrectionem spiritualis effecta, per ascensionem ad dexteram Dei collocata, efficit ulteriorem & ultimatam

DEUS se cõmunicat homini per Creationem, Invocationem, Spiritûs S. missionem.

tam

tam per Spiritus Sancti missionem Divinitatis communicationem. Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos (dicit ipsa Veritas *Joan. 16.*) ut reformatâ per filium Dei incarnatum carne, etiam per Spiritum Dei sanctum, spiritus hominis quodammodo recrearetur. Sic enim optat Propheta *Ps. 103.*) Emitte spiritum tuum & creabuntur, quasi de novo; quia renovabis faciem terræ id est hominis, qui de terra sumptus est, & in terrã revertetur, (*Gen. 3.*) & sic fieret nova creatura. (*Gal. 6.*) Jurè merito proinde invocatur Spiritus Sanctus: Veni Creator Spiritus per gratiarũ suarum communicationem, ac potissimùm amoris sui inspirationem animam creans in DEO viventem, ut homo DEI participium in anima & corpore plenariè possideret. Primò igitur creavit Dominus novum super terram, quando fœmina circumdedit virum, (*Jerem. 31.*) Virgo Mater Filium DEI concepit. Deinde hodie dicit *Isaiæ 65.*) Ecce ego creo cælos novos & terram novam. Ille visibilium & invisibilium Creator visibile corpus hominis è terra sumpti per visibilem in carne Filium Dei, & invisibilem hominis animam è cœlo planè Divinitùs inspiratam per invisibilem Spiritum suum nova quadam creatione restituit, & ad sui reducit communionem. Quanta hominis felicitas! Quanta beatitudo! Filio DEI & Spiritu DEI recreari & reformari, simulque ad consortium Divinitatis sic admitti. Agnosce ô homo dignitatem tuam, neque his abjectis, hisce caducis, his terrenis & mundanis ulteriùs immorare. Omnia arbitrare ut stercora, ut Christum lucri facias; (*Phil. 3.*) qui totum se tibi communicavit, totum te sibi requirit. Unde si volumus P. R. F. D. Filium DEI in nobis habere, debemus sicut ille ambulavit, & nos ambulare. (*1. Joan. 2*) Ipso in carne passo & nos eâdem cogitatione armemur, (*1. Petr. 4.*) ut per imitationem passionis similes ei efficiamur. Si ille crucifixus, crucifigamus & nos carnem nostram cum vitiis & concupiscentiis suis. (*Gal. 5.*) Si ille mortuus, moriamur & nos, ut vita nostra sit abscondita (*Col. 3.*) cum ipso in DEO. Si erimus socii passionis, erimus & resurrectionis, (*2. Corinth. 1.*) ut corpus nostrum aggravans animam, (*Sap. 9.*) jam velut anima spiritualis efficiatur; sitque initium aliquod creaturæ ejus. (*Apoc. 3.*) Exinde renovemur spiritu mentis nostræ, (*Eph. 4.*) spiritu vivamus, spiritu agamus, ut simus filii Dei (*Rom. 8.*) spiritu ambulemus, ne desideria carnis perficiamus, (*Galat. 5.*) imò ut spiritu facta carnis mortificemus. (*Rom. 8.*) Merebimur tunc illum Creatorem Spiritum, per quem velut amorem non tantùm ad communionem, sed etiam unionem Dei admittemur. Deus lux est: (*1. Joan 1.*) Deus ignis consumens est. (*Deut. 4.*) Filius Dei de se dicit *Joan. 8.*) Ego sum lux mundi; ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut ardeat. (*Lucæ 12.*) Spiritus DEI est lumen cordium, est lux beatissima, est fons vivus, ignis, charitas, dispertiens linguas tanquam ignis. (*Act. 2.*) Et nos quid? Debemus esse lucernæ ardentes & lucentes, (*Joan. 5*) lucernas ardentes operum bonorum in manibus tenentes, (*Lucæ 12.*) oleum

Creator Spiritus S. mysticè.

Hominis felicitas & dignitas.

Imitatio Christi Passi.

Vita Spiritualis.

Luce & arde.

A B C D

A oleum charitatis cum lampadibus habentes, ut luceat lux nostra coram DEO & hominibus. (*Matth.16.*) Curemus, ne lumen quod in nobis est, lumen intellectûs, lumen fidei, lumen gratiæ, tenebræ fiant (*Luc.11.*) per peccatum. Ardeat semper ignis amoris DEI & proximi super altari cordis nostri, & caveamus, ne unquam extingvatur. In igne *Ignis Zeli D.* zeli mei devorabitur omnis terra, dicit Dominus post diem resurrectionis suæ apud Sophoniam: *cap.5.*) debet enim in nobis igne Spiritus Sancti Creatoris novi absumi omne quod terrenum est, ex illa terra maledicta peccati spinas & tribulos germinante (*Gen.3.*) procedens, ut cum Christo in cœlum ascendente, & nos in cœlum transferamur, con- *Sursùm cor.*
B versationem nostram in cœlis habentes, tota cogitatione & aviditate in illa æterna patria cum DEO commorantes; videlicet igne, qui sursùm semper tendit, fervore nimirum charitatis sursùm sublati, quæ sursum sunt quærentes, (*Col. 3.*) eritque tùnc spiritus ante faciem nostram Christus Dominus, (*Thren.4.*) quem sequemur; erit Spiritus Sanctus apud *Septem dona Spiritûs S.* nos manens nobis existens illuminans intellectum, quia Spiritus sapientiæ, scientiæ, consilii & intellectûs: (*Isaiæ 11.*) accendens affectum, quia spiritus pietatis, fortitudinis & timoris Domini, Spiritus planè sanctus, per quem diffusa est charitas in cordibus nostris. (*Rom. 5.*) Ita spiritu men- *Humidum & calidum radicale tropol.* tis nostræ renovabimur, (*Ephes.4.*) qui aqua & ignis est: (*1. Joan.5.*)
C verè spiritus vitæ, (*Ezech. 1.*) qui in humido & calido radicali subsistit, si humidum pœnitentiæ per communicationem passionum Christi & *Pœnitentia & Charitas.* calidum charitatis per Spiritum Sanctum, qui est remissio peccatorum (*Act.13.*) & radix amoris, habuerimus. Invocemus proinde Spiritum *Invocatio Spiritûs S. contra Socinianos.* Sanctum sine intermissione, cùm semper ope ipsius egeamus: Veni Creator Spiritus, mentes tuorum visita, imple supernâ gratiâ, quæ tu creâsti pectora; invocemus inquam, etiam in supplementum Hæreticorum Socinianorum, qui negant Spiritum sanctum esse invocandum. Veni ergò S. Spiritus & Ecclesiæ Tuæ in utroque statu constitutæ, cum qua promissus es manere in æternum, Ordini nostro, Olivæ nostræ assiste lumine gratiæ
D Tuæ animabus agonizantibus & defunctis rore consolationis Tuæ, ut omnes ad consortium Divinitatis per Te admissi, simus & nunc & semper consummati in unum. (*Joan. 17.*)

Sermo in festo Sanctissimæ Trinitatis.

Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto, canit Ecclesia in Divino Officio.

VErè soli DEO honor & gloria, (*1. Tim.1.*) P. R. F. D. qui dixit *Gloria DEI.* *Isaiæ 42.*) Gloriam meam alteri non dabo: nec tantùm gloria in altissimis DEO, (*Lucæ 2.*) vel cœli solùm enarrant gloriam Dei, (*Ps.18.*) sed etiam terra plena est gloriâ Domini, (*Isa.6.*) imò super omnem

terram gloria ejus.(*Ps.107.*)Benedicta ergò sit gloria Domini in cœlo & A
in terra, & gloria ipsius semper innovetur (*Job.29.*) ab omni creatura.
Nobis tamen expedit singulariter bono animo reddere gloriam Deo,(*Eccli.*
35)super quos speciali titulo gloria Domini habitavit. Quid enim,(*Exod 24*)

Oliva habitatio Gloriæ D.

ubi credimus nos degere? Nonne in loco habitationis gloriæ DEI?
(*Psalm.25.*) Utique domus hæc sigillatim Deo Patri & Filio & Spiritui Sancto est dedicata. Et quæ gloria Deitatis nisi Trinitas? Et Tri-
nitatis quæ gloria, nisi una Deitas? Huic unitrinæ Deitati Oliva con-
secrata, facta est templum gloriæ Domini. Quidni in hoc templo ejus
omnes dicant gloriam, (*Psalm. 28.*) cùm etiam unusquisque nostrum
sit templum DEI, (*1. Cor.3.*) nec non & Dominus sit gloria nostra & B
exaltans caput nostrum. (*Psalm.3.*) Si licet gloriari, gloriemur in Do-
mino DEO nostro, (*1. Corinth. 1.*) demus ei gloriam à labiis nostris.
(*Eccli.50*) Demus gloriam laudi ejus, (*Psalm 65*) gloriemur in laude
DEI, (*Psalm. 105.*) & de gloria ejus. Promittit DEUS Israeli apud

Notatio nom. Oliva.

Osee *cap. 14.*) erit quasi Oliva gloria ejus. Jam hic Oliva est gloria
Dei, qui cùm sit Alpha & Omega, principium nempe & finis: (*Apoc.1.*)
Oliva ab Omega id est fine incipiens tendit ad Alpha principium Deum
suum, non sibi sed nomini ejus Unitrino dans gloriam (*Ps.113*) Ergò non
mentiatur opus Olivæ, (*Habac.3.*) imò ut inhabitet gloria DEI in ter-
ra nostra: (*Psalm 84.*) misericordia & veritas obvient sibi, justitia & C
pax se osculentur. (*Ibid.*) Misericordia Dei cum veritate humilitatis no-
stræ jungatur. Omnes enim peccavimus & egemus gloriâ DEI. (*Rom.3*)

Humilitas disponit ad Gloriam.

Gloria hæc est misericordia ejus; unde de nostra humilitate veraciter glo-
riemur, (*Judith. 8.*) ut gloriari possimus in miserationibus Dei. (*Ps.17.*)
Glorietur frater humilis in exaltatione sua; dives autem in humili-
tate sua, (*Jac. 1.*) nec sit scrutator sed venerator Majestatis, ne oppri-
matur à gloria. (*Prov. 25.*) Et sic humilis spiritu suscipiet gloriam,
(*Proverb. 29.*) gloriam enim præcedit humilitas, *Prov. 15.*) quando per
confessionis veritatem spiritum humilitatis ac misericordiam DEI con-
sequetur. Succedat justitia DEI, & faciat pacem in terra hominibus D
bonæ voluntatis, (*Lucæ 2.*) Gloria enim virtutis nostræ DEUS est, &
in beneplacito ejus exaltatur cornu (*Psalm. 88*) copiæ nostræ; in ju-
stitia ejus nos justificante pax vera, cùm Deo soli datur gloria; ita ut etiam
timor Domini sit gloria & gloriatio nostra, (*Eccli. 1.*) justitiam custodiens
& pacem conservans. Gloria nostra hæc sit testimonium bonum con-
scientiæ nostræ (*2. Corinth.1.*) nos minimè reprehendentis: inde orietur
justitia & abundantia pacis. (*Ps.71.*) Si tamen in lege testamenti Domini
etiam gloriemur, (*Eccli.39.*) pax multa erit nobis diligentibus legem Dei,
(*Psalm. 118.*) quæ est immaculata convertens animas: (*Ibid.*) testi-
monium quoque erit fidele sapientiam præstans parvulis (*Psalm. 18.*)
nobis, ne gloriam nostram, quæ in Deo est, evacuemus (*1. Corinth. 9.*)
vel mutemus in similitudinem vituli comedentis fœnum, (*Psalm. 105.*)
adhæ-

A adhærentes carni quæ fœnum est, (*Isaiæ 4.*) adhærentes mundo, cujus gloria est quasi flos agri, (*Idem cap. 40.*) flos decidens gloriæ, (*Idem c. 28.*) ut sic gloria nostra in pulverem deducatur. (*Ps. 7.*) Non inferamus tale crimen gloriæ nostræ, (*1. Mach. 9.*) nec demus maculã similem in gloriam nostram. (*Eccli. 33.*) Gloria magna est sequi Dominum (uti testatur Sapiens *Eccli. 23.*) videlicet legem exequi, ambulare coram Deo in justitiã & veritate: (*3. Reg 3.*) hinc gratia & misericordia in sanctos ejus & respectus in electos illius. (*Sap. 4.*) Apud Jeremiam *cap. 9.*) præcipit Deus. Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua; & non glorietur dives in divitiis suis, sed in hoc glorietur B qui gloriatur, scire & nôsse me, quia ego Dominus, qui facio judicium & justitiam in terra. Fratres mei, quæ est sapientia nostra? quæ fortitudo nostra? quæ divitiæ nostræ? nisi Pater & Filius & Spiritus Sanctus. Huic unitrino Deo sit gloria in nobis, de nobis & per nos; sit gloria, si quid est sapientiæ nostræ vel divitiarum nostrarum spiritualium, ei, ex quo omnia, in quo omnia & per quem omnia: (*1. Cor. 8.*) ipsi inquam soli gloria sit, (*1. Timoth. 1.*) nobis autem confusio. (*Daniel. 9.*) Et si gloriari oportet cum Vase electionis Divinæ Paulo *2. Corinth. 11.*) quæ infirmitatis sunt nostræ gloriemur, ut inhabitet in nobis virtus Christi. (*2. Corinth. 12.*) Gloriemur in infirmitatibus, (*Ibid.*) gloriemur in C tribulationibus (*Roman. 5.*) scientes, quòd momentaneum & leve tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operetur in nobis. (*2. Corinth. 4.*) Absit nobis gloriari nisi in cruce Domini nostri JESU Christi, (*Gal. 6.*) ut exinde gloriari possimus in spe gloriæ filiorum Dei: (*Rom. 5.*) Non efficiamur inanis gloriæ cupidi; (*Gal. 5.*) gloria enim nostra talis nihil est, (*Joan. 8.*) est in confusionem, (*Phil. 3.*) imò hæc gloria in ignominiam convertetur; (*Osee. 4.*) erit stercus, (*1. Mach. 2.*) Gloria quidem erit nobis & honor operantibus bonum, (*Rom. 2.*) ita tamen ut omnia quæ facimus, in gloriam DEI faciamus. (*1. Cor. 10.*) Quid enim habemus, quod non accepimus? (*1. Cor. 4.*) D Ideò non loquamur de nobis sublimia gloriantes; (*1. Regum 2.*) non habeamus gloriam nisi apud Deum; nec simus nisi in laudem gloriæ ejus, (*Ephes. 1.*) utinam condigna vasa gloriæ ejus (*1. Mach. 2.*) versemur & conversemur in hac domo Dei, (*1. Timoth. 3.*) domo SS. Trinitatis, cujus patrocinio gaudemus, ut cantet semper ei gloria nostra *Psalm. 29.*) omnis actio nostra, ne de nobis unquam verificetur: *Isaiæ 26.*) In terra sanctorum iniqua gessit, non videbit gloriam Domini: sed potiùs sit quasi Oliva gloria Dei in nobis; (*Osee 14.*) simus quasi Olivæ fructiferæ in hac domo Dei. (*Psalm. 51.*) O. Obedientiam diligentes. L. Legem Dei meditantes. (*Psalm. 118.*) J. Justitiam sectantes. (*1. Timoth. 6.*) V. Veritatem & Vnitatem spiritûs servantes. (*Ephes. 4.*) A. Amore DEI super omnia inflammati, ut sit species gloriæ Domini in nobis quasi ignis ardens super verticem montis, (*Exod. 24.*) nimirum in culmine perfectio-

Servire DEO gloria.

Gloria in Cruce.

Soli DEO Gloria.

Oliva nomen Virtutum.

perfectionis religiosæ, in conspectu universitatis. Ad hæc gratiam dabit Dominus (*Psalm.* 83.) & postea gloriam, ubi percipientes immarcescibilem gloriæ coronam, (1. *Petr.* 5.) magnificentiam gloriæ sanctitatis suæ loquemur (*Psalm.* 144.) & satiabimur, cùm apparuerit nobis gloria, (*Psalm.* 16.) Patris & Filii & Spiritus Sancti.

Sermo in festo Sancti Joannis Baptistæ.

Joannes est nomen ejus & mirati sunt universi. Lucæ 1.

Prædicata S. Joannis B. admiranda.

JOannes Patriarcharum exspectatio, oraculum Prophetarum, testamenti veteris Epilogus, novi Prologus, legis antiquæ coronis, novæ corona, Apostolorum primicerius, prima Evangelii tuba, Martyrum coryphæus, Virginum exemplar, Angelorum in terris prototypon, sterilium parentum proles, hodie nascitur. P. R. F. D. Nascitur inquam, dum circumciditur & vocatur Joannes. Hæc enim erat vera nativitas fieri filium Abrahæ, adscribi catalogo populi electi, venire in censum plebis Israel, nimirum circumcisio. Hic denique à Matre nominatur Joannes, à Patre scribitur; Joannes est nomen ejus. (*Lucæ* 1.) Infert Evangelista: (*Ibid.*) & mirati sunt universi. Joannes Archangeli Gabrielis prædictio, loquelæ paternæ præclusio, salutationis Marianæ tripudium, JESU Virgineo conclusi utero sanctificatio, Matris Spiritu Sancto repletio, infans in utero materno loquens quia exultans, quidni jam tunc poterat esse mundi prodigium? Nusquam tamen dicitur miratos esse universos nisi tunc, quando publicatur: Joannes est nomen ejus. Quidnam hic credimus, Fratres mei, potest esse tantæ admirationis causa? quæ origo stuporis, nihil aliud arbitror, nisi hoc quod in Joannis nomine præsignatur, videlicet DEI gratia. O verè opus inter omnia opera Dei maximè admirandum, gratia DEI gratis data hominibus peccatoribus! & hæc primùm illuxit in Joanne. Joannes re & nomine gratiosus, oris paterni reserator, Prophetiæ ejus præconium, Propheta Altissimi à patre dictus, à Filio Dei Incarnato plus quàm Propheta nuncupatus, (*Lucæ* 7.) pòst incola deserti, solitudinis cultor, Eremitarum Patriarcha, frater draconum & socius struthionum, (*Job.* 30.) ferarum non ferus accola, parsimoniæ in victu, austeritatis in vestitu portentum, speculum abstinentiæ & continentiæ, tandem in publicum prodiens prædicator pænitentiæ, adeoque factus Præco gratiæ Divinæ; nonne jure merito admirationem parere poterat universis? Joannes homo missus à Deo, (*Joan.* 1.) luminis exorti testis, viæ Dominicæ præparator, Filii Dei Incarnati præcursor, Verbi Divini antesignanus, in spiritu & virtute Elias, (*Lucæ* 1.) index Agni Dei, Angelus ante faciem Christi, (*Lucæ* 7.) asylum peccatorum, pænitentium refugium, denique ipsius Baptista Salvatoris: equidem magis & magis tantis facinoribus heroicis in admirationem rapere potest universos. Joannes scribarum

Admirandum opus D. Gratiæ.

Qualis Præco Gratiæ D.

Abarum & Pharisæorum exhortator, publicanorum fulminator, Sacerdotum & Levitarum inquisitio, dum interrogatur *Joan.* 1.) Tu quis es? nullos sibi arrogat titulos ex omnibus; dum de officio examinatur, discutitur de ministerio, respondet: (*Ibid.*) Ego vox clamantis in deserto. Quodnam istud? Scitis serpentem illum antiqvum callidum Leviathan (*Isaiæ* 27.) imò Draconem magnum Behemoth principium viarum Dei, (*Job* 40.) sed à viis Dei exorbitantem, extorrem de cœlo, sicut fulgur cadentem Luciferum, (*Lucæ* 10.) jam non Luciferum sed Satanam, authorem idolorum Beelzebub, (4. *Reg.* 1.) Patrem mendacii, hominis deceptorem, imò ab initio homicidam, (*Joan.* 8) regem super universos filios

Prædicata Luciferi.

B superbiæ? (*Job* 41) scitis inquam quid fecerit? Respondet Isaias Propheta: *cap.* 14.) posuit orbem desertum. In hoc deserto Joannes Vox clamantis est. (*Joan.* 11.) Cujus clamantis? Gratiæ Divinæ, quâ per pravitatem consilii sui & Angelos & homines privavit ille pessimus veterator, fecitq; à DEO desertos & derelictos. De hominibus notum est, quin experimur, qui omnes peccavimus & egemus gratiâ Dei. (*Rom.* 3.) Constat & de Angelis, in quibus Deus reperit pravitatem, (*Job.* 4.) sed ob summum malitiæ excessum gratiæ Dei fuêre incapaces. Quid tamen? Et cœlum fuit desertum. Dubitatis? Nonne nonaginta novem oves dimissæ sunt in deserto ab homine, (*Lucæ* 15.) sed Deo homine, qui

Orbis Desertū

Cœli desertum

C descendit missus ad ovem, quæ perierat (*Matth.* 15.) requirendam, totum videlicet genus humanum: cæleste desertum terrestribus hominibus repleturus. Joannes primus, necdum natus, præfati serpentis per gratiam JESU conculcator, in peccatoribus per proclamationem pænitentiæ debellator, in Herode adultero correptor & redargutor, veritatis manifestatione mendaciorum ejus convictor, demùm innocentiâ mortis suæ exstitit triumphator. Quis super his omnibus non obstupescat, quæ in se complectitur ille, cujus est nomen Joannes? (*Lucæ* 1.) Sed redeamus ad nativitatem illius: aliorumque nativitates cum eâ conferamus. Nascitur Isaac ex sterili Sarâ, & ecce ibi nulla est admiratio; sed

Joannes Antilucifer.

D risus. (*Gen.* 18.) Ridere lætitiæ signum est. Quidni rideret præ gaudio, quandoquidẽ initium promissionis Abrahæ à Deo datæ in prole nata fuerat adimpletum? (*Gal.* 4.) Sed in Joanne nascente promissionis hujus auditur consummatio, quando etiam in nomine ejus resonat gratiæ Divinæ manifestatio, ubi verè natura humana posset eloqui: (*Lucæ* 1.) Unde mihi hoc? Nascitur Samson ex sterili matre, nulla ibi admiratio nec lætitia notatur, præterquam quòd Angelus prædicens nativitatem ejus, nomen suum dicat esse mirabile. (*Judic.* 13.) Nascitur Samuel ex sterili Anna, neque ibi mentio fit alicujus admirationis vel gaudii, nisi quòd mater in cantico suo declarat; exultavisse cor suum in Domino. (1. *Reg.* 2.) In Joannis nativitate est universorum admiratio; sed nec hæc sola, reperiuntur & alii affectus. Gabriel prænuntiat (*Lucæ* 1.) erit tibi gaudium & exultatio, & multi in nativitate ejus gaudebunt.

Nativitas Isaac.

Nativitas Sãsonis.

Nativitas Samuelis.

In Nativitate Joãnis stupor, lætitia, timor.

Deinde legimus *Ibid.)* Et factus est timor super omnes vicinos eorum. Ecce in nativitate Joannis stupor, lætitia, & timor; hæc omnia in se concludit Joannis nativitas. Ita equidem, quando gratia Dei illucescit, admiratio mentem ritè præoccupat; est enim gratia miraculum quoddam, per quam peccator justificatur, DEO reconciliatur & unitur. Creatio hujus universi utique magnum DEI miraculum; sed justificatio peccatoris longè majus est (teste D. Augustino) exponente illud Joannis 14.) majora horum faciet, & dicente: majus opus est, ut ex impio fiat justus, quàm creare cœlum & terram. Justificatio autem sine gratiæ Divinæ infusione fieri non potest (docente Apostolo *Tit.3.*) justificati gratis per gratiam ipsius id est DEI. Nonne miserationes DEI sunt super omnia opera ejus, juxta Regium Vatem? (*Psalm.144.*) Nonne DEUS omnipotentiam suam parcendo maximè & miserando manifestat, ex sensu Ecclesiæ Sanctæ? Nonne bonum gratiæ unius majus est quàm bonum totius naturæ universi, secundùm Angelicum Doctorem? Admirandum idcirco est opus Dei, gratia ejus, quam Apostolus vocat vitam æternam. (*Rom.6.*) Hæc sanè in anima humana est gaudium & exultatio. Enimverò quisnam non gaudeat in ejus nativitate, quando in corde hominis exoritur, cùm sit omnium bonorum & supremæ felicitatis plenitudo? Sed ecce timorem lætitiæ jungere oportet, ut gratia, quæ ex timore Dei non tam servili, quàm filiali cæpit initium (sic enim inquit Propheta Isaias *cap.26.*) à timore tuo Domine concepimus & quasi parturivimus & peperimus spiritum salutis, explicat D. Thomas, spiritum pænitentiæ salutaris, quæ gratiam DEI meretur, etiam eodem timore DEI expellente omne peccatum (*Eccli. 1.*) in anima conservetur. Sit igitur nativitas Joannis nobis quoque ex etymo nominis sui gratiæ Divinæ præsagium & effectus; sit admirationis motivum, vox exultationis & salutis, (*Psalm. 106.*) timoris postremò Divini incentivum, ut per merita Divi Joannis unicum hoc & summum bonum thesaurum planè in vasis fictilibus nostris (*2. Corinth. 4.*) gratiam Dei possimus consequi & usque ad mortem custodire.

Justificationis maximum miraculum.

Boni Gratiæ excellentia.

Timor DEI.

Nativitas Gratiæ DEI.

Sermo in Festo SS. Petri & Pauli.

Tibi dabo claves regni cœlorum. Matth. 16.

Clausum peccatô Paradisû aperit D. Filius.

POst transgressionem Divini præcepti factam per primos parentes nostros in paradiso voluptatis (*Gen.2.*) quodam velut atrio cœli, expulsis ipsis, paradisus per Cherubin & flammeum gladium atq; versatilem fuit obseratus, (*Gen.3.*) designavitque aditum cœli per peccatum fuisse occlusum. Agnoverunt hoc Prophetæ sæpiùs inclamantes *Esaiæ 45.*) Rorate cœli desuper, & nubes pluant justum, & desiderantes *apud Eundem c.64.*) utinam dirumperes cœlos & descenderes! neq;

A neq; aperti ſunt, niſi eo deſcendente, quod in cœlis erat & eſt fons vitæ Verbo Dei, ipſo quoq; in excelſis (& quo formati & firmati ſunt cœli; *Pſ.* 32.) Filio Dei, ſuper quem baptizatum cœli aperti ſunt, (*Matth.* 3.) & qui deniq; aſcendit ſuper cœlos cœlorum ad Orientem, (*Pſ.* 67.) Et licet temporibus Eliæ clauſum feratur fuiſſe cœlum aliquot menſibus, ac per orationem ejus apertum, (3. *Reg.* 18.) hoc de cœlo àëreo dictum fuiſſe manifeſtum eſt ex apertione ejus per pluviæ eruptionem, prout etiam id nunc fieri dolentes cernimus & experimur, pro quâ meritò clamare debemus in cœlum, ut Dominus det terris pluviam congruentem. Inde patet triplices cœlos poſſe intelligi, àëreum nimirum, ubi nubes & volucres cæli; æthereum, ubi ſtellæ & luminaria cœli: Empyreum ubi *Temp. Eliæ clauſū Cælum* *Calū triplex.*

B ſedes Dei, Angelorum & Sanctorum: ad quod Paulus raptus fuiſſe creditur, (2. *Cor.* 12) de quo nobis ſermo. Hoc cœlum igitur primogenio peccato clauſum ille Sanctus & verus (*Apoc.* 3.) Sanctus Sanctorum (*Dan.* 9. 2. *Mach.* 4. & 14.) aperuit, qui habet clavim David, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit, (*Apoc.* 3.) juxta Prophetam Dei Iſaiam *cap.* 22.) Dabo clavem domûs David ſuper humerum ejus, & aperiet & non erit qui claudat; & claudet, & non erit qui aperiat. Et quæ hæc clavis Fratres mei? Num reſeratio & intelligentia Scripturarum, quas David inter omnes genere Regio, geſtis eximiis & vaticinio ſingulari excellens in compendium concluſit? cùm *Clavis David.* *Clavis ſcientiæ.*

C & ipſa Veritas teſtetur id dicens Scribis *Lucæ* 11.) Tuliſtis clavem ſcientiæ, utique Scripturarum. An fortaſſè clavis David eſt Regia Chriſti poteſtas? dabit enim illi Dominus (prædicit Angelus *Lucæ* 1.) ſedem David Patris ejus & regnabit. Vera ſunt hæc, ſed congruentiùs dicitur *Iſaiæ* 22.) clavis domûs David, templi nempè Davidici per Salomonem extructi, quod fuit typus Eccleſiæ, poteſtas Chriſti ſumma in Eccleſia Dei, ſuâ nimirum, eſt, quâ aperit illam iis, quos ad eandem per gratiam ſuam vocat; claudit verò iis, qui fidei & gratiæ Chriſti reſiſtunt. Hæc eadem poteſtas ejus, eſt in Eccleſia ad remittendas culpas & pœnas, quam primariò Chriſtus Dominus Sancto Petro *Regia Chriſti poteſtas.* *Poteſtas ſumma Pontificia.* *Claves Petri.*

D Apoſtolorum Principi & Eccleſiæ ſuæ primo Capiti communicavit dicens: *Matth.* 16.) Tibi dabo claves Regni cœlorum. Nec ipſi ſoli tantùm, ſed & aliis Apoſtolis, & inter eos S. Paulo eandem poteſtatem clavium impertitus eſt ligandi nimirum & ſolvendi, quod idem eſt claudendi & aperiendi, remittendi & retinendi peccata, per quæ cœlum claudi eſt indubitatum. Jam verò qui cœli apertionem, vinculi ſolutionem videlicet remiſſionem peccatorum deſiderat, (*Epheſ.* 1.) clavim ad hoc reperire neceſſum habet, & hæc non eſt alia niſi pœnitentia, quæ aperit cœlum, dum vera eſt, mereturq; à culpa abſolutionem. Huic altera clavis non minùs opitulatur, crux, de qua Aureum Os inquit: Crux Chriſti eſt veluti clavis, quâ ipſe cœlum aperuit & velut inſtrumentum omnipotentiæ Chriſti, quod eſt clavis Regia, quâ omne- *Clavis Pœnitentiæ.* *Clavis Crucis.*

res claudi & aperiri possunt, quàm crucem tollere omnibus sui sequacibus injunxit. Per poenitentiam igitur & per crucem coelum aperitur, quæ quomodo Sancti Apostoli hodierni usque ad mortem tulerint, non indiget explicatione. Vita enim & mors illorum nonnisi poenitentia & crux fuit nobis in exemplum : ut in his eorum sequamur vestigia, si regnum coelorum ingredi concupiscimus. Sciendum tamen nobis est, quod ille ipse primus & novissimus (*Apoc. 1.*) Filius Dei, filius hominis factus, de se dicit: (*Ibid.*) habeo claves mortis & inferni, quasi dicat : habeo potestatem hostes meos inobedientes, rebelles, contumaces, morte & gehennâ puniendi, eosque in morte & inferno concludendi. Habet sanè utramq; potestatem & præmiandi in coelo, & puniendi in inferno velut Judex supremus, cui data est omnis potestas in coelo & in terra: (*Matth.28.*) diversimodè diversis & vitam æternã conferendi, & suppliciũ mortis perpetuæ inferendi. Et hæc est clavis abyssi: (*Apoc 20.*) judicia enim Dei abyssus multa. (*Psalm. 35.*) Unde jure merito nobis si ab hisce judiciis timemus, recurrendum est ad primam Regni coelorum clavim, & per imitationem SS. Apostolorum, quos Deus voluit etiam obnoxios esse peccatis, ut nobis specula fierent poenitentiæ: quorum unus abnegationis Christi delictum etiam sibi dimissum continuis tamen usque ad mortem lacrymis diluebat? (*Lucæ 22*) alter persecutionis Ecclesiæ transgressionem, castigatione corporis, stigmatum Christi portatione (*Galat. 6.*) adimplens ea, quæ desunt passionum Christi in carne sua, detergebat : per eorum inquam imitationem faciamus & nos dignos in cruce Religiosa Ordinis Sacri quam gestamus, poenitentiæ fructus : (*Lucæ 3.*) & exinde eorum meritis digni reddamur & per intercessionem ipsorum, Regni coelorum apertionem nobis mereamur. Habuerunt & ipsi clavem scientiæ, (*Lucæ 11.*) cùm ipsa Dei Sapientia illis aperiret sensum, ut intelligerent Scripturas, (*Lucæ 24.*) & uni quidem Pater, qui in coelis est, (*Matth.16*) revelavit, alter per revelationem Jesu Christi Evangelium accepit: (*Galat. 1.*) hæc nihilominùs scientia non eos inflabat sed ædificabat; ædificabat & alios, quibus verbum DEI sibi revelatum prædicabant, ut sic & doctrinâ & exemplo omnibus prælucerent. Nec minùs habuerunt potestatem Regiam & Sacerdotalem in Ecclesia Christi, qui fecit illos & nos Deo Patri suo regnum & Sacerdotes, (*Apoc. 1.*) regnum id est reges, qui hic vitiis per virtutes & in futuro morti & miseriis per beatam æternitatem dominemur; Sacerdotes nimirum offerentes spirituales hostias Deo, utpote orationes, eleemosynas, jejunia, aliaque bona opera, & per hæc Regnum coelorum velut genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, (*1. Petr. 2.*) adipiscamur suffulti patrocinio Apostolorum veluti Cherubinorum illuminatorum scientiâ, armatorum gladio spiritûs, quod est verbum DEI, Præpositorum paradisi ad custodiendam & aperiendam viam Regni cælorum.

Vita Apostolica, Pænitentia & Crux.

Claves mortis & inferni.

Clavis Abyssi.

Petrus pænitẽs

Paulus mundo crucifixus.

Scientia inflat

Regnũ & Sacerdotes mysticè.

Sermo

A

Sermo in Octava S. Joannis Baptistæ.

Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista.
Matth. 11.

QUis DEUS magnus sicut DEUS noster? (*Psalm. 76.*) Reverà solus DEUS magnus Dominus & laudabilis nimis (*Psalm. 144.*) in magnitudine sua: cujus magnitudinis non est finis, (*Ibid.*) neque numerus. Non enim terminari, neque computari potest DEI magnitudo. Si in excelsum suprà respexeris; altissimus est: ita ut liceat cum Apostolo exclamare *Rom* 11.) O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus & investigabiles viæ ejus! Ille enim altissimus, omnia sapiens, omniscius & omnipotens, incomprehensibilis est & investigabilis, adeoque verè magnus in sublimitate sua & magna virtus ejus; (*Psalm. 146.*) qui facit mirabilia solus. (*Psalm. 135.*) Si in profundum inferni despexeris, adest, qui intuetur abyssos. (*Daniel. 3.*) Si longitudinem, si latitudinem, circumspexeris; in illâ infinitus, in hâc immensus est: cujus centrum ubiq;, circumferentia nusquam. Si amplitudinem & durationem temporis suspexeris, æternus est: à seculo & usq; in seculum tu es Deus (ait Vates *Ps. 89.*) Si bonitatis ejus viscera inspexeris, hic verè est DEUS Optimus Maximus, qui meritò laudandus est secundùm multitudinem magnitudinis suæ. (*Psalm. 150.*) Quidquid porrò in creatis magnum est, ab illius venit magnitudine: unde & Divus Joannes Baptista per ipsum magnus fuit, imò apud ipsum; quia magnus coram Domino, (*Lucæ 1.*) quo inter natos mulierum non surrexit major. (*Matth. 11.*) Sed nunquid non filius Dei filius hominis factus ex muliere; (*Galat. 4.*) illa inquam muliere forte, cujus pretium procul & ab ultimis finibus, (*Prov. 31.*) muliere amictâ sole & lunam peccati pedibus calcante; (*Apoc. 12.*) illâ quæ circumdedit virum; (*Jerem. 31.*) ipsum nempe filium Altissimi in utero suo concepit, de quo Angelus *Lucæ 1.*) Hic erit magnus: nunquid inquam hic natus mulieris non est Joanne major? Imò vel maximè: quia simul magnus DEUS. Et erit, (inquit Angelus) magnus, videlicet, magnus homo absolutè & à seipso: quia una Persona Deus homo: Joannes autem magnus coram Domino; (*Ibid.*) magnus respectivè & ab alio, magnus per Dominum, Nunquid etiam Joannes major Matre DEI, quæ non minùs nata mulieris, filia Sanctæ Annæ? Minimè. Quid enim majus Matre Domini? (interrogat S. Joannes Damascenus.) Excepto DEO sola est omnibus major, (respondet S. Andreas Cretensis.) Ipsa est, quâ majorem facere Deus non potest (asserit Seraphicus & Angelicus Doctor.) Nihil tibi Domina æquale, (alloquitur eam S. Anselmus) nihil comparabile. Omne quod est, aut supra te est, aut infra te est. Supra te solus Deus, infra te omne,

DEI Magnitudo. — *Altissimus.* — B — *Optimus Maximus.* — C — *Joannis Magnitudo.* — *Benedicta in Mulieribus.* — D — *Magnitudo Matris D.*

quod Deus non est. Quomodo ergò inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptistâ? (*Matth.* 11.) Notate verba, signate mysteria. Ipsa Veritas dicit *Ibid.*) Non surrexit. Surrectionem præcedit lapsus. Si Joannes surgere debuit, ergò cecidit. Ita est; non in se ipso; sed in primo parente per peccatum originale lapsus est & jacuit in communi massâ damnationis: verùm ope filii Dei, ope Matris DEI surrexit. Ut enim facta est vox salutationis Mariæ Verbum Dei gestantis in utero, exultavit infans Joannes in utero (*Lucæ* 1.) Matris suæ Elisabeth. Tunc surrexit major, cùm exultavit per præsentiam Filii DEI, per vocem Matris DEI, à lapsu primigenii peccati liberatus, quia sanctificatus. Jam verò JESUS Christus natus mulieris Virginis immaculatus peccatum non fecit (1. *Petr.* 2.) & fuit ab omni peccato immunis, imò venit tollere peccata mundi: (*Joan.* 1.) Mater quoque ejus fuit absq; omni peccato, quin imò contrivit caput serpentis antiqui, (*Gen.* 3) quod caput erat originale peccatum, initium perditionis humanæ principale. Ac ideò neque Filius Dei, neque Mater ejus surrexit major, quia nunquam cecidit, sed semper tam ipse quàm ipsa majores fuerunt, semper manserunt constantes in magnitudine istâ sibi à DEO ab ipso ortûs eorum instanti communicatâ. Quemadmodum primus homo & prima mulier ipsi data, recti à Deo creati, cùm in honore essent, (*Psal.* 48.) à magnitudine suâ, per dissensum à voluntate Dei, & per consensum ad peccatum incurvati corruerunt, ita necesse erat, ut secundus Adam & secunda Eva jam felicior Mater cunctorum viventium (*Gen.* 3.) liberi à peccato, in magnitudine, in qua creati sunt, perseverarent: ut per utrumque sexum, uterque sexus ad magnitudinem Dei surgeret, elevaretur, & repararetur. Excepto igitur Filio DEI & Matre DEI inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista. (*Matth.* 11.) Sed quæ hæc magnitudo ejus omnes alias natas & creatas superans magnitudines? Quidquid in Joanne est, magnum est, & admirandum. Conceptus ejus ex matre sterili; ab Angelo prædictio. Sanctificatio ejus; exultatio in utero. Ortus ejus; gaudium multorum. Nomen magnum à DEO vocatum; per Angelum edictum, præter opinionem omnium, inditum, denique Joannes est nomen ejus, & mirati sunt universi. (*Lucæ* 1.) Quidni mirarentur? cùm hoc ipsum nomen, quod gratiam significat, patris muti os aperiret & linguam ejus faceret disertam; ita ut diffusa esset gratia in labiis ejus, (*Psalm.* 44.) prophetizantis & benedicentis Deum. Munus ejus Angelicum; hic est enim, de quo scriptum est, testimonio ipsiusmet æternæ Veritatis: *Matth.* 11.) ecce ego mitto Angelum meum. Officium ejus; Præcursoris, Legati magni, Caduceatoris, Paranymphi, Amici Sponsi. Opus ejus. Vox clamantis in deserto, (*Lucæ* 3.) parare viam Domino, & parare plebem perfectam. (*Lucæ* 1.) Vestitus ejus; pili cameli & zona pellicea. (*Ibid.*) Victus ejus inimitabilis: locustæ & mel sylvestre. (*Ibid.*) Habitatio ejus, desertum. Vita ejus,

Surrectio præsupponit lapsum.

Omnia magna & admiranda in Joanne.

Victus inimitabilis.

ejus, rigor & disciplina. Prædicatio ejus, pœnitentia. Honor ejus & gloria: baptismus Christi. Finis ejus; carcer & martyrium. Quanta & quàm magna hæc sint, quis edisseret? Puer, Propheta Altissimi (*Ibid.*) imò plus quàm Propheta, (*Matth.11.*) quia Angelus, Seraphinus planè & Cherubinus, quia lucerna ardens & lucens. (*Joan.5.*) Spiritu & virtute Elias. (*Lucæ 1*) Legis & Prophetarum terminus. Statûs gratiæ re & nomine principium. Primus novi Testamenti Patriarcha, Apostolus Dei, quia missus à Deo. (*Joan 1.*) Martyr multimodè in vita & in morte. Confessor & testis Christi digito eum monstrans & dicens: (*Ibid.*) Ecce agnus DEI. Virgo omnimodè, & carne & mente virgo, in Herode adulterium detestatus: deniq; & Doctoris & Martyris, & Virginis laureolam adeptus. Quanta Joannis magnitudo, omnium hominum, omnium dignitatum, omnium Hierarchiarum in se quasi compendio complectens magnitudines! Verè non surrexit, non ascendit major Joanne. Sed quare? Quia nemo descendit minor. Quid minus potest esse voce? Et talem se, dum interrogaretur quis esset, confessus est. (*Joan.1.*) Hic planè verificatur Axioma Sapientis *Eccli.3.*) Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & invenies gratiam coram Altissimo. Joannes gratia cùm major omnium surrexisset, humiliat se & facit minimũ omnibus, vocem se nominans; & per hoc fit major omnibus: qui enim se maximè humiliat, maximè exaltabitur. (*Lucæ 14.*) Quare Joannes major? Quia licet innocens, tamen pœnitens, & priùs pœnitens, posteà pœnitentiam prædicans; priùs ardens, posteà lucens: præcurrens & sequens eum, qui cæpit priùs facere, posteà docere. (*Actor.1.*) Et nos non ad parva sed majora nati, semper majores surgere debemus ad exemplum Joannis. Magnitudinis Divinæ per fidem speculatores effecti, (*2 Petr.1.*) bono animo gloriam reddere Deo debemus. (*Eccli 35.*) Magnificentiam sanctitatis Divinæ loqui, & mirabilia ejus narrare tenemur (*Psalm.144.*) Magnum nomen Dei extollere atque exaltare; & ad magnitudinem Dei per humiliationem nostri tendere obligamur. Magnus esse vis? (interrogat magnus Augustinus, & respondet) à minimo incipe. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? De fundamento priùs cogita humilitatis; & invenies gratiam coram oculis Domini: qui humilia respicit & alta à longè cognoscit: (*Psalm.112.*) sed nec ea volens cognoscere despicit. Esto & tu lucerna ardens interiùs, lucens exteriùs; pœnitentiæ per amorem Dei accensæ flammâ exurens & absumens fluxa peccatorũ; testimonium perhibens de vero Dei lumine, (*Joan 1.*) non ex te qui tenebræ es, (*Eph.5.*) sed à Patre luminum (*Jac.1.*) orto: ad Deum referens omne bonum, tibi omne malum imputans, & ideò dignos faciens pœnitentiæ fructus. (*Lucæ 3.*) Esto vox verbi Dei, in te & corde tuo illud conservans; (*Lucæ 2.*) extra te, ore & opere tuo exprimens, & sic eris Joannes major: cum Joanne minutus per humilitatem, cum Christo crescens per virtutem, nempe in gratia

Finis Joannis & prædicatio.

Humilitas exaltatur.

Innocentia Pœnitens.

Imitatio Joannis.

Lucerna ardens & Lucens.

DEI semper proficiens & te perficiens in eâ; quæ maxima Deus est; charitate (*1. Joan. 4.*)

Sermo in festo Visitationis B. M. Virginis.

Sanctificatur Joannes in Utero.

BEnedictus Dominus DEUS, quia visitavit & fecit redemptionem plebis suæ (*Lucæ 1.*) sigillatim hodie, quòd Joannis præcursoris sui liberationem à funibus originalis peccati, quibus circumplexus erat, per visitationem Virginis Matris suæ sanctissimæ, adimpleverit. Planè per viscera misericordiæ visitavit (*Ibid.*) Dominus Joannem, per viscera materna illuxit Oriens ex alto (*Ibid.*) Joanni in vinculis, & in carcere uteri materni posito gratiam ei infundens sanctificantem. Nonne hic apertè visitatio Jesu & Mariæ custodivit spiritum (*Job. 10.*) Joannis, à captivitate diaboli ipsum vindicans sibique vendicans Verbum, Vocem per vocem salutantis Mariæ? Consideremus mirabiles vias Domini visitantis nos. Per vocem Angeli nuntiantis Verbum incarnandum; atque aurem credentis & assentientis Virginis concipitur in utero ejusdem: ubi visitans verè visitavit nos Dominus, (*Exodi 3.*) ut ab Ægyptiaca Pharaonis infernalis redimeret servitute. Quid est homo, quòd memor es ejus, aut filius hominis, quia visitas eum, (*Ps. 8.*) quia magnificas eum, & apponis ad eum cor tuum? (*Job. 7.*) Unigenitum tuum è sinu Tuo Paterno, in viscera materni uteri demittendo? Cognosce ô homo tempus visitationis tuæ, (*Jerem. 50.*) quâ te visitat in salutari suo, (*Psalm. 105.*) ne veniant in te dies tribulationis, dies alterius visitationis (*Osee 9.*) quando egredietur de loco suo, descendet de cœlo, ut visitet iniquitatem habitatoris terræ (*Isaiæ 26.*) contra eum in extremo judicio. Cognosce inquam, ne Propheta Jeremias super te lamentetur dicens *cap. 8.*) Milvus in cœlo cognovit tempus suum, turtur & hirundo & ciconia custodierunt tempus adventûs sui; populus autem meus non cognovit judicium Domini. Nunc judicium est diaboli, nunc Princeps mundi ejicitur foras; (*Joan. 16.*) vix concipitur Filius Dei, mox descendit in prælium parvulus. David contra Giganteum Goliathum, pro quo exurgens Maria, abiit in montana. (*Lucæ 1.*) Justitia enim Domini vindicativa sicut montes Dei. (*Psalm. 35.*) Abiit cum festinatione, (*Lucæ 1.*) ut acceleraretur prælium, citò veniret salus & non moraretur (*Isaiæ 46.*) Joanni captivo, ut salvaretur ab hoste & liberaretur. Sed per quam viam? Per viam salutis nostræ Mariam. Per hanc spargitur lux. (*Job 38.*) Visitat illa Elisabeth & Joannem utero ejus inclusum salutat, & salutem per vocem salutationis impertitur. Transit vox Mariæ per aurē Elisabeth, (*Luc. 1.*) & ecce Joannes vox Verbi confestim exultat: quidni jam victor, jam triumphans de hoste, quia recepit salutem ex inimico suo, redemptus de manu ipsius, (*Ps. 77.*) qui oderat ipsum? Non est alia via salutis, fratres mei, quam per Mariam, & viam Mariæ, nempe auditionem & obauditi-

Viæ Domini Visitantis. Incarnatio. *Judiciū DEI.* *Visitatio B. V.*

A auditionem Verbi Divini. Repeto antedicta: Verbum Dei annuntiatur Virgini Sanctissimæ per vocem Angeli Gabrielis. Audit Maria & beata, quæ credidit, quoniam perfecta sunt ea in ipsa, quæ dicta fuerunt illi à Domino, (*Lucæ* 1.) quòd non esset impossibile omne verbum, quòd ipsum erat Filius Dei incarnatus. Audit, inquam, Maria & obaudit; præbet assensum & dicit: *Ibid.*) fiat mihi secundùm verbum tuum. Et ecce mox Verbum Dei, Caro factum est: (*Joan.* 1.) effectus verbi secutus est. Verbum Domini salutiferum non otiatur, non stat vacuum, procedit ultrà & statim prodit se per vocem Angelicæ, imò Divinæ quia Deo imprægnatæ Virginis salutantis. Audit Elisabeth, fit

Verbum D. audiendum.

Non otiosum est Verbum D.

B vox salutationis in auribus ejus; (*Lucæ* 1.) resonat in utero; excitatur vox Verbi Divini caro facta: Joannes vox Verbo Dei obtemperans salvatur, exultat Vox clamantis in deserto (*Matth.* 3.) uteri non deserti à Deo sed repleti, fit undique vox exultationis & salutis in tabernaculis justorum, (*Psalm.* 117.) quia factus est Dominus Joanni in salutem (*Ibid.*) per vocem Mariæ. Ubique Maria salutis nuntia, salutis bajula, Mater salutis, & licet beata in visceribus, quibus Verbum Dei portavit; beata in uberibus, quæ Filius Dei suxit: sed quin imò beatior ex auditu & custodia Verbi Divini, dicit ipsum Verbum Dei. Non meo, sed venerabilis Bedæ sensu loquor dicentis idipsum. Dei Genitrix inde quidem be-

B. V. undè beata?

C ata, quia Verbi incarnandi ministra facta est temporalis, sed inde multò beatior, quia ejusdem semper amandi custos manebat æterna. Scitis Fratres inobedientiam Verbo Dei factam per hominem, inimicitias inter semen mulieris & serpentis secum traxisse. (*Gen.* 3.) Semen solius mulieris est Verbum Dei caro factum (*Joan.* 1.) per obedientiam Virginis Matris susceptum: semen serpentis originale peccatum per inobedientiam causatum. Inimicitia perennis inter utrumque semen, sed fortior superveniens (*Luc.* 11.) Virtus & Sapientia Divini Verbi fortem armatum vicit, arma inobedientiæ abstulit, spolia gratiæ distribuit. Unde ad primum conflictum festinavit, contrivit caput serpentis (*Gen.* 3.) in Joanne ipsum

D sanctificando, quod priùs in Matre contriverat illam præservando. Unde & ipsa Mulier benedicta in mulieribus (*Lucæ* 1.) virtute seminis sui contrivit idem caput serpentis in Joanne per vocem allatæ salutationis, & illatæ salvationis. Verè Virago de viro sumpta, (*Gen.* 2.) de viro, quem circumdederat, sumens robur, viriliter egit: & per obedientiam Verbum concipiens, per obedientiam in montana ad Joannem festinans, inobedientiæ jugum à Joanne sustulit. Et sic Salvator operatus est salutem in medio terræ (*Psalm* 73.) in utero Virginis Matris existens, in utero positum Joannem salvificans, operatus est tamen illam priùs in Maria, posteà cum Maria & per Mariam obedientiæ speculum. O unicum salutis nostræ remedium Maria! O summum salutis humanæ refugium Maria! O desideratum omnigenæ salutis præsidium Maria! Vide qualis est Deiparæ Virginis dignitas, (dico cum Hesychio)

Virago Sancta.

B. V. Dignitas.

unigenitus Dei Filius (*Joan.1.*) velut infans gestabatur ab ea & Adamum reformabat, Evamq; sanctificabat, excludebat draconem, & Paradisum aperiebat, sigillũ uteri muniens (liceat addere,) sigillo gratiæ signans Joannem exinde in utero exultantem, ad svavissimam Marianæ vocis melodiam salutem in salutatione conferentem. Et nos quid? Adhucne rebelles erimus lumini (*Job. 24.*) Verbi Divini? erimusne refractarii voci ejus? Statuemusne nos prævaricatores & transgressores legis (*Jac. 2.*) & mandatorum ipsius: dum à Domino adeò misericorditer visitamur in salutem? Absit: nisi velimus à Domino exercituum visitari in tonitruo & motione terræ & voce magna turbinis & tempestatis & flammâ ignis devorantis. (*Isaiæ 29.*) O tremendi dies visitationis hujus, cùm visitare cœperit Dominus prævaricationes Israel? (*Amos 3.*) cùm visitabit super orbis mala? (*Isa. 13.*) dum intendet ad visitandas omnes gentes Deus Dominus noster fortis zelotes (*Psalm. 58.*) visitans iniquitatem patrum in filios. (*Exodi 20.*) Et quidem temporaliter dicit *Jerem. 27.*) in gladio, in fame & in peste visitabo super gentem illam, donec consumam eos in manu ejus. Finaliter autem & perenniter ait *Sophon. 1.*) Scrutabor Jerusalem in lucernis & visitabo super viros defixos in sordibus qui dicunt in cordibus suis: non faciet benè Dominus & non faciet malè: (bona opera negligentes & omnia mala perpetrantes) visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum dicit Dominus *Jer. 23.*) Juxta est dies Domini magnus, juxta est & velox nimis, vox diei Domini amara (*Soph. 1.*) extremi nimirum judicii. Sit vox diei Domini quæ appropinquavit nobis per Mariam, vox diei extremæ gratiæ, vox hæc planè dulcis in auribus (*Cant. 2.*) & cordibus nostris sit efficax, quâ Verbum DEI nos visitans alloquitur nos. Cum Samuele respondeamus, dicentes *1. Reg. 3.*) Loquere Domine, quia audit servus tuus. Cum Davide paremus aurem *Ps. 84.*) Audiam, quid loquatur in me Dominus. Cum Paulo offeramus nos ad obsequendum (*Actor. 9.*) Domine, quid me vis facere? & cùm sciverimus voluntatem Dei, obtemperemus (*Ephes. 5.*) ei exemplo Matris Dei, quæ fuit observatrix perfectissima mandatorum & consiliorum Dei supra omnes, (teste Divo Antonio) ut digni efficiamur salutis ejus patrocinio. Simus cum Ipsa auditores verbi & factores simul, (*Jacobi 1.*) observantiam legis Divinæ, observantiam Regulæ Sanctæ, quam vovimus, observantiam omnis disciplinæ strictè retinentes, neque ullas difficultates montanorum arduorum, defatigationes incommoditatum prætendamus, suggestiones satanæ conculcemus in sanctitate & justitia coram Deo (*Lucæ 1.*) conversantes, & sic visitabimur à Jesu, visitabimur à Maria, exultabimus & lætabimur; redemptionem veram, & salutem consequendo æternam.

Adhortatio ad obediendũ Deo.

Horrendæ visitationes.

Visitatio Gratiæ D.

Imitatio B. V.

Sermo

Sermo in festo S. Stephani Abbatis.

DIsciplina Sapientiæ cui revelata est & manifestata? Interrogat Sapiens Ecclesiasticus *cap.* 1.) Ipsam Dei Sapientiam ideò incarnatam fuisse, ut homines extra orbitam disciplinæ positos & jumentis insipientibus comparatos (*Psalm.* 48.) doctrinæ Evangelicæ ductu ad viam disciplinæ Christianæ & Christiformis revocaret; nemo est ex nobis, qui non sciat & fateatur. Ibi planè Sapientia Divina facta est infinitus thesaurus hominibus, (*Sapient.* 7.) quo thesauro qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei. Propter quid? propter disciplinæ dona commendati. (*Ibid.*) Hanc Christianam disciplinam ad rigorem perfectionis reduxit Divus Legislator noster verè Benedictus Regulæ suæ magisterio benè nobis dicens: Ausculta ô fili præcepta Magistri, ac si cum Sapiente eloqueretur *Eccli.* 16.) Audi me fili, & disce disciplinam sensûs, veri nimirum & conformis Divinæ sapientiæ. Disciplinam fili mi ne abjicias nec deficias, cùm ab eo corriperis. (*Prov.* 3.) Tene disciplinam, ne dimittas eam; custodi illam, quia ipsa est via tua. (*Prov.* 4.) Audi consilium & suscipe disciplinam, ut sis sapiens in novissimis tuis: (*Proverb.* 19.) Initium sapientiæ est verissima disciplinæ concupiscentia. (*Sapient.* 6.) Auscultavit & audivit Patrem suum & Magistrum Divus Pater noster Stephanus, qui licet humanioribus literis & sanis disciplinis esset apprimè instructus, ad majorem disciplinæ regularis observantiam in solitudine Molismi beatis Patribus, Roberto & Alberico se adjunxit, ubi disciplinam sapientiæ in Regula Sancto Legislatori nostro revelatam, & præfatis Patribus nostris in strictiori Regulæ continentia manifestatam assecutus, in partem curæ assumptus, deformatam posteà in Molismo disciplinam cernens & dolens, ad loci & Ordinis Cisterciensis institutionem velut disciplinæ regularis asylum ferventissimum studium impendit: nec voto frustratus fuit, quando Sanctissimum Patrem nostrum Bernardum triginta sociis comitatum ad Cisterciensis disciplinæ consortium recepit & multiplicatam in rigore disciplinæ gentem suam magnificatâ planè respexit lætitiâ. Sciens porrò curam disciplinæ esse dilectionem, (*Sapient.* 6.) pro majori ejus conservatione conscripsit Chartam Charitatis, per eam stabiliens in regulari disciplina Ordinis unionem. Jam verò alloquitur nos omnes sui & Ordinis sequaces. Nunc ergò filii audite me: audite filii disciplinam Patris & attendite, ut sciatis prudentiam (*Proverb.* 4.) in exacta obedientia secundùm Regulam Divi Benedicti, ut ad eum per obedientiæ laborem redeatis, à quo per inobedientiæ desidiam recesseratis. Audite disciplinam & estote sapientes, & nolite abjicere eam (*Prov.* 8.) per immortificationem corporis & sensuum vestrorum, imò servate eam per jejunium & abstinentiam pro custodia castitatis. Accipite discipli-

Disciplinæ Autor & reformator Christus

Regula Sancta.

Fructus Disciplinæ Sapientia.

Conversio S. Stephani in Molismo.

Cisterciensis rigoris auspicia.

S. Bernardus.

Charta Charitatis.

Obedientia ad literam S. Regulæ.

nam meam & non pecuniam à me paupertatis amatore, doctrinam magis quàm aurum eligite *(Ibid.)* & diligite pro paupertatis conservatione. Audiamus ergò P. R. F. D. & inclinemus aures cordis nostri ad ſciendam ſapientiam & diſciplinam, *(Prov.1.)* ac velut filii admonitionem pii Patris libenter excipiamus & efficaciter compleamus. Nobis planè per ipſum diſciplina ſapientiæ revelata eſt & multiplicationem ingreſſus illius intelleximus. *(Eccli.1.)* Mandatum dilectionis novum in Charta Charitatis expreſſum nobis lucerna eſt; & lex Regulæ Sanctæ lux, & via vitæ increpatio diſciplinæ. *(Prov.6)* Planè via vitæ cuſtodienti diſciplinam. *(Prov.10)* Vultis ſcire quæ illa ſit? Timor Domini (reſpondet Sapiens *Prov. 15.*) diſciplina ſapientiæ. Sapientia enim & diſciplina timor Domini *(Eccli.1.)* & quod beneplacitum eſt illi, utique facere. Qualis hic timor ſit & eſſe debeat, primus humilitatis gradus in Regula nos edocet, videlicet in continua memoria omnium mandatorum Dei, pænarum in transgreſſores, præmiorum in obſervatores, in recordatione præſentiæ Divinæ, in voluntatis propriæ abrenunciatione, in deſideriorum carnis & concupiſcentiæ mortificatione, in fuga peccati & declinatione ab omni malo. Hæc ſunt eſſentialia timoris DEI & hæc ſunt vera ſapientiæ & diſciplinæ argumenta. Quis ſapiens & diſciplinatus inter vos? (quærit Jacobus Apoſtolus & infert *cap. 3.*) oſtendat ex bona converſatione operationem ſuam in manſvetudine ſapientiæ. Hæc ſunt indicia bonæ diſciplinæ: unde meritò orandum cum Regio Vate *Pſalm. 118.*) Bonitatem & diſciplinam & ſcientiam doce me: qui enim diligit diſciplinam, diligit & ſcientiam, *(Prov. 12.)* quæ eſt effectus ſapientiæ, ut ſciat quid acceptũ ſit coram Deo omni tempore, *(Sap.9.)* & in bonitate ac diſciplina illud operetur. *(Eccli.33.)* Bonitas habet annexam miſericordiam, ut ſic cum miſericordia diſciplina accipiatur. *(Sap. 11.)* Sic enim monet Sapiens: *Prov. 3.*) miſericordia (ſui nempe cùm miſeremur animæ noſtræ placentes Deo *(Eccli. 30.)* & proximis omnibus benè facientes) & veritas (realitas nimirum: Spiritus enim Sanctus diſciplinæ effugiet fictum *Sap. 1.)* non te deſerant, circumda eas gutturi tuo; ſcilicet, ut diſciplinam labia tua cuſtodiant *(Proverb. 5.)* quæſtiones ſine diſciplina devitando, *(2. Tim. 2.)* & diſciplinam verba tua ſonent, *(Job. 34.)* ſciendo etiam quod vir prudens & diſciplinatus non murmurabit correptus, *(Eccli. 10.)* & deſcribe in tabulis cordis tui & invenies gratiam & diſciplinam bonam coram Deo & hominibus. *(Prov 3.)* Nos ergò congregati in domo diſciplinæ, apprehendamus cum S. Patre Stephano diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus & pereamus de via juſta, *(Pſalm. 2.)* & dicat *Jerem. 17.*) Induraverunt cervicem ſuam, ne audirent me, & ne acciperent diſciplinam. Viam diſciplinæ ignoraverunt & ſemitas ejus non intellexerunt; *(Baruch. 3.)* cor eorum longè factum à diſciplina. *(Job 17.)* Tunc fiet illis, quod dicitur *Prov. 13.*) Egeſtas & ignominia ei, qui deſerit diſciplinam. Qui enim abjicit diſci-

Timor Domini, primus gradus Humilitatis.

Quis Sapiens & diſciplinatus?

Monaſterium Domus Diſciplinæ.

Infelicitas indiſciplinatorũ.

B

C

D

disciplinam, despicit animam suam. (*Prov.* 15.) Ipse denique morietur, qui non habuit disciplinam, & gemet in novissimis & dicet. *Proverb.* 5.) Cur detestatus sum disciplinam, & increpationibus non acquievit cor meum? Tunc (ait Deus *Prov.* 1.) invocabunt me & non exaudiam: manè consurgent, & non invenient me. Quare? eo quòd exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint, nec acquieverint consilio meo, & detraxerint universæ correptioni meæ. (*Ibid.*) Avertat à nobis Deus ista! Nemo sit inter nos, cui possit dicere Deus. (*Psalm.* 49.) Tu verò odisti disciplinam, & projecisti sermones meos retrorsùm. Cum indisciplinatis animis non erremus; (*Sapient.* 17.) est enim processio in malis viro indisciplinato & est inventio in detrimentum. (*Eccli.* 20) Non verificetur de nobis illud Apostoli *Hebr.* 12.) Quodsi extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes Patres videlicet nostri, Benedictus, Bernardus, Robertus, Stephanus: ergò adulteri & non filii estis. Apprehendamus, dico iterùm, disciplinam, (*Ps.* 2.) quæ nos corrigit in finem; (*Ps* 17.) disciplina ipsa est, quæ nos docebit, (*Ibid.*) ut ambulemus in timore Domini, nec disciplina pacis nostræ carnalis vel mundanæ sit unquam super Christum (*Isaiæ* 53) passum; simus verò in multitudine disciplinæ regularis perseverantes. Omnis autẽ disciplina (teste Apostolo *Hebr.* 12.) in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mæroris, posteà autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ; coronam videlicet illius justitiæ, (2. *Timoth.* 4.) quâ cum Divo Stephano in illo justi Judicis die à Divina Sapientia pro mercede bonæ disciplinæ coronabimur. Fiat, fiat.

Disciplina pacis.

Disciplinæ fructus dulcis.

Sermo in festo Assumptionis B. M. Virginis.

QVæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens innixa super dilectum suum? Filiæ Hierusalem, (*Cant.* 8.) utpote Angelicæ Hierarchiæ & animæ beatæ cœli inquilinæ Mariam Matrem Dei Virginem de terra in cœlum ascendentem hoc festivo cum admiratione, veneratione, & æstimatione excipiunt triumpho ac applausu. Quæ est ista? interrogant *Ibid.*) Num ignorantes? Minimè. Quomodo enim ignorarent Salvatricem & salutis suæ Auctricem, per quam salus æterna, non tantùm humano generi, sed & Angelico statui apparuit JEsus Salvator mundi, (*Joan.* 4.) hominum videlicet & Angelorum pariter Reparator. Ingeminant tamen, quæ est ista? Nimirum quanta, quàm magna, quàm sublimis, ipsis excelsior cœlis facta, (*Hebr.* 7.) cujus uterus cœlum animatum, eum, quem cœli cœlorum capere non possunt, (3. *Reg.* 8.) cepit & comprehendit, nunc cœlum suâ implet præsentiâ. Quàm pulchra & quàm decora Charissima in deliciis, (*Cant.* 7.) quæ in se delicias paradisi DEI (*Ezech.* 28.) continet, easque in cœlestem confert Paradisum. Qualis est hæc? Quàm admirabi-

Interrogatio admirantis.

Magnitudo B. V.

Sanctitas

Dignitas.

mirabilis in splendore majestatis? quàm venerabilis in eminentiâ dignitatis? quàm inæstimabilis in monilibus suis atque in pretii procul & ab ultimis finibus, (*Prov.* 31.) thesaurorum Dei inventi excellentiâ? Quàm amabilis in virtutum & gratiarum affluentiâ? Quàm desiderabilis in bonitatis suæ ac misericordiæ profluentiâ? Hæc sunt, quæ supernas illas mentes in admirationem, venerationem & æstimationem rapiunt, ita ut cogantur exclamare: *Cant.* 8.) Quæ est ista, quanta & qualis, quæ ascendit de deserto? neque nunc solùm ascendit, sed ab ipso immaculatæ conceptionis suæ primo momento semper ascendebat in omni plenitudine gratiarum; plena gratiâ & tamen ultrà semper inveniens gratiam. Ascendebat semper crescens ac proficiens quasi lux splendens usq; ad perfectam diem.(*Prov* 4.)Unde progrediebatur primùm velut aurora consurgens (*Cant.* 6.) diluculum gratiæ Divinæ secum adducens, deinde ut pulchra & plena luna noctis peccati tenebras discutiens; tandem electa ut sol, (*Ibid.*) amicta sole, (*Apoc.*12.) Jesum Dei Filium lucem mundi, (*Joan.* 8.) solem justitiæ (*Malach.* 4.) generans: postremò terribilis non tam terrorem, quàm stuporem incutiens, quia ut castrorum acies ordinata, (*Cant.* 6.) totius firmamenti speciem repræsentans. Cincta quidem est stellis duodecim in capite, (*Apoc.* 12.) eo tamen numero universitatem prærogativarum & privilegiorum Divinorum manifestans. Quid enim videbis in ea (canit Divinum Epithalamium *Cant.* 6.) seu Sulamite id est pacifica vel perfecta, seu Sunamite id est dormiente, quasi dormitionem mortis peragente, nisi choros castrorum? Videbis hinc è cœlo donorum & bonorum Divinorum immensitatem, inde versùs terram mille clypeorum cum omni armatura fortium (*Cant.* 4.) protectionem: utrinq; choros Angelicorum Spirituum assistentium & ministrantium. Castra enim DEI sunt hæc, (ait Jacobus Patriarcha in succursu Angelorum. *Genes.* 32.) Hisce vallata & circumdata ascendit Maria de deserto (*Cant.* 8.) terræ hujus, eo ipso desertæ, quòd corporali Mariæ præsentiâ privaretur. Verè ibi desertum, Fratres mei, ubi Mariæ devotio deseritur, ubi singularis ejus cultus & obsequium exulat; ubi amor Deiparæ Virginis non est præsens, abest & ipsa: jure merito desertores suos deserit Maria. Ascendit proinde de deserto deliciis affluens. Ast ubi Maria fuit, non erat desertum; posuit enim Deus desertum illud quasi delicias & solitudines quasi hortum Domini. (*Isaiæ* 51.) Quidni Maria in terris habitans, erat terrestris & cœlestis Paradisus voluptatis, (*Genes.* 2.) paradisus benedictionis, paradisus in benedictionibus? (*Eccli.* 40.) Et quidem ille manè oriens ut Lucifer, (*Isaiæ* 14.) fuit in deliciis paradisi DEI, (*Ezech.* 28.) sed iis excidit ob superbiam & concupiscentiam projectus in puteum abyssi (*Apoc.* 9.) ad inferni supplicia. Fuerunt & primus parens & prima mater positi à Deo in paradiso voluptatis, (*Genes.* 2.) sed propter eandem superbiæ & concupiscentiæ causam ejecti, extorres & exu-

A momento Conceptionis, augmentum Gratiæ.

Progressus Spiritualis exemplar.

Corona Stellarum 12.

Horrendum Desertum sine B. V.

B. V. Paradisus per humilitatē & puritatem.

A B C D

& exules facti, totum genus humanum in miseriæ abyssum præcipitârunt. Maria autem sanctior Eva nostra & vera mater cunctorum viventium (*Genes. 3.*) fundata & firmata in paradiso Dei, ipsamet Paradisus effecta per humilitatem & virginitatem, contraria superbiæ & concupiscentiæ: in quo positus à Deo secundus homo, (*1. Corinth. 15.*) novus homo cœlestis paradisi illius assertor. Ille, cui deliciæ sunt esse cum filiis hominum, (*Prov. 8.*) descenderat in hortum (*Cant. 6.*) deliciarum suarum, hortum conclusum (*Cant. 4.*) Mariam Matrem suam Virginem, existens ipsemet & faciens Mariam delicium non tantùm generis humani, sed & totius Orbis. Delicias Mariæ quis edisseret? & quibus à Deo inundatur, & quibus in se affluit, & quas in alios effundit ac exundat? Ne appetieris fructum vetitum Eva, nec jam quæsieris pomi sive mali verè mali esum. En fructus benedictus ventris (*Lucæ 1.*) Mariæ JESUS, panis descendens de cœlo (*Joan. 6.*) & præbens delicias Regibus, (*Gen. 49.*) qui seqvuntur Regem factorem suum, qui Regi Regum (*Apoc. 19.*) parent, & in se regnum DEO parant, qui sibi ipsis dominantur. En Mariæ emissiones paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. (*Cant. 4.*) Ascendit igitur Maria non translata in paradisum ut Enoch, (*Gen. 5.* & *Hebr. 11.*) nec rapta ut Paulus, (*2. Cor. 12.*) sed ipsamet voluptatis paradisus existens, secum paradisum deliciarum ferens, quia innixa super dilectum suum, (*Cant. 8.*) qui deliciis cor ejus occupavit. Videte quomodo ascendat per desertum (*Cant. 3.*) illa virga Jesse, sicut virgula fumi ex aromatibus (*Ibid.*) myrrhæ, mortificationis in se; & thuris devotionis ergà Deum: & universi pulveris pigmentarii, omnium virtutum, gratiarum & meritorum abundantia. Innixa tamen super Dilectum suum; omnia illi attribuens: omnia in illum refundens. Dilectus enim meus mihi, (inquit *Cant. 2.*) & ego illi. Ille me sanctificans, lætificans, beatificans; ego illum clarificans, magnificans, glorificans. Innixa super Dilectum, (*Cant. 8.*) quia licet ascendit, tamen etiam ab eo assumpta est in cœlum illi innitens, ab illo dulciter ad cœnam nuptiarum invitata; ab illo svaviter in osculo oris sui (*Cant. 1.*) & amplexu, recepta ab illo, deducta ad thronum gloriæ, ab illo super omnes cœlos exaltata, (*Psalm. 56.*) ab illo in cœlestibus & æternis sedibus collocata; ab illo gloriâ & honore super omnes creaturas coronata. (*Psalm. 8.*) Sequamur & nos P.R.F.D. ascendentem Dominam nostram velut servi, Matrem nostram tanquam filii, Patronam nostram sicut clientes. Ascendamus cum illa de hoc deserto terræ deserentes illud, antequam ab illo deseramur, terrenam dico hanc & carnalem, quæ de terra est & in terram ibit, relinquentes habitationis affectionem, in cœlis conversationem nostram statuentes. (*Phil. 3.*) Ascendamus semper ascensiones post Mariam & per Mariam ad Deum in corde nostro facientes (*Psalm. 83.*) sine intermissione: nec deficiamus

Deliciæ B. V.

Benedictus Fructus.

Assumptio B. V. gloriosior raptu Enoch & Pauli.

Myrrha Mortificat. &c.

Omnia DEO tribuenda.

Æthopæja assumptæ.

Imitatio Assumptionis.

mus in hoc aſcenſu. Trahant nos deliciæ Mariæ, curramus in odorem ungventorum ejus. (*Cant.* 1.) Fulciet nos, adjuvabit nos Dilectus ipſius & noſter JEſus Chriſtus, cui innitimur ſine ipſo nihil potentes facere; (*Joan.* 15.) levabit nos gratiâ ſuâ, meritis ſuis & Mariæ, protectione ſuâ & Mariæ, ut ad paradiſum cœleſtem perveniamus. Quod ut fiat, interceſſione Tua aſſiſte nobis ô admiranda omni ſtudio, omni cultu veneranda, omni pretio æſtimanda Mater DEI & Virgo. Aſſiſte utrique ſtatui Spirituali & Politico. Aſſiſte ſigillatim Auguſtiſſimo Imperatori; Sereniſſimo Regi, Venetæ Reipublicæ, eorumque exercitibus pro fide & Eccleſiâ Sanctâ militantibus contra ejusdem inimicos. Aſſiſte animabus in agone & purgatorio conſtitutis, ut per Te omnes cum Dilecto Filio Tuo ſimus in eo, quem hodie conſcendiſti paradiſo. B

Auxilium D.

Peroratio ad B. V.

Sermo in feſto Sancti Bernardi.

Ciſtercium à Ciſternis.

Bernardus à Fontanis.

Clementis IV. teſtimonium de S. Ordine.

CIſtercium à ciſternis dictum Mater Ordinis noſtri, vera fuit Domini ciſterna ex vena aquarum viventium (*Jerem.* 17.) congregata, imbre cœleſtis gratiæ irrorata, per Divum Patrem noſtrum Bernardum Fontanenſis Dominii præclarum meritis hæredem cum triginta Sociis, qui non minùs clari Fratres ex parte Fontanorum hæredes fuêre; ad eam excrevit plenitudinem, ut mox in orbe clareſcens in varia loca ſuos derivaret aquæductus. Unde jure merito Ordo inde profluens Ciſtercienſis per Clementem IV. Summum Pontificem nominatus eſt parvus fons, qui crevit in fluvium & in lucem ſolemque converſus in aquas plurimas redundavit. Hoc potiſſimùm, per Sanctum Patrem noſtrum adimpletum eſt, qui primùm ſalutares aquas doctrinæ Regularis in ſuam deduxit Claramvallem, & exinde clarâ & quæ nunquam marceſcit ſapientiâ, tum & claritate virtutum & miraculorum orbi inclareſcens, Ordinis & Claræ vallis etiam ultra maria extendit propagines. Quâ virtute id factum creditis, Fratres mei, ut & Sanctus Pater & Ordo per ipſum clarificaretur? Nullâ aliâ, niſi per humilitatem & patientiam crucis, ac charitatem. Scitis dum de ſe loquitur Filius DEI dicens, *Joan.* 12.) venit hora, ut clarificetur filius hominis; mox infert: *Ibid.*) niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet, ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Se ipſum dicebat (Sol Theologorum Auguſt. explicat) granum frumenti mortificandum infidelitate Judæorum, multiplicandum in fide omnium populorum. Ergò clarificatio JESU erat exinanitio & mortificatio crucis. Idipſum clariùs manifeſtat poſt exitum & abitum Judæ proditoris ampliantis adverſùs Dominum ſuum ſupplantationem. (*Pſ.* 40.) Nunc clarificatus eſt filius hominis, & Deus clarificatus eſt in eo, (*Joan.* 13.) inquit ideò, quòd per proditionem Judæ diſpoſitio fieret ad paſſionem & crucem ferendam. Idipſum repetit in ultimo ſermone. (*Joan.* 17.)

Propagator S. Ordinis S. P. per humilitatẽ, patientiã, charitatem.

Granum frumẽti Chriſtus.

Clarificatio Exinanitio.

Pater

A Pater venit hora, clarifica filium tuum, ut & filius tuus clarificet Te, (*Joan.* 17.) nimirum per passionis & crucis mortificationem. Hæc gloria & gloriatio fuit Sancti Patris nostri Bernardi, hæc claritas, quæ Orbi illuxit. Amator passionis & crucis Christi fasciculum hunc myrrhæ amarum gestavit, non tantùm in continua meditatione, sed etiam primariò in perfecta ejusdem imitatione. Et quid nobis in Testamento reliquit observandum? Nonne humilitatem, quâ plus alterius sensui quàm suo credidit; & patientiam, quâ læsus à lædente nunquam vindictam expetiit? Sed & tertiam, culmen planè virtutum charitatem addidit charitate vulneratus Bernardus, nobis pro Testamento fundans, ut ita funiculus triplex difficilè rumperetur, (*Eccles.* 4.) cujus essentiam in hoc declaravit, quòd scandalum nunquam fecerit, & si aliquando aliunde incidit, non propalavit, non auxit, non exaggeravit, sed sedavit. Inimici enim hominis est, imò diabolicum disseminare zizania (*Matth.* 13.) vel maximè contra Superiores: hoc est fodere cisternas dissipatas, quæ non possunt continere aquas (*Jerem.* 2.) disciplinæ regularis. Charitatem, inquam, nobis proposuit, habens & in hoc exemplum summi Magistri & Domini mandatum novum, (*Joan.* 13.) maximum & primum (*Matth.* 22.) charitatem nominantis, & proximi adinvicem dilectionem: qui etiam de se asserit loquens ad Patrem *Joan.* 17.) Ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis. Qualem mi JESU claritatem? ut omnes unum sint, sicut & nos unum sumus. En charitas; Deus unionem & unitatem charitatis vocat claritatem, quia per illam clarè Deus innotescit, patet Dei opus, signum veri servi Dei manifestatur. His ergò tribus mediis, humilitatis, patientiæ & charitatis S. Pater clarificatus est Orbi, & clarificavit Ordinem non in claritate generis, dum esset nobilis Burgundus imò illustris Familiæ Fontanensis, sed in claritate humilitatis gloriabatur, & in hoc secutus exemplum Salvatoris, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem DEO, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens & habitu inventus ut homo. (*Philip.* 2.) Inde nunquam se jactabat filium Dei, sed semper filium hominis nominabat, ut & nos doceret, quatenus non glorietur nobilis de nobilitate sua, sed potiùs dicat cum Doctore Gentium aliis: (*1. Corinth.* 4.) vos nobiles; sibi autem & sui similibus applicet: nos autem ignobiles; & sic clarificabitur & erit nobilior nobilissimis per humilitatem, quæ à DEO respicitur & exaltatur. Et hæc est vera Theologia, vera sapientia, quæ est emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei sincera, (*Sapient.* 7.) & ideò nihil inquinatum per superbiam, elationem, exaltationem, quæ hominem rationalem obfuscant & obscurant, in eam incurrit. Habebat propter hanc Sanctus Pater claritatem ad turbas & facies Principum admirabantur (*Sapient.* 8.) ejus humilitatem, cùm etiam oblatas Episcopatuum detrectaret dignitates, nolens ab hominibus accipere claritatem. Jam de patientia ejus

Fasciculus Myrrhæ. — *Testamentum S. P.* — *Scandalum.* — *Charitas Claritas.* — *Humilitas honorata.* — *Genus non jactandum.* — *Vera Theologia.* — *Autoritas S. P.* — *Episcopatus recusat.*

Vallis Absynthij.
Mortificatio.

quid dicam & mortificatione? Hæc excessiva ferè fuit respectu sui, illa respectu aliorum semper concessiva, ita ut verè vallem absynthii repererit; sed per has virtutes effecerit Claramvallem: imò Claravallem, ideò claram, quia vallem, quia humilem; ideò abundantem frumento, (*Psalm. 64.*) quia undique patientem stillicidia & descensus aquarum. In qua Claravalle in omni planè virtute confortatus secundùm potentiam claritatis ejus, in omni patientia & longanimitate cum gaudio (*Coloss. 1.*) persistebat. Dum æterna Veritas Christus velut ultimo testamento ante passionem suam instrueret Apostolos: inter alia hanc eis doctrinam instillavit. In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum (*Joan. 15.*) utique per gestationem crucis, per humilitatem, patientiam & mortificationem sui afferatis, & efficiamini mei discipuli. (*Ibidem.*) Sed in quo summa Sapientia hic discipulatus consistit? Respondet *Joan. 13.*) In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinvicem. Hic charitatis nexus, est claritas discipulorum Christi. Hoc vinculum perfectionis Sanctus Pater summè tenuit & in ipsa, quam compilâsse creditur cum Sancto Stephano, Chartâ Charitatis expressit. Illam Sanctam Civitatem Jerusalem, (ait in Apocalypsi dilectus JESU discipulus *cap. 21.*) claritas Dei illuminabit, quia charitas Dei inundabit, ita ut fluminis impetus lætificet civitatem Dei (*Psalm. 45*) in amore & gaudio. Et licet erit differentia graduum, differentia meritorum, videlicet sicut stella à stella differt in claritate, ita ut alia sit claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas stellarum (*1. Corinth. 15.*) sicut & hìc in terris est differentia statuum & dignitatum, imò sicut & in corpore membra inter se differunt, sub uno tamen capite uniuntur, & ibi in uno cœlo coadunantur; sic in cœlesti Jerusalem perpetua erit in DEO unio charitatis, intima clarificatio amoris, immensa dilectionis inundatio, etiam in differentia claritatis. Agamus & nos P. R. F. D. si sumus veri filii Bernardi, ut Testamentum ejus velut sacrum depositum custodiamus, illudque humilitatis, patientiæ & charitatis signaculum in nobis exprimamus. Qui alios contemnit, se supra alios extollit, aliis oblogvitur, divisiones in congregatione facit, lingvam suam acuit sicut serpentis, (*Psalm. 139.*) anathema esto. DEUS verò, qui dixit de tenebris lucem splendescere, (*2. Cor. 4.*) ipse illucescat in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi JESU, (*Ibidem.*) ut ipse in nobis per virtutes prædictas clarificetur. Oremus semper pro statu utroque Politico & Ecclesiastico, speciatim pro Ordine nostro & pro nobis ipsis, ut dignetur nos vocatione sua Deus noster, & impleat omnem voluntatem bonitatis & opus fidei in virtute, ut clarificetur nomen Domini nostri JESU Christi in nobis & nos in illo secundùm gratiam Dei nostri & Domini JESU Christi (*2. Thessal. 1.*) secundùm exemplar S. Patris Bernardi, ut ad videndam claritatem Jerusalem (*Tobiæ 13.*) per humilitatem, patientiam & charitatem perducamur.

Fructus Passionis Christi: Amor Crucis.

Charitas ostendit Christi Discipulum.

Diversi gradus gloriæ charitate beatificâ uniuntur.

Commendatio Testamenti S. P.

Sermo in Dedicatione Ecclesiæ.

Gratia D. prævia ad gloriā

VIdi Sanctam Civitatem Jerusalem descendentem de cœlo à Deo, (ait D. Joannes in Apoc. *cap. 21.*) Verè Joannes, verè magna gratia Dei videre Jerusalem illam cœlestem. Possumus & nos, imò debemus videre ipsam, nunc quidem per speculum (*1. Corinth. 13.*) terrestris Jerusalem, quæ in se tenetur illam cœlestem repræsentare, postea autem facie ad faciem, (*Ibid.*) id est coram planè dabitur videri, nec per aliud medium hic, quàm per unicam gratiam Dei illuminantem nos, & oculos cordium nostrorum aperientem, illic verò per lumen gloriæ. Perpendamus interim hanc terrestrem, quæ in Ecclesia Dei, in quavis congregatione, & in qualibet anima exprimitur figuratè. Videamus ejus qualitates, ut illas domui & statui nostro imò nobismetipsis appropriemus, per quas veram templi nostri dedicationem peragere valeamus. Primum igitur, quod occurrit, ipsum est nomen Jerusalem, quod pacis denotat visionem. Pax est optima rerum; quia ipse DEUS Optimus Maximus est Autor simul pacis & Amator, qui etiam filios suos appellat pacificos. (*Matth. 5.*) Cùm filium suum in terram mitteret, pacem annuntiari voluit hominibus; (*Lucæ 2.*) quia ipse filius erat pax nostra, qui fecit utraque unum; (*Ephes. 2.*) qui etiam primum pacis nuntium in quavis domo prædicandum ordinavit, ut diceretur ab intrantibus *Lucæ 10.*) Pax huic domui: quod & ipse fecit intrans januis clausis post resurrectionem dicens *Joan. 20.*) Pax vobis. Quid aliud nobis per hæc omnia indicatur? nisi pacem DEI, pacem Christi debere esse in domibus nostris & in nobismetipsis. Sed hæc in quo consistit? In bono ordine, in unione, in quiete. Videte illam supernam civitatem Jerusalem, quomodo Hierarchicâ suâ alternatione ordinem servat; quàm svavi cum DEO & inter se adinvicem stringitur unione; quantâ beatitudinis æternæ perfruitur quiete; adeòque abundantiâ pacis inundatur. Et hæc in nostra Jerusalem terrestri pro pace stabilienda requiruntur. Ordo, qui est anima rerum, cujus nomine quævis congregatio intitulatur & nostra etiam Sacri Ordinis nomen meruit, requirit observantiam Regularum, personarum, locorum, temporum & actionum. Si hæc omnia exactè & in rigore disciplinæ servantur, utique bonus ordo censetur. Unio est cohærentia & concordia animorum ad unum bonum requirendum, ad unum illud necessarium (*Lucæ 10.*) comprehendendum. Quies inde subsequens est omnium affectuum, inclinationum & appetituum svavis & formosa compositio. Et sic ordo excludit mixturas, unio scissuras pellit, quies turbas proscribit. Cernimus idipsum in manufactis templis, (*Actor. 17.*) in quibus symmetria pacis apparet, quando omnia ordinatè, conjunctim & in quiete perseverant. Intercurrat mixtio fundamenti

Ierusalem Visio Pacis.

In quo consistit Pax?

Ordo, Unio, Quies.

Ædificatio Templi.

cum tecto, parietum inter se fiat collisio, interveniant fissuræ vel scissuræ, rumpantur inter se lateres; hic nullus ordo, sed sempiternus horror; (*Job* 10.) hic nulla unio, sed continua diffidia; hic nulla quies, sed perpetua fluctuatio & quassatio videbitur, adeoque non Jerusalem, non visio pacis, sed turbationis aspectus, Babylonis forma, id est species confusionis conspicietur. Absint hæc omnia ab Oliva nostra, quæ est typus pacis, civitas DEI, in qua cives sanctorum & domestici DEI (*Ephes.* 2.) tenentur pacificè cohabitare. Duas in toto mundo, (inquit Sol Theologorum Augustinus,) Civitates faciunt duo amores. Jerusalem facit amor DEI; Babylonem facit amor seculi: & concludit. Interroget ergò se quisque & inveniet, unde sit civis. Equidem non habemus hic manentem civitatem, (*Hebr.* 13.) ad tempus in terrestri incolatu moramur durante cursu vitæ mortalis; habitamus hic cum habitantibus Cedar, (*Psalm.* 119.) id est sumus positi in medio incolarum caliginosorum hominum mundi hujus, tenebrarum harum, (*Ephes.* 6.) in medio umbræ mortis. (*Psalm.* 22.) Quamdiu tamen hanc incolimus civitatem, Jerusalem sit, pacifica sit, sancta sit, necesse est. Si futuram civitatem, cœlestem & sanctam requirimus; (*Hebr.* 13.) sanctitas sit nobis secundùm propositum, (*Rom.* 8.) sit in intentione, sit in executione, quia hoc imperat ille, cui semper occinitur Sanctus, dicens nobis: *Levit.* 11.) sancti estote, quoniam ego sanctus sum. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. (1. *Corinth.* 3.) Sanctitas nihil admittit profani, nihil coinquinati, nihil perversi & iniqui. Quis consensus templo Dei cum idolis? (2. *Cor.* 6.) Non tantùm sunt idololatræ, quorum DEUS venter est, (*Phil.* 3.) vel qui avaritiæ succumbunt, quæ est idolorum servitus, (*Gal.* 5.) vel qui vanitatem gloriæ suæ sectantur, sed etiam qui existimant se aliquid esse, cùm nihil sint, (*Gal.* 6.) qui proprium sensum, aut propriam voluntatem seqvuntur; quæ omnia vera Dei sanctitas detestatur. Unde mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritûs, monente Apostolo 2. *Corinth.* 7.) perficientes sanctificationem in timore DEI, ut simus sancta civitas, sanctum templum, (1. *Cor.* 3.) quia domum DEI decet sanctitudo: (*Ps.* 92.) & Deum sanctitatis fontem nos inhabitantem possidere mereamur. Hoc est enim tabernaculum DEI cum hominibus & habitabit cum eis. (*Apoc.* 21.) Tabernaculum, quia est militans Ecclesia sub diversorum statuum tentoriis, fidei, spei & charitatis armis munita, contra mundum, carnem & dæmonem pugnans, posteà civitas fortium victorum ac triumphantium illuc translatorum. Certandum ideò nobis est, acriter dimicandum, quia regnum cœlorum vim patitur: (*Matth.* 11.) illa Civitas Sancta Jerusalem vi capienda; rapiunt eam violenti, (*Ibid.*) qui sibi vim inferunt, se superant, veterem hominem subigunt, novum hominem secundùm Deum agunt. (*Ephes.* 4.) Eapropter non minùs necessaria, quàm decora qualitas Jerusalem

Oliva typus Pacis.

Civitas DEI, & Civitas Mundi.

Sanctitas.

Tabernaculum D. Ecclesia.

Victoria sui.

rusalem, quòd sit nova: (*Apoc.21.*) facta per illum, qui nova facit omnia. (*Ibidem.*) Novitates quidem in statu & regimine Politico damnantur, sed illæ quæ ad malum, non ad bonum tendunt. Moribus antiquis Patrum nostrorum vivendum, & hoc ipsum novum est; ut vetere homine in nobis semper in deterius tendente, semper spiritu mentis nostræ ad sanctitatem & perfectionem sectandam renovemur. (*Eph. 4.*) Nonne nova Ecclesiæ structura, vel nova ejus restauratio oculis arridet? nonne gratior est quàm vetusta? Idem de nobis sentiamus, diligamus in nobis decorem domûs Dei, ut nova semper simus in Christo creatura. (*2. Cor. 5.*) Sed quò descensus Jerusalem de cœlo à Deo collimat? An ut opem nobis ferat? An ut nos sursùm trahat, & secum faciat ascendere? An quòd ministeria Angelorum descendentium manifestet? Omnia hæc quidem ita sunt, sed cum Divo Augustino dixerim, Jerusalem de cœlo descendere; quia cœlestis gratia est, quâ Deus eam fecit. Et de cœlo quidem ab initio sui descendit, Spiritu Sancto misso de cœlo, sed & ipse filius DEI inclinavit cœlos & descendit: à DEO venit, quia desursùm divina gratia veniens, sine quâ minimè ad cœlum pervenitur. Ad cœlestis proinde Jerusalem consortium non ascendunt testimonio ejusdem Magni Ecclesiæ Doctoris, nisi qui toto corde profitentur, non proprii operis sed Divini esse muneris, quo ascendunt. Qui descendunt in nihili sui abyssum per humilitatem, hi ascendunt ad cœlos. Descendit equidem Jerusalem cœlestis frequenter ad nos: descendit gloria Domini in nube (*Exodi 16.*) per inspirationes internas, quæ per orationes nostras faciunt ascensiones in cordibus nostris. (*Psalm. 83.*) Communicat se nobis splendor ille, dulcedo illa, lumen illud inaccessibile velut sol per radios, ut exclamare liceat! (*Psalm. 30.*) O quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quàm abscondisti timentibus te, idque potissimùm in domo tua, domo Ordinis: ubi etiam in meditatione exardescit ignis (*Psalm. 38.*) devotionis. Eapropter sic decet nos in hac domo DEI hic & ubique præsentis conversari velut populum ejus, populum acquisitionis, gentem sanctam, (*1. Petr. 2*) ut sit ipse Deus nobiscum, sit Deus noster, solus hic & non alius. Ipsi soli serviamus, ipsum solum amemus, ut non tantùm hoc templum lateritium, sed totum Monasterii ædificium, quævis uniuscujusque cellula, sed & quisque ex nobis sit verum sanctum templum DEI vivi, (*2. Cor. 6.*) ipsi dedicatum, DEI cultura, Dei ædificatio; sit Sancta Civitas Jerusalem nova descendens de cœlo à Deo, (*Apoc. 21.*) sit cœlesti conversatione ipsum cœlum. Ita enim mellifluus Pater noster ait: Est cœlum sancta anima, habens solem intellectum, lunam fidem, astra virtutes, quæ maximè in nocte, id est in adversis emicant. Utinam super hanc civitatem nostram Jerusalem & in nobis oriatur Dominus & gloria ejus, operante itidem ejus gratiâ in nobis, ab omnibus videatur: ut & nos gloriam DEI in illa civitate Jerusalem aliquando

Ierusalē nova

Jerusalem descendens de Cœlo, quare?

Quomodo?

Adhortatio ad imitationem Dedicationis.

Cœlum Spirituale.

videre, & per conſervationem veræ pacis ad viſionem illius pacis, quæ DEUS eſt, admitti mereamur. A

Sermo in feſto Nativitatis B. M. Virginis.

NAtivitas eſt hodie S. M. V. canit Eccleſia in Officio. P. R. F. D. Magna equidem Divinæ bonitatis circa nos diſpenſatio, quòd certo temporum recurſu nobis ſemel ſecundùm carnem natis, ſæpiùs autem in ſpiritu renatis, frequentem ſalutaris renovet memoriam nativitatis. Et ſanè quadripartitam anni ſeriem quadruplici nobilitavit nativitate, ita ut initia æſtatis natali Sancti Joannis inſignirentur & lætificarentur, autumni primordia S. Virginis Dei Matris ortu illuſtrarentur & decorarentur; hyemis principium ipſius Filii Dei in filium hominis generatione ſanctificaretur & conſecraretur. Jam verno tempori creditisne ſuum deeſſe natalem? minimè. Et hic glorioſo refulget ortu; quando è ſepulchrali utero idem Filius Dei in ſimilitudinem hominum factus, (*Phil.* 2.) natus eſt ad æternitatem. Videte quàm gradatim hæ prodeant nativitates. Primum quidem, in æſtu & fervore iræ Dei ergà genus humanum, apparuit diluculum gratiæ Joannes. Hoc fervore remiſſius agente, & Sole juſtitiæ vindicativæ in Virgine manſveſcente, progreſſa eſt Virgo Virginum Beatiſſima, plena gratiâ, Mater gratiæ, velut conſurgens aurora (*Cant.* 6.) jam majus adferens luminis incrementum. Tandem cùm veniſſet plenitudo temporis, (*Galat.* 4.) ad plenum gratiæ diem, ortus eſt ex ea Sol Juſtitiæ (*Malach.* 4.) nos juſtificantis, rigorem juſtitiæ pænalis in ſe recipiens: Oriens nomen ejus. (*Zachar.* 6.) Hic denique abſoluto pænæ rigore per paſſionem & mortem ſuam, in reſurrectione aperuit nobis diem æternitatis, diem quam fecit ipſe Dominus virtutum, (*Pſalm.* 117.) Rex gloriæ, (*Pſalm.* 23.) diem cœleſtis & ſupernæ illius in æterna gloria nativitatis. Ad quid ſervit tam freqvens natalium recurſus? Nonne ad hoc, ut & nos ſemper ſacro hoc in gratia DEI renovemur natali? Jam ergò nativitas eſt hodie S. M. V. utique & noſtra eſt hodie nativitas. Non creditis mihi? Credite Sacro Eccleſiæ Doctori Hieronymo dicenti, Maria naſcitur & cum ea mundus renaſcitur; & Eccleſia ſuo ipſius decore circumdatur & ornatur. Renaſcimur proinde & nos, qui in mundo & Eccleſia continemur; nobis in Maria & per Mariam illuxit dies redemptionis novæ, reparationis antiquæ, felicitatis æternæ. Priùs tollendum, quod eſt antiqvum, ut ſequatur novum. Nox præceſſit, dies autem appropinquavit (*Roman.* 13.) per conſurgentem Auroram naſcentem Mariam. Magna affinitas Mariæ cum Aurora. Sicut aurora (ait D. Petrus Damianus) terminum noctis & diei principium adeſſe teſtatur; ſic & Virgo noctem expulit ſempiternam (addo ego) & diem attulit ſalutarem. Sicut aurora valdè rutilans in mundum progreſſa es Maria, loquor

Feſta Nativitatum 4. in anno.

Gradatio Nativitatum.

Nativitas B. V. & noſtra.

Maria Aurora.

quor cum Mellifluo Patre nostro, quando veri Solis splendorem tantò claritatis jubare præcurristi, ut verè diem salutis dixerim, diem propitiationis, diem quam fecit Dominus, (*Psalm.* 117.) quam tuæ claritati initiari dignum fuit. Felix aurora felicis diei extitisti nuncia. Talis dies talem diei decuit auroram. Rectè planè auroræ implevisti officium (continuo cum Mariophilo Bernardo) Ipse enim Sol Justitiæ (*Malach.* 4.) de te processurus, ortum suum quadam matutina irradiatione præveniens, in Te lucis suæ radios copiosissimè transfudit. Nunquid post ortum suum præcepisti diluculo, & ostendisti auroræ locum suum? interrogat Deus Job 48.) qui aliàs diei suæ maledicens inquit *cap.* 3.) Exspectet lucem & non videat, nec ortum surgentis auroræ; illa utique dies, in qua dictum est: natus est homo in mundum. Maledicta planè nativitas est, quâ nascimur mundo non Deo, nec meretur illa dies tenebrosa Ægyptiaca caligine obscurata videre lucem & nostræ ortum auroræ. Redeo ad interrogationem Dei & Osee Prophetiam ipsi adjungo dicentis *cap.* 6.) Quasi diluculum præparatus est egressus ejus: & cum Richardo à S. Laurentio infero, quòd in hoc tangatur utraque generatio, videlicet Christi & Mariæ. Præcepit enim Deus diluculo, id est B. V. & illuxit; & ostendit auroræ eidem Virgini Beatissimæ locum suum, ut terminaret tenebras & lucem inchoaret. Diluculum dicitur ortus Mariæ, quia fecit diluculum diei gratiæ, quia usque ad illam duravit nox peccati, quam prima mater, mater planè morientium non viventium (*Gen.* 3.) in mundum introduxit. Ab illa hora (ait Petrus Damianus) tenebræ factæ sunt super terram universam usque ad Virginem. Sed natâ Virgine surrexit aurora: quia Maria prima lucis bajula nativitate sua mane clarissimum serenavit. Scitis illam luctam Jacobi (*Gen* 32.) matutinam Patriarchæ cum Angelo: figura fuit SS. Patrum luctantium cum Deo, precibus & lacrymis obtinere à Deo incarnationem Filii ejus nitentium. Propter Sion non tacebo (ait Propheta Isaias *c.* 62.) & propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus, & Salvator ejus ut lampas accendatur. Famosa lucta, diuturnus agon, 4000. annorum concertatio, mox ad ortum auroræ cessavit. Dimitte me ô homo, dicit Deus *Gen.* 32.) cessa luctari, jam enim ascendit aurora. Nondum cessavit homo, expetiit benedictionem à Deo; & Dominus dedit benignitatem, benedixit eum in eodem loco, (*Gen.* 32.) & terra dedit fructum suum, (*Ps.* 84.) benedicta virginea terra protulit benedictum fructum ventris sui, (*Lucæ* 1.) & ecce jam gloriatur homo. (*Gen.* 32.) Vidi Dominum facie ad faciem. A facie Divinitatis ubi erat Deus (interpretatur Sol Doctorum Augustinus) ad faciem humanitatis, quam erat assumpturus, & salva facta est anima mea, quia ortus est statim Sol post benedictionem, ait Scriptura *Ibid.*) Nam revera antequam benedictionem dedisset Legislator, ut videretur Deus Deorum in Sion; (*Ps* 83.) Deum nemo viderat unquam: (*Joan.* 1.) per illam autem benedictionem

Maledicta dies in qua natus sum.

Generatio Christi & B. V.

Lucta Orationis pro Incarnatione.

Facie ad Faciē.

onem effectum eſt, ut nos viſitaret Oriens ex alto & illuminaretur his, qui in tenebris & in umbra mortis ſedebant, (*Lucæ 7.*) viderentquè Deum nunc per ſpeculum in ænigmate, poſteà autem facie ad faciem. (1.*Cor.13.*) Sed unde ortus eſt Sol? (*Gen.32.*) Ex aſcendente & conſurgente aurorâ Maria. Hinc fidei lumina, hinc radii gratiæ, hinc ſplendores gloriæ. Jam vidiſtis, arbitror, Fratres mei, per quam viam ſpargitur lux, (*Job. 38.*) nimirum per viam nativitatis ſanctæ. Erigite animos, attollite oculos intellectûs veſtri ad ſpeculationem ipſius Divinæ Majeſtatis. Quid primum in DEO? Nonne æterna Filii Dei generatio? Ego hodie genui te, dicit Pater *Pſalm.2.*: Nativitas eſt hodie Sanctæ Mariæ Virginis, canit Eccleſia, ut & nos hodie, id eſt quotidie renaſcamur & regeneremur. Sed in quo? In verbo DEI, ut ſimus factores verbi, (*Jacob.1.*) ut generemus illud per ſanctas cogitationes, per pias locutiones, per juſtas operationes. Quia ſi quis auditor eſt verbi & non factor, hic comparabitur viro conſideranti vultum nativitatis in ſpeculo, (*Jac.2.*) venerunt filii usque ad partum, & virtus non eſt pariendi. (*Iſaiæ 37.*) Nativitas noſtra debet eſſe Mariæ, id eſt illuminatricis, ut abjiciamus opera tenebrarum & induamur armis lucis ſicut in die honeſtè ambulemus. (*Rom. 13.*) Debet eſſe Mariæ Virginis, id eſt Dominæ immaculatæ, ut dominemur paſſionibus noſtris & ſimus ſine maculâ peccati. Debet eſſe auroræ candidæ & rubicundæ, quia & ipſe dilectus candidus & rubicundus, (*Cant.5.*) ut ſit in nobis candor puritatis & rubor charitatis in cogitatione, operatione & locutione. In hoc quidem ſigillatim, quia lingva (teſte Apoſtolo Jacobo *cap.3.*) conſtituta eſt in membris noſtris, quæ maculat omne corpus & inflammat rotam nativitatis noſtræ inflammata à gehenna. In cogitatione verò & operatione neceſſe eſt facere fructum nativitatis. (*Pſalm.106.*) Arbor enim non ferens fructum exſcindetur, & in ignem mittetur. (*Matth.3.*) Tunc benedicet nobis DEUS & multiplicabimur in gratia Dei, in qua verbum Dei obſervantes, potiſſimùm tenemur ſemper renaſci; ut efficiamur quaſi modò geniti infantes, (*1. Petr. 2.*) de quo aliàs. Jam verò nemo aſſumit nova, niſi qui deponit vetera; nemo naſcitur, niſi qui deſerit ſecretum uteri obſcurum & venit in lucem. Nemo vivet in bono, qui non moritur malo. Inde dicit Sapiens *Eccleſ.7.*) meliorem eſſe diem mortis, nempe quâ morimur mundo, morimur carni, morimur paſſionibus & concupiſcentiis noſtris, ut cum renaſcente per reſurrectionem Chriſto, nos quoque ad meliorem vitam in DEO & cum DEO renaſcamur. Melior ergò eſt talis dies mortis die nativitatis, quâ naſcimur in mundum, (*Ibid.*) ſicut mundani homines, ut mundo vivamus. Hujus nativitatis fructus, non paſcunt homines, (*Sap. 16.*) ſed occidunt. Sermo autem Dei eos, qui in ipſum crediderint, conſervat, (*Ibid.*) in quo eſt vera nativitas, vera dies, vera lux, vera ſalus. Nativitas eſt hodie S. Ma-

Verbum DEI.

Puritas.

Charitas.

Lingva maligna.

Melior eſt dies mortis die Nativitatis.

S. Mariæ Virginis, in qua oportet nos prævenire ſolem, id eſt juxta Rupertum, priùs ad Mariam venire, quàm ad Solem juſtitiæ pro benedictione felicis nativitatis noſtræ obtinendâ, & ad ortum lucis debemus adorare Deum, id eſt gratias agere DEO de ortu Mariæ, per quam illuminatus eſt mundus. Lumen & gratia præveniens, provenit à Sole Chriſto per auroram Mariam; neque enim à luce Solis auroræ lux poteſt ſeparari. Gaudet juſtitiæ Sol (*Malach. 4.*) præveniri à nobis, qui nos luce ſuâ prævenit per Mariam. Ex utero ante luciferum genui te, dicit Deus Pater ad Filium *Pſ. 109.*) Hebræus textus legit; ros nativitatis tuæ ex utero auroræ eſt: vel juxta Pagninum; ex utero ad auroram fuit tibi ros nativitatis tuæ. Jam Iſaias aſſerit: *cap. 26.*) ros lucis, ros tuus. Auroræ ergò uterus, lucis uterus eſt, & promuscondus roris. Ex aurora & in ſinu auroræ Sol naſcitur, licet à Sole ipſa & lucem accipiat & naturam: & Sol per auroram diſtillat rorem, quo terra fæcundata ſubſequente ejus calore facit fructus nativitatis. Ab hac Aurora & nos pro nobis & pro utroque ſtatu Politico & Eccleſiaſtico, pro Ordine noſtro ac ſpeciatim Olivâ noſtrâ, pro animabus agone extremo vel igne purgatorio preſſis impetremus & lucis profluvia, & roris ſtillicidia, & caloris ſolaris fomenta, ut hic participantes de nativitate Joannis, Mariæ, & Chriſti; geniti verbo veritatis, (*Jacobi 1.*) renati in gratia Dei, ſemper ſimus Orientes in profectu & incremento luminis operum bonorum, donec ad illam hodiernam, quia æternam, ſemper præſentem, quâ in Dei lumine naſcemur, transferamur nativitatem.

Ad Jeſum per Mariam.

Generatio Dei Filij.

Sermo in feſto S. Michaelis & ſuſceptione octo Novitiandorum.

Niſi converſi fueritis & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Matth. 18.

SUmma Dei miſericordia ergà nos manifeſtata eſt in eo, quòd parvitatem imò nihilum noſtrum ſic dignatus ſit reſpicere, ut illud ad ſuam magnitudinem ſublimaret. Affectavit hanc primus homo, excelſus eſſe voluit ſicut Deus; parvus factus eſt per peccatum, imò ad nihilum redactus eſt, & neſcivit. (*Pſalm. 72.*) Venit Sapientia DEI erudiens illum, (*Tit. 2.*) ut ſciret & intelligeret, quomodo benè ageret, (*Pſalm. 35.*) ſublimitatem regni cœlorum quærendo in parvulorum tenuitate: reducit hominem ad ſtatum infantiæ, & vocat illum ad ſe: (*Marci 10.*) ſi quis eſt parvulus, veniat ad me. Ita planè aſſerit *Ibid.*) Sinite parvulos ad me venire, talium eſt enim regnum cœlorum; & docet Doctor parvulorum, Magiſter infantium: nonniſi parvulis regnum cœlorum conferri. Ille utique, qui non tantùm parvulus natus eſt nobis, (*Iſaiæ 9.*) ſed ſemper parvulus permanſit, nimirum mitis & humilis corde.

Parvulorum exaltatio.

(*Matth.* 11.) Ille puer parvulus minans & ducens gregem parvulorum, (*Isaiæ* 11) de quo Deus per Prophetam Jeremiam *cap.* 49) Ecce parvulum dedi te in gentibus, contemptibilem inter homines. Ille, qui minimos facit in mille & parvulos in gentem fortissimam. (*Isaiæ* 60.) Sed observandum nobis est, quòd converti nos velit ad statum parvulorum dicens anteà, quòd oporteat nos nasci denuò. (*Joan.* 3.) Si ergò sumus renati & planè regenerati per gratiam Dei, debemus effici sicut parvuli, ut normam status nostri à parvulis accipiamus. Quamobrem, quales sunt parvuli, attendamus. Primùm quidem timor ipsis innatus est, ut facilè pavore corripiantur. Nonne juxta Sapientem (*Prov.* 28.) Beatus, qui semper est pavidus? videlicet ne Deum vel in minimo offendat. Timor enim Domini expellit peccatum. (*Eccli.* 1.) Quomodo proinde miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum, (*Psalm.* 102.) imperfectum nostrum viderunt oculi ejus: (*Psalm* 138.) novit infirmitatem parvulorum, & ideò oculi Domini super timentes eum. (*Ps.* 32.) Inde sequitur, quòd parvuli sint in tutela parentum suorum. Et quæ major protectio quàm Dei? Portavit te Dominus Deus tuus, dicit Moyses ad populum Israeliticum, *Deut.* 1.) ut solet homo gestare parvulum filium suum in omni via, per quam ambulâsti. Quàm bonum in protectione Dei cœli commorari (*Psalm.* 90.) velut infantem! Sed necesse est ita esse resignatum, ita morigerum & ad omnem nutum obedientem, ita ejus regimini & beneplacito esse subjectum, quemadmodum parvulus est resignatus, obediens & subditus parentibus suis; tunc erit custodiens parvulos Dominus. (*Ps.* 114.) Nota quoque omnibus est virtus simplicitatis in infantibus; non est in ipsis duplicitas: corde & corde non loqvuntur, (*Psalm.* 11.) nec habent lingvam dolosam, neque venenum aspidum sub labiis eorum; (*Psalm.* 13.) & exinde fit, quòd Dominus sapientiam præstat parvulis, (*Ps.* 18) dat intellectum (*Ps.* 118) imò quæ abscondit à Sapientibus, parvulis revelat. (*Matth.* 11.) Dum Salomon de se dicit 3. *Reg.* 3.) Ego sum puer parvulus & ignorans ingressum & introitum meum, datur ipsi sapientia omnimoda, illa sedium Divinarum assistrix, (*Sapient.* 9.) assistens illi & cum illo existens & laborans, ut sciret quid acceptum esset coram Deo omni tempore. (*Ibid.*) Jam verò quòd ab aliis omnibus vitiis liberi sint parvuli, quis ignorat? non æmulantur, non sunt ambitiosi, non agunt perperàm, non inflantur, non quærunt quæ sua sunt; (1. *Cor.* 13.) non concupiscunt, nullo iracundiæ impetu feruntur, invidiâ haud laborant, rancorem nullum fovent, pacifici sunt & mansveti, ab omni odio & dissensione alieni. Et quæ major virtus esse potest Christianorum, quàm talis parvulorum? Sigillatim tamen Sapientia æterna reflectit se ad virtutem humilitatis in parvulis, quam vel staturâ suâ declarant. Idcircò ait *Matth.* 18.) Quicunque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum.

Qualis Parvuli? — Timor DEI. — DEI protectio. — Obedientia. — Simplicitas. — Sapientia. — Puritas. — Humilitas.

A Videte Saulem propter inobedientiam postea reprobatum, & audite Samuelem ipsi exprobrantem *1. Reg. 15.*) Nonne cùm parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es? Omninò parvulos humilis Deus exaltat, & facit majores. Necesse est, ut parvitatem nostram agnoscamus, sub potenti manu Dei humiliemur, (*1. Petr. 5.*) agnoscamus semper imperfectiones nostras, ante omnia autem non faciamus ullas excusationes in peccatis, (*Psalm. 140.*) sed potiùs semper accusemus nos in conspectu Dei, & tunc miserebitur nostri Dominus, (*1. Mach. 4.*) & ille accusator fratrum hostis antiqvus (*Apoc. 12.*) non habebit locum in nobis, qui etiam se exaltans similis voluit fieri Altissimo; (*Isaiæ 14.*) sed virtute Dei per ministerium Divi Michaelis

Saul inobediẽs reputatur.

B Archangeli extollentis Deum & dicentis, Quis ut Deus? humiliatus & depressus à summo ad infimum, à cœlo ad infernum detrusus est, quia noluit esse parvulus humilis, nec voluit resipiscere. Credo, quòd in parvulis quisque advertat magnam fragilitatem & debilitatem; facilè cadunt, nec facilè resurgunt, nisi adjuventur. Ita sanè si septies in die cadit justus, (*Prov. 24.*) quidni nos peccatores in multis offendimus omnes? (*Jac. 3.*) Sed resipiscendum nobis est cum Dei adjutorio, sine quo nihil possumus facere, (*Joan. 15.*) nec adjicere ut resurgamus; (*Ps. 40.*) quia omnis nostra sufficientia ex ipso est. (2. *Corinth. 3.*) Tunc tenemur cum parvulis vocem vagientis, vocem plangentis, vocem gementis per pœnitentiam

Victor Michaël.

C emittere. Status noster, status est gementium & flentium filiorum Evæ in hac valle lachrymarum, (*Psalm. 83.*) ita ut deducant oculi nostri lacrymam, quasi unam continuam per noctem & diem, & non taceat pupilla oculi nostri (*Jerem. 14.*) à ploratu & ejulatu parvulorum, rigans lacrymis stratum (*Psalm. 6.*) conscientiæ nostræ, donec misericordia Dei ab oculis nostris lacrymas abstergat, (*Apoc. 21.*) ab anima maculas detergat. Est adhuc unum, quod in parvulis notandum nobis & imitandum, quòd scilicet patrem tantùm & matrem agnoscant, ament, iisque strictim adhæreant, ab alienis alieni: virtus quâ Patrem cœlestem & Matrem terrestrem Ecclesiam, Religionemq; Sacram agnoscamus, amemus, iisque solis adhæreamus; ad alienos, mundum, carnem, diabolum, quos deseruimus, nunquam transeamus; quia juxta Sapientem (*Proverb. 27.*) parvuli transeuntes sustinuerunt dispendia, & nos pateremur æterna. Sed liceat mihi ô summa Veritas inquirere, quare nos vis potiùs habere parvulos quàm magnos ad ingressum cœlorum? Respondet nobis *Matth. 7.*) quia via arcta & porta angusta, quæ ducit ad vitam. Faciliùs ergò parvuli transeunt per viæ arctitudinem & per portæ angustiam. Fortassè paupertatem à nobis requirit. Eapropter camelum asserit *Matth. 19.*) funem illum nauticum faciliùs transire per foramen acûs, quàm divitem in regnum cœlorum. Ita omninò beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. (*Matth. 5.*) & hi sunt verè parvuli, nudi, nihil habentes, nisi quod

Status Pænitentiæ.

D *Parvuli ab alienis alieni.*

Regnum Cœlorũ cur Parvulorum?

Paupertas Spiritûs.

ipsis datur. Ecce in forma parvulorum, norma vivendi Christiana, multò magis religiosa. Ad hanc vos octo novi Ordinis nostri Sacri Cisterciensis candidati acceditis. Videte, curate, satagite, ut tales parvuli efficiamini, quales vobis repræsentavi, ut per hanc parvulorum perfectionem possitis unà nobiscum intrare in regnum cœlorum. Fiat, fiat.

Ad Aspirantes.

Sermo in festo Sanctæ Ursulæ.

Media nocte clamor factus est, ecce Sponsus venit, exite obviam ei. Matth. 25.

UNdena Virginum millia hodie martyrio coronatarum, quarum Reliquiis Ecclesia nostra honoratur, animant nos ad aliquid de iis dicendum, P. R. F. D. Et licet dignâ mente ac eloquio eas celebrare minimè valeamus, humilibus tamen ex mente Sanctæ Matris Ecclesiæ sermonis & devotionis obsequiis prosequi tenemur. Qvàm triumphalem gloriosi agonis Laurum nomen Ursulæ hìc præsefert! Quàm speciosi flores Ecclesiæ, quasi Lilia & quasi Rosæ, plantati super rivos aquarum, super fluenta gratiarum Dei radicati, flores dantes odorem & frondentes in gratiam, (*Eccli.* 39. in terra quidem nati sed hodie ad cœlestem translati paradisum conspiciuntur! Veræ Christi Sponsæ, qui primò tanquam sponsus procedens de thalamo (*Psalm.* 18.) Paterni sinûs ad thalamum uteri Virginei, desponsavit sibi solennibus nuptiis Sponsam naturam humanam, & in ea sigillatim Ecclesiam, quam sangvine suo acquisivit. (*Actor.* 20.) In hâc demùm prima & principalis Sponsa est ipsa Mater Regina stans à dextris ejus in vestitu deaurato circumdata varietate, (*Psalm.* 44.) per quam & post quam adductæ sunt Virgines Sponsæ filiæ Sion, filiæ Jerusalem, (*Cant.* 3.) ubi adolescentularum non est numerus. (*Cant.* 6.) In hac magna societate Sponsarum Christi non postremum obtinet locum S. Ursula Regina cum undecies milleno Virginum collegio, quæ hodie cum lampadibus igne martyrii accensis exierunt obviam Sponso Christo Domino (*Matth.* 25.) & sponsæ illi cœlesti Jerusalem, Ecclesiæ videlicet triumphanti, quæ utiq; sponsa est, uxor Agni tanquam sponsa ornata viro suo; (*Apoc.* 21.) & illuc pervenerunt ad nuptias Agni (*Ibid.*) in consortium Virginum cœlestium, spirituum Angelicorum. Mediâ nocte vocatæ & excitatæ, quia insperatè, exinopinatò venit hora mortis, venit filius hominis Sponsus, (*Luc.* 12.) quâ nescimus & quâ non putamus horâ. (*Matth.* 25.) Media nocte, ubi dicit Sponsus *Apoc.* 14.) ut requiescamus à laboribus nostris. Venit enim nox mortis, in qua nemo poterit operari: (*Joan.* 9.) quia tunc opera anteacta seqvuntur nos. (*Apoc.* 14.) Sed sponsis nostris nox sicut dies illuminata fuit. (*Psalm.* 138.) Dormierunt somnum suum, (*Psalm.* 75.) & nox fuit illuminatio in deliciis cœli: (*Psalm.* 138.) neque enim earum nox, earum mors obscurum quid habuit, sed tota in

Reliquiæ SS.

Ursula anag. Laurus.

Flores Ecclesiæ Virgines.

Sponsæ Christi.

Incerta Mortis hora.

Mors Nox.

Nox sicut Dies.

B C D

A luce Sponsi clarescebat. Ecce Sponsus venit, (*Matth.* 25.) tunc suscipiens, complectens, & uniens sibi Sponsas dilectissimas: venit tunc alliciens unamquamque earum & facie decora, & voce dulci inclamans. (*Cant.* 4.) Veni de Libano virginei candoris sponsa mea. Gaudebat tunc Sponsus super sponsam & gaudebat super ipsas Deus earum. (*Isaiæ* 62.) Ecce Sponsus venit: *Matth.* 25.) dicens unicuique ex illis: (*Cant.* 4.) vulnerâsti cor meum, vulnerata charitate meâ, vulnerata martyrio. Veni in hortum meum soror mea sponsa: (*Cant.* 5.) quia & tu hortus conclusus es, (*Cant.* 4.) in quem serpentis suggestio non penetravit. Exite, egredimini de cubili vestro, de thalamo vestro sponsæ. (*Joel.* 2.) Egredimini filiæ Sion & videte priùs Regem Salomonem in diademate passionis, quo coronavit eum Mater sua Synagoga in die desponsationis illius, (*Cant.* 3.) quando in cruce profluvio sangvinis & aquæ ex corde Evam alteram velut costam è latere eductam Ecclesiam sibi desponsavit. Exite obviam ei. (*Matth.* 25.) Quid vobis videtur? Nonne sponsus sangvinum (*Exodi* 4.) hic vobis est, qui pretio magno, pretioso sangvine vos sibi emit, redemit & desponsavit? O gravis & amara dies desponsationis hujus, sed hæc erat lætitia cordis illius proposito gaudio sustinens crucem, (*Hebr.* 12.) ut & vos tanquam hilares datrices tollentes crucem vestram exeatis obviam sponso Salvatori vestro. Ita est: exierunt C felicissimè Virgines nostræ Martyres coronatæ, ut duplici Virginitatis & Martyrii laureolâ redimirentur: & factæ sunt corona gloriæ in manu Domini & diadema regni in manu Dei nostri. (*Isaiæ* 62.) Veræ Christi Sponsæ ornatæ monilibus ejus & suis, (*Isaiæ* 61.) per gratiam & meritum. Beatus illarum per obitum exitus, quia à morte ad vitam æternam transitus, ex vita temporali ad felicem æternitatem abitus. Reliqverunt hic sacras exuvias, quarum & nos participes sumus, monumentum transacti fortiter ac generosè certaminis ad nos animandos, ut earum vestigiis insistamus & bonum certamen certemus. (2. *Timoth.* 4.) Nec arbitremur sexui earum nomen sponsæ duntaxat convenire, conve- D nit & nostro. Quid enim animæ nostræ sunt, nisi Sponsæ Christi? O utinam tales! utique si in baptismo desponsatæ datam semel fidem servaverunt, vestem nuptialem innocentiæ non perdiderunt, constantes in puritate & castitate sua permanserunt. Sed quodsi reperiantur animæ nostræ sponsæ adulteræ, quid faciemus? Loqvitur de quadam Deus per Prophetam Jeremiam *cap.* 2.) In omni colle sublimi vanitatis mundanæ, & sub omni ligno voluptatis carnalis tu prosternebaris meretrix. Infelix anima derelinquens Dominum Deum suum & non habens timorem Dei ante se, excutiens svave jugum Sponsi dicens: *Ibid.*) non serviam. Infelicior perseverans in malitia sua, veniens in profundum peccatorum & contemnens, (*Prov.* 18.) cui frons meretricis facta & nescit erubescere. (*Jerem.* 3.) Quid tamen sponsus Deus ad talem animam?

Hortus conclusus.

Diadema Passionis.

Sponsus Sangvinum.

Gloria Calestis.

Reliquiæ SS.

Animæ Sponsæ Christi.

DEI Misericordia in Peccatores.

Media nocte peccati clamor factus est: *(Matth. 25.)* ecce Sponsus venit, exi obviam ei. Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Deus *Jerem. 3.)* Ergò saltem amodò voca me; Pater meus, dux virginitatis meæ Tu es *(Ibid.)* O bonitas! ô misericordia! ô amor Dei patientis, Dei vocantis, Dei dissimulantis peccata hominũ propter pœnitentiam! *(Sapient. 11.)* Quousque deliciis dissolvêris filia vaga, *(Jerem. 31.)* anima peccatrix? Convertere ad Dominum Deum tuum. *(Jer. 4.)* Quoties venit tibi obviam misericors & miserator Dominus, *(Psalm. 110.)* & tu non vadis obviam ei? Exi tandem, vocanti obvia, exi de terra tua, de cognatione tua; *(Gen. 12.)* exi de ergastulo corporis tui, quod terra est; exi de conversatione mundana & seculari: surge, propera; *(Cant. 2.)* exurge à mortuis, peccatis nempe mortalibus, & illuminabit te Christus *(Ephes. 5.)* Sponsus tuus. Sequere Sponsum sangvinum, *(Exodi 4.)* mundo, carni, diabolo, ad sangvinem usque resistendo; carnem tuam crucifigendo cum vitiis & concupiscentiis tuis. *(Galat. 5.)* Vigila, in omnibus labora, repara dies malè actos vitæ tuæ per ejus emendationem. Viriliter age, *(Psalm. 26.)* noli dormitare præ tædio, *(Psalm. 118.)* ne postquam veniat Sponsus, & tu non adsis, vel absit à te oleum gratiæ Divinæ, & tunc claudatur janua regni cœlestis. Væ nobis! si dixerit nobis Sponsus: *Matth. 25.)* nescio vos. Vocavi & renuistis: Ego quoque in interitu vestro ridebo. *(Prov. 1.)* Eapropter sit oleum semper in lampadibus nostris, oleum devotionis, quo ignis amoris Divini semper ardeat in nobis, & nunquam extingvatur. *(Levit. 6.)* Sint lumbi nostri ad exemplum SS. Virginum præcincti per castimoniæ disciplinam; sint & lucernæ ardentes in manibus nostris, *(Lucæ 12.)* ut luceat lux nostra coram Deo & hominibus, & videant opera nostra bona, ut glorificetur in nobis Deus. *(Matth 5.)* Spiritus noster & anima nostra Sponsa, dicat semper Sponso: *Apoc. 22.)* Veni Domine JESU, ut in media nocte mortis nostræ audire mereamur clamorem: *(Matth. 25.)* ecce Sponsus venit, venite cum illo ad requiem æternam.

Vocatio, ad Pænitentiam.

Sermo in festo omnium Sanctorum.

Merces vestra copiosa est in cœlis. Matth. 5.

Ecclesiæ Militãtis cum Triumphante connexio.

O Quàm jucunda connexio Ecclesiæ militantis cum triumphante! quàm amabilis conjunctio illorum, qui ex fide vivunt; *(Rom. 1.)* & justorum, qui in manu Dei sunt & in perpetuum vivunt! *(Sap. 5.)* quàm svavis unio eorum, qui secundùm propositum vocati sunt sancti; *(Rom. 8.)* & eorum, qui in cœlis regnant! Est autem per hodiernam festivitatem, quâ recolentes eorum gloriosam post temporalis vitæ labores in æterna vita mercedem, nos quoque animamur ad labores similiter perferendos, stimulamur ad æternam mercedem requiren-

A quirendam. Nos quidem in via, illi in Patria; nos in curſu, illi in termino. Illis jam reddidit Deus mercedem laborum ſuorum, (*Sapient.*10.) & inde ſicut lætantium omnium habitatio eſt in Sion: (*Pſalm.* 86.) nobis autem merces eſt in promiſſione, quoniam copioſa eſt in cœlis; (*Matth.*5.) ac ideò laborandum nobis eſt, non cum triſtitia ſed cum lætitia, velut hilares datores (2. *Corinth.* 9.) faciunt, ut condignam mercedem percipiamus. *Merces laborũ* Si enim volentes, id eſt libenter & gaudenter agimus, mercedem habebimus. (1. *Cor.* 9.) Illi igitur mercedem poſſident, nos ſperamus, & ad illam aſpiramus. Sciendum tamen eſt, quòd teſtimonio Apoſtoli 1. *Cor.* 3.) unusquisque propriam mercedem accipiet ſecundùm

B ſuum laborem. Labor parvus, merces parva; labor magnus, merces magna. Eapropter idem Apoſtolus, qui ait 1. *Cor.* 15.) abundantiùs omnibus ſe laboraſſe, monet; *Gal.* 6) ut quamdiu tempus habemus, operemur bonum ad omnes, & ut bonum facientes, non deficiamus ſed proficiamus; tempore enim ſuo metemus non deficientes: ſic curramus, *Deus Merces magna.* ut comprehendamus. (1. *Corinth.* 9.) Sed dicet aliquis: Nonne & illi primi, qui primo mane venerunt, ut operarentur in vinea Domini portantes pondus diei & æſtûs, (*Matth* 20.) & hi noviſſimi circa undecimam venientes & unâ horâ laborantes, dum cunctis redderetur merces, acceperunt ſingulos denarios? (*Ibid.*) Æqualis proinde merces dari

C videtur & plùs & minùs laborantibus. Ita eſt: idque primariò. Et quæ hæc merces? Nulla alia niſi Deus, qui uti Abrahæ primo Patri credentium promiſit: *Gen.* 15.) Ego protector tuus & merces tua magna nimìs: ita de veniente ad nos Salvatore dicit apud Prophetam Iſaiam *cap.* 40.) Ecce merces ejus cùm eo, & opus illius coram illo: ita demùm ad judicium properans Ipſemet de ſe inquit in Apoc. *cap.* 22.) Ecce venio citò, & merces mea mecum eſt, reddere unicuique ſecundùm opera ſua. *Gradus Gloriã hominum ut Angelorum.* Eſt ergò Deus merces noſtra primariò copioſa in cœlis; (*Matth.*5) eſt tamen ſecundariò communicans ſe diverſimodè & reddens cuivis juxta opera ſua. (*Matth.* 16.) Opus majus, communicatio major: labor

D multus, merces multa. Nonne ſicut ſtella differt à ſtella in claritate, ita erit reſurrectio mortuorum? (1. *Cor.* 15.) Pater luminum (*Jacobi* 1.) habitans lucem inacceſſibilem (1. *Timoth.* 6) illuminabit omnes, accendet omnes; ſed lucernæ differentes differenter illuminabuntur, differenter accendentur. Videamus ipſas Hierarchias Angelicas. Nonne omnes vident faciem Patris, qui in cœlis eſt? (*Matth.* 18.) Haud dubiè. Sunt tamen gradus inter illas, ſunt remotiores, ſunt propinquiores, omnes de eodem lumine gloriæ participantes, ſed diverſimodè. Vidit Iſaias *cap.* 6.) ſtantes juxta thronum Seraphinos, id eſt inflammatos & ardentes: vidit Ezechiel *cap.* 10.) ſtantes Cherubinos, id eſt illuminatos & lucentes, imò ſedentem ſuper Cherubim Dominum & volantem, quia ſapientiâ & ſcientiâ Dei ſummè præditi & amore DEI ſummè accenſi viciniores ſunt Majeſtati. Quid dicam de Thronis ipſis, de Principatibus & Poteſta-

testatibus? de Virtutibus & Dominationibus? de Angelis atque Archangelis? Ipsa diversitas nominum diversitatem designat meritorum & dignitatum. Idem dicendum de hominibus, ubi uni dantur talenta quinque, alteri duo talenta, alii verò unum: unicuique secundùm propriam virtutem. (*Matth.* 25.) Recepit ille decem mnas & lucratur alias decem, & accipit potestatem super decem civitates. (*Lucæ* 19.) Alter quinque percipit mnas, lucratur alias quinque & ponitur super quinque civitates, (*Ibid.*) & sic de reliquis. Unicuique datur gratia secundùm mensuram donationis Christi, (*Eph.* 4.) ita & gloria. Omnes erimus vasa gloriæ, (*Rom.* 9.) sed & inter ipsa vasa datur differentia. Replebuntur omnia ab ubertate domûs DEI, (*Psalm.* 35.) sed unumquodq; juxta capacitatem suam. In domo DEI mansiones multæ (*Joan.* 14.) & diversæ sunt. Habitat tamen in omnibus Deus & inambulat in eis & est Dominus Deus illorum in perpetuum. (2. *Cor.* 6.) Sic ergò seminanti justitias, quantò plures, tantò meliùs, cùm imperetur (*Apoc.* 22.) qui justus est, justificetur adhuc; & qui sanctus est, sanctificetur adhuc; seminanti, inquam, justitias, erit merces fidelis. (*Prov.* 11.) Omnes, qui fideliter obediunt, dignam pro fide recipient mercedem. (*Esth.* 16.) Rectè monet Sapiens: (*Eccli* 18.) Non impediaris orare semper, & ne verearis usque ad mortem justificari; quoniam merces Dei manet in æternum. Et alibi exhortatur ad fidem: *Eccli.* 2.) Qui timetis Dominum, credite illi & non evacuabitur merces vestra. Aliàs quoque ad laborem animat: *Eccli.* 51.) Operamini opus vestrum ante tempus, id est tempestivè & dabit vobis mercedem in tempore suo, illo æternitatis sine tempore, quia sine fine. Intereà laborem nostrum etiam maximum non magni æstimemus. Modicum & leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur. (2. *Cor.* 4) Modicum laboravi, ait Sapiens *Eccli.* 51.) & inveni mihi multam requiem. Ita est apud illum, apud quem copiosa erat redemptio, (*Psalm.* 129.) copiosa quoque merces est pro modico labore, multa requies, mensura conferta, coagitata, supereffluens, (*Lucæ* 6.) gaudium plenum & perfectum. (2. *Joan.*) O quàm magnâ multitudine dulcedinis suæ (*Psalm.* 30.) DEUS parva nostra opera recompensat! Vos ergò confortamini, loquor verbis Scripturæ 2. *Paral.* 15.) & non dissolvantur manus vestræ; erit enim merces operi vestro. Dignus erit operarius mercede suâ. (1. *Tim.* 5.) Caveamus tamen, ne hìc justitiam facientes, vel jejunantes, vel orantes, vel eleemosynam dantes, ut videamur, mercedem ab hominibus recipiamus: alioqui apud Patrem cœlestem mercedem non habebimus. (*Matth.* 6.) Qui enim tales mercedes congregat, mittit eas in sacculum pertusum, juxta Aggæum *cap.* 1.) imò omnes tales mercedes comburentur igne. (*Mich.* 1.) Videte ergò vosmetipsos, monet dilectus JESU discipulus *cap.* 2.) ne perdatis, quæ operati estis, sed ut mercedem plenam accipiatis. Curemus autem etiam minima bona

Talenta varia.

Vasa gloriæ.

Profectus spiritualis cum perseverantia.

Humilitas.

opera

A opera agere; quia etiam calix aquæ frigidæ datus indigenti, non perdet mercedem suam: (*Matth.* 10.) quidni receptio justi, mercedem justi accipiet? quidni dilectio inimicorum, (*Matth.* 9.) beneficium illis exhibitum, mutui datio (*Ibid.*) nihil inde sperando, multam mercedem merebitur? Hoc tamen notandum, quòd uti justis apud Dominum est merces eorum (*Sapient.* 5.) per præmia æterna, ita impii mercedes iniquitatis portabunt, (*Eccli.* 30.) mercedem erroris sui in semetipsis recipientes (*Rom.* 1.) per pœnas æternas; in corruptione sua peribunt percipientes mercedem injustitiæ. (2. *Petri* 2.) Omnis enim prævaricatio & inobedientia accipiet justam mercedis retributionem. (*Hebr.* 2.)

Cura minimorum.

Amor Inimicorum.

Merces peccati

Adhortatio ad laborandum.

B Cùm igitur ingratus labor hic, quem præmia nulla seqvuntur; ita gratissimus debet esse hic, quem præmia magna seqvuntur. Ac proinde non in vanum laboremus; (*Psalm.* 126.) laboremus sicut boni milites Christi, (2. *Timoth.* 2.) laboremus sustinentes, (*Jerem.* 6.) labor improbus omnia vincet; labor habet finem, merces sine fine; finiti ad infinitum nulla est proportio. Et quia nemo libenter gratis laborat, laboremus pro mercede eaque æterna. Ecce merces bonorum operariorum clamat in cœlum, (*Jacob.* 5.) & Pater, qui in cœlis est, (*Marci* 11.) audit & reddet illam. Illa planè merces, ait Divus Legislator noster in Regula, nobis à Domino recompensabitur, quam ipse promisit, quòd oculus

C non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit DEUS his, qui diligunt eum; (1. *Corinth.* 2.) & hi sunt, qui laborantes non laborant. Dilectio enim omnem laborem etiam maximum facit levem. Sicut Patriarchæ Jacobo septem quoque anni videbantur pauci dies præ amoris magnitudine: (*Genes.* 29.) ita nobis suave jugum Domini & onus leve (*Matth.* 11.) amor Dei efficiet, ut legitimè certantes (2. *Timoth.* 2.) bonum semper operantes (*Galat.* 6.) & in eo proficientes, magnam nobis apud Deum laborum & meritorum mercedem congregemus in eo, qui est Sanctus sanctorum (*Daniel.* 9.) Christo Jesu, in quo utraque Ecclesia militans & triumphans unita, pe-

Nihil amantibus durum.

D rennæ mercede coronatur. Huic omnium Sanctorum Remuneratori supplicemus, ut intuitu eorum, utrique statui, Ecclesiastico & Politico sigillatim Ordini nostro & Olivæ nostræ, omnium peccatorum veniam indulgeat, omnium gratiam conferat meritorum, ac demùm gloriam impertiatur æternam.

Sermo in die Animarum.

Misericordiam DEI & vestram, Fratres mei, imploro pro Animabus in igne purgatorio detentis. Auditisne gemitus ad vos clamantium? *Job.* 19.) Miseremini nostri saltem vos amici nostri. Videtisne, quomodo manus Divinæ justitiæ illas tetigit? Agnoscitisne, quantis crucientur doloribus & tormentis? Creditisne, quòd

Pathetica ad juvandas in Purg. Animas adhortatio.

Ecclesiæ Patientis. non sit illis adjutor (*Psalm.108.*) præter nos? Illa patiens Ecclesia Christi, quæ ex Ecclesia militante transmigravit & est in viâ ad triumphantem constituta in tenebrosis & in umbra mortis, (*Psl 87.*) proprio destituta auxilio ad nos suspirat gemens & ejulans, nostrum requirit adjutorium. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit & non exaudietur, (*Prov.21*) imò judicium erit illi sine misericordia, qui

Miseria Purgatorij. non facit misericordiã. (*Jac.2.*) Et quis pauperior animâ purgante, imò quis miserior? quis afflictior? Imaginemini vobis hominem nudum, jacentem, cæcum, surdum, paralyticum, sine motu non tamen sine sensu, imò simul & semel, dolores capitis, oculorum, dentium, stomachi, iliacos, colicos, sciaticos, calculi, chiragræ, podagræ, dolores parturientium intrinsecùs patientem, insuper in tenebris, in angustiis, in fætoribus, in terroribus, & in horroribus positum, fame & siti enectum; extrinsecùs variis ignis & frigoris, nec non diversorum tormentorum generibus in omnibus membris suis excruciatum; quid vobis videtur? Nonne hic congeries omnium miseriarum, confluxus omnium afflictionum, si adhuc non sit, qui misereatur ipsius, (*Psalm.108.*) malorum abyssus? Sed hæc nec umbra sunt eorum, quæ animæ purgantes patiuntur, idque

Pæna damni. super omnia per pænam damni, quâ premuntur & constringuntur, ideò quòd visione Dei beatificâ priventur. Agnoscunt enim summum illud Bonum, anhelant ad centrum suum, Deum authorem suum, à quo & ex quo prodierunt: vim patiuntur, violenter detinentur. Et his opitulari nemo potest præter nos. Qui viderit fratrem suum indigentem & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei est in illo? (*1.Joan.3.*) Nec DEI charitas est in eo, qui creaturæ ejus miseræ non miseretur, nec proximi dilectio, qui fratri suo patienti non compatitur, non condolet,

Charitas. nec fert opem cùm possit. Induite viscera misericordiæ, super omnia autem charitatem habete, quæ est vinculum perfectionis, imperat Apostolus *Coloss. 3.*) Hæc nos DEO, hæc nos proximo vincit & unit: sed si in solo affectu absque effectu subsistit, nulla est. Operosa sit, operibus se patefaciat, necesse est. In hoc cognoscimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit & hâc majorem charitatem nemo habet, & nos debemus pro fratribus animas ponere, docet dilectus JESU Discipulus. *Ep.1. cap.3.*) Sed quomodo? Ut sicuti nihil charius, nihil pretiosius animâ suâ quisque habet, ita quidquid reperit charum, gratum, pretiosum, impendat fratribus suis indigentibus. Quatuor sunt, quibus

Oratio, Jejunium, Eleemosyna, Missa. animas purgantes juvare possumus. Oratio, jejunium, eleemosyna & Missæ sacrificium. Oratio deprecationem ad Deum, jejunium mortificationem sui, eleemosyna donationem rerum suarum, sacrificium oblationem Agni immaculati in se complectuntur. Orationes & obsecrationes faciamus per merita Christi patientis pro animabus patientibus. Jejunia & mortificationes corporis exhibeamus ipsis pro doloribus illarum sublevandis. Eleemosynas profundamus debitis & necessitatibus

illarum

A illarum ſubveniendo. Sacrificia demùm & communiones ſacras offeramus, ut ſic pro defectibus earum ſatisfaciamus per eum, qui eſt ſatisfactio unica & plenaria pro peccatis noſtris. Quid ſi reperiantur animæ patrum, matrum, fratrum, ſororum & propinquorum noſtrorum, opem noſtram implorantes? Nonne ſumma impietas eſſet illas, cùm poſſimus, non juvare? Qui curam ſuorum negligit, infideli eſt deterior. (*1. Tim. 5.*) Quodſi benefactores & fundatores noſtri adhuc ope & operâ noſtrâ indigerent, quanta ingratitudo noſtra eſſet, panem illorum manducare, & hoc pane ipſis non ſubvenire? Nihil eſt, quod à Deo indignationem provocet Altiſſimi atque ingratitudo, ait Petrus Ravennatenſis; B ipſa eſt malorum provocatio, bonorum exinanitio, meritorum exterminatio. Peremptoria res eſt ingratitudo (ait mellifluus Pater noſter) hoſtis gratiæ, inimica ſalutis; quoniam nihil ita diſplicet DEO in filiis gratiæ, quàm ingratitudo. Hæc eſt ventus urens, ſiccans fontem pietatis, rorem miſericordiæ, fluenta gratiarum. Nec tantùm ex motivo miſericordiæ, charitatis & gratitudinis tenemur animabus purgantibus opitulari, tenemur & ex juſtitia reddendo ipſis hoc, quod ipſorum eſt. Nonne ante nos laboraverunt, & nos in labores eorum intravimus, (*Joan. 4.*) labores manuum eorum manducamus? (*Pſ. 127.*) reſtituamus ideò illis, quæ ad ipſos ſpectabant, quæ ab ipſis participavimus. Tenemur etiam ex ratione ſalutis noſtræ ipſis adeſſe & prodeſſe; nihil enim nobis prodeſt ad C ſalutem præter opera miſericordiæ. Venite benedicti, dicit Judex *Matth. 25.*) Quare? Quia eſurivi, ſitivi, nudus fui in carcere, & his ſimilia, & adjuviſtis me. (*Ibid.*) Et quis magis eſuriens, ſitiens, nudus & incarceratus, quàm animæ infernorum, quæ unà cum cœleſtibus & terreſtribus in nomine JESU genua flectunt & clamant: *Marci 10.*) Jeſu fili DEI vivi miſerere noſtri. Invocemus ergò miſericordiam DEI pro ipſis dicentes. Pater de cœlis DEUS, qui illas plasmâſti, miſerere eis. Fili redemptor mundi Deus, qui illas proprio ſangvine & morte crucis redemiſti, miſerere eis. Spiritus ſancte Deus, qui eas gratiâ tuâ D & amore ſanctificâſti, miſerere eis. JESU Nazarene Rex Judæorum crucifixe, (*Joan. 19.*) miſerere eis. Hoc igitur ultimò faciamus hiſce animabus indigentibus, quod nobis in eo ſtatu neceſſitatis poſitis ab aliis fieri optaremus. Simus inter illos beatos miſericordes, (*Matth. 5.*) ut & ipſimet miſericordiam à DEO conſequamur: (*Roman. 11.*) ita enim nobis præcipit Pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis, (*2. Cor. 1.*) Eſtote miſericordes; ſicut Pater veſter miſericors eſt. (*Lucæ 6.*) Et omnium voto concludamus: animæ fidelium defunctorum per miſericordiam Dei infinitam ſuperexaltantem judicium, (*Jacobi 2.*) requieſcant in pace. Dicamus omnes, Amen.

Pietas erga ſuos.

Gratitudo.

Juſtitia.

Ratio ſalutis noſtræ.

Opera Miſericordiæ.

Suſpirium pro Defunctis.

Sermo in festo Præsentationis B. V. M.

Exemplar Vitæ Monasticæ.

PRæsentatio est hodie S. Mariæ Virginis triennis in templo Dei, ubi quindecim ascensis sine labore & cum promptitudine gradibus à parentibus & seculo abstracta, soli Divino servitio se mancipavit. Hic Divi Joannis Damasceni testimonio in domo Dei plantata atque per Spiritum Sanctum saginata, instar Olivæ fructiferæ virtutum omnium domicilium efficitur, nobisque omnibus velut exemplum omnis sanctitatis, & exemplar omnis perfectionis præsentatur. Eja filiæ Sion egredimini, (*Cant. 3.*) adolescentulæ, animæ devotæ, & intuemini, quanta sit ista, quæ ascendit de deserto sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris & universi pulveris pigmentarii. (*Ibidem.*) Quàm svave thymiama! quàm gratum sacrificium! quàm dulce holocaustum Deo præsentatur in odorem svavitatis! (*Levit.4.*) Hic myrrha mortificationis per votum castitatis; hic thus devotionis per ardorem charitatis; hic omnium virtutum in humilitatis pulvere fundatarum gratissima redolentia. Exurgite & currite in odorem ungventorum ejus: (*Cant. 1.*) sequimini progredientem & ascendentem respicientes eam velut exemplar, quod vobis in monte Sion in domo Domini ostenditur. (*Num. 8.*) Vultis scire, quale exemplar? Est Olivæ fructiferæ, uti dixi, per Spiritum saginatæ, teste Divo Joanne Damasceno. Verè Virguncula nostra trimula in templum Domini deducta potuit de se dicere: *Psalm. 51.*) Ego sicut Oliva fructifera in domo DEI: utique plantata in domo Domini, in atriis domûs Dei nostri florens, (*Psalm.91.*) & odore & pulchritudine virtutum florentium, aliis exempla monstravit. Olivæ qualitates & proprietates Virgini DEIparæ convenire, nemo inficiabitur. Si enim est Oliva semper virescens; Virgo sanctissima fuit continuæ viriditatis, quæ virorem innocentiæ, virginitatis & sanctitatis nunquam amisit, nec in æstate prosperitatis, nec in hyeme adversitatis, nec in vere juventutis, nec in autumno senectutis. Ejus viror, juxta Richardum à S. Laurentio, fuit fides & perseverantia, quæ in ea non aruit propter hyemem Dominicæ passionis, sicut in omnibus discipulis, quia tunc defecit omnis Sanctus. Ideò prædictum fuit de ea velut muliere forti: (*Proverb. 31.*) non extingvetur in nocte (Dominicæ passionis) lucerna ejus. Lucerna fides est (ait D. Ambrosius.) Nonne Beata, quæ credidit; (*Lucæ 1.*) beatissima, quæ in fide perseveravit? Accedite ad eam filiæ Sion & illuminamini (*Psalm.33.*) ab Illuminatrice lumine fidei, de luce vera omnem hominem illuminante. (*Joan. 1.*) Mater est luminis & splendoris; quia ex ea ortus est ut splendor justus author justitiæ, & Salvator ut lampas accensus est, (*Isaiæ 62.*) qui est lux mundi. (*Joan. 8.*) Huic Luci subministravit Oliva nostra oleum salutare, adipem & pingvedinem purissimi corporis sui, quando hæc Oliva fructifera (*Psalm. 51.*) fru-

Virtutum fundamentum Humilitas.

B. V. Oliva.

Viror Innocentiæ Fidei Perseverantiæ.

Mater Luminis.

fructum benedictum ventris sui generavit. (*Lucæ 1.*) Hæc est, à quâ corporalem Domini ramum (inquit S. Proclus) accipiens Spiritus Sanctus, naturæ humanæ tempestate convulsæ pacem cœlitùs læto faustoque nuntio prædicatam attulit. Illa est planè, quæ mundo naufrago ramum illum Olivæ Paternæ protulit JEsum Christum, imò de qua processit & nata est vera Oliva Christus, qui est pax nostra, lux nostra, misericordia nostra. (*2. Tim. 1.*) Christus viridis in tota sua conversatione, rubens in passione, niger in morte; fructus enim olivæ primò virescit, deinde rubescit, posteà nigrescit. Christus qui est unctus Domini, (*Num. 35.*) Rex Regum (*Apoc. 19.*) & Pontifex factus in æternum, (*Hebr. 6.*) unctione Regia & Sacerdotali supereminens & oleo lætitiæ unctus præ participibus suis, (*Ps. 44.*) eodem ungens Christianos. Hoc oleum lætitiæ, est gratia Dei, quâ Verbum caro factum (*Joan. 1.*) plenum erat gratiæ, ortum ex plenâ gratiâ, ex Oliva pingvedine spiritualis gratiæ superabundante. Mater omninò gratiæ, omnis gratiæ fontem & Authorem orbi edidit universo. Est Oliva pacis (*Gen. 8.*) verè pacifera, reperiens pacem coram DEO, (*Cant. 8.*) Salomonis pacifici genitrix facta, in cujus diebus primò orta est abundantia pacis, (*Psalm. 7.*) & sicut regni ejus, ita & pacis non erit finis. Ipsa est Oliva totius misericordiæ & pacis & bonitatis, juxta D. Albertum Magnum, Oliva reconciliationis, quæ Deum nobis reconciliavit, qvæ totius mundi reconciliationem obtinuit, imò quæ DEUM homini pace æterna copulavit. Misericordiæ autem ejus supereffluentem pingvedinem, quis enarrabit? Mater utique misericordiæ, in qua misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt, (*Psalm. 84.*) adeoque ex ea effluxit fons misericordiarum, misericors & miserator Dominus, longanimis & multùm misericors: (*Psalm. 102*) ille Samaritanus, qui misericordiam fecit cum homine peccatis vulnerato: (*Lucæ 10.*) vinum Divinitatis & oleum humanitatis in vulnera ejus infundens eumque salvificans. Nonne hæc ipsa Oliva fructifera in domo Dei, (*Psalm. 51.*) est etiam Oliva speciosa in campis (*Eccli. 24.*) propter communionem pietatis & misericordiæ, quam cunctis exhibet, quantum in se est sine acceptione personarum? Est enim Oliva hæc, juxta Idiotam, plena pingvedine pietatis & compassionis. Oliva speciosa in campis, in Ecclesiis Christi, quæ congruè dicuntur campi, quos disciplinæ cælestis aratrum colit, doctrina Evangelii serit, justitiæ executio reddit fertiles. In campis autem licentiæ, illis sigillatim, qui seqvuntur latitudinem suæ pravæ voluntatis & discurrunt velut equi emissarii & effrenes, nullis detenti vel retracti frenis timoris DEI vel amoris, vel mundani pudoris camo retardati, nec vinculis Divinorum præceptorum constricti, his inquam est speciosa (teste Idiota) quando ex toto corde pænitentes ad eam confugiunt peccatores, quibus gratiæ oleum suis orationibus, exemplis & meritis subministrat; ut excolantur & faciant fructum, adeoque velut campi bo-

Incarnationis Ramus.

Ramus Olivæ.

Olivæ fructus Allegor.

Christus Unctus.

Oliva Pacis.

Oliva Misericordiæ.

Samaritanus Alleg.

Oliva Speciosa.

Cāpi Ecclesiæ

Lata Via.

Camus & Frenum Peccatorum.

Refugium Peccatorum.

norum operum repleantur ubertate. (*Pſ.64.*) O Oliva ſpecioſa, (*Eccli.24.*) cujus gratia & miſericordia omnibus eſt omnis ! verè ſpecioſa in campis poſita, florem campi (*Cant.2.*) protulit ſpecioſum formâ præ filiis hominum, (*Pſalm.44.*) ex cujus amœnitate pulcherrima campeſtria ſibi naturæ humanæ nuditas procuravit. Campeſtria ſunt perizomata velamenta turpitudinis, quæ de flore iſto ſibi conſuunt; quicunque per fidem & amorem Virginei partus criminum verecunda deponunt. Talis & hæc Oliva eſt, qualē deſcribit Jeremias *cap.11.*) Olivam uberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam vocavit Dominus nomen tuum. Fuit enim Oliva, inquit Richardus à S. Laurentio, uber per affectum miſericordiæ, pulchra per puritatem affectûs, fructifera per effectum miſericordiæ, ſpecioſa per abundantiam effectûs. Oliva hæc habet ramos flexibiles, quia facillimè flecti poteſt oratione devotâ, ut habeatur fructus ejus, qui Chriſtus eſt. Ejus folia, verba ſunt Evangelicæ veritatis, juxta Abſalonem Abbatem, quibus docuit Apoſtolos & filios naſcentis Eccleſiæ, qui planè ſicut novellæ olivarum fuerunt in circuitu menſæ, (*Pſalm.127.*) ubi verbum Domini miniſtrabatur. Nunc ergò Oliva noſtra parvula quoad corpus, quoad ſpiritum perfecta, in Præſentatione hodierna; vultis ſcire, unde tantas adepta eſt perfectiones & proprietates? Inde, quòd plantata fuerit ſecùs decurſus aquarum. (*Pſalm.1*) Sed quarum ? illarum, de quibus ipſa Veritas dicit: *Joan.7.*) quòd de ventre credentis fluent aquæ vivæ; de quibus Propheta Ezechias: *cap.36.*) effundam ſuper vos aquam mundam. Et hoc declarat S. Damaſcenus dicens; quòd per Spiritum fuerit ſaginata: non alium certè niſi Sanctum. Hujus unctio docuit eam de omnibus, & dedit ipſi plenitudinem gratiarum, qui ſi Joannem Domini præcurſorem replevit adhuc in utero matris ſuæ, multò magis Matrem Domini Virginem in utero, adeoque in ipſo conceptionis ſuæ immaculatæ momento implevit, de quo aliàs. Hinc ſpiritu agens, ſpiritu vivens, charitate utraque diffuſa, in corde illius cœleſtis unctionis balſamo imbuta & delibuta, non potuit niſi oleum præſtantiſſimum, ungventa optima, chariſmata meliora proferre, (*1.Cor.12.*) nec tantùm ſtillare, ſed exundare. Et nos Olivæ ſurculi inſerti in hanc bonam Olivam (*Rom.11.*) per fidem, ſpem & dilectionem in domo Domini plantati, (*Pſalm.91.*) Divino ſervitio mancipati, ambulemus in lumine ejus (*Iſaiæ 2.*) portantes lucernas oleo exultationis repletas, oleo gratiæ exultantis, & ſectemur ea quæ pacis ſunt, (*Rom.14.*) miſericordiæ & pietatis opera donantes invicem, (*Eph.4.*) invicem miniſtrantes. Spiritum Sanctum invocemus, ut nobis aſſiſtat, quatenus ſpiritu vivamus, ſpiritu agamus & agamur. Simus campi exculti per pœnitentiam, florigeri per caſtitatem, fructiferi per operationem bonam, ſi volumus Olivæ ſpecioſæ in campis (*Eccli.24.*) patrocinia promereri. Præſentemus nos Virgini DEIparæ & cum illa, & per illam præſentemus nos Deo, ſemper ipſi præſentes, præſentiam ejus ſemper recolentes, digna ejus præſen-

Flos Campi.

Perizomata tropol.

Olivæ dotes.

Olivæ rami & folia.

Doctrix Apoſtolorum

Decurſus Aquarum.

Unctio Spiritûs S.

Peroratio ad FF. de Oliva.

A tiâ agamus, coram ipſo ambulemus & ſimus perfecti atque ſemper in puritate cordis vireſcentes & per Mariam Olivam immarceſcibilis & perennis gloriæ oleagineam victorum in cœlis adipiſcamur coronam.

SERMONES DIVERSI
In Diverſis Occurrentiis Habiti.

Gratulatio Adventûs Reverendiſſimi Domini
JOANNIS ZAPOLSKI, Commiſſarii Generalis S. Ord. Ciſtercienſis.

B NOn potuit gratior nec fortunatior cum novi Anni currentis auſpiciis dies Olivæ illuceſcere, quàm per lucidum præſentiæ Tuæ jubar Præſul Reverendiſſime. Percipit namque vividos Solis, Paterni nimirum amoris radios, quibus illuſtrata & animata Oliva, redditur fructifera (*Pſalm.51.*) & ſpecioſa, (*Eccli.24.*) ita tamen, ut ſpeciem & fructus Tibi Vicarie & Commiſſarie Ordinis digniſſime deferat, referat & offerat reciproco amoris filialis tributo. Intende ergò Antiſtes Maxime feliciter Olivæ Tuæ; proſperè procede & regna (*Pſalm.44.*) in cordibus eorum, qui ſe Tuis ſubjiciunt plantis cum voto: Annis jam viginti quinque à Te regitur Ordo, hunc viginti C aliis quinque & Olivam regere perge.

Obſervantia Commiſſarij anno officij 25.

Sermo in Profeſſione Fratris Timothei.

FRater Timothee, id eſt honorem DEI nomine tuo præteferens, eo ipſo magnam apud Deum miſericordiam reperiſti, quòd in ſacro Ordine Ciſtercienſi & in hoc Cœnobio Olivenſi, Divino te honori intendas devovere & dedicare. Homo primus à Deo creatus, gloriâ & honore coronatus eſt, (*Hebr.2.*) & magnalia honoris Dei vidit oculus ejus & honorem vocis audierunt aures ejus. (*Eccli.17.*) Cùm in tanto honore eſſet, non intellexit; non dedit Deo honorem debitum, comparatus jumentis inſipientibus, (*Pſ.48.*) ceſſitque honor ejus in nihilum. (*1.Mach.1.*) Inde tota maſſa humana omni privata honore manſit, donec ipſe DEUS, ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam, (*Rom.9.*) aſſumptâ naturâ humanâ eandem ad Divinitatis ſuæ honorem elevâſſet. Inde convenit jure merito gentes ſuper miſericordiâ honorare Deum, (*Rom 15.*) imò totum genus humanum in Deo honoratum debet dare Domino honorem, gloriam & benedictionem, (*Apoc.14.*) quia redemit illud ſangvine ſuo: fecit nos Regnum & Sacerdotes (*Apoc.1.*) ipſe Rex ſummus & ſupremus Sacerdos, & regnabimus in æternum. Magna equidem miſericordia DEI in honore iſto. Aut enim non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam? (*Rom. 9.*) Aut non licet ei, quod vult facere? Per ſuam igitur miſericordiam ſalvos

Timothei etymon.

Honor Dei per S. vocationem, ex miſericordia Incarnationis.

D

nos fecit, ita ut nobis sit honor credentibus (*1. Petri 2.*) vocatis in honorem A
DEI, qui vocavit nos ad æternam gloriam suam. (*1. Petri 5.*) Benè proinde,
Timor DEI & horror. monet Angelus in Apocalypsi *cap. 14.*) Timete Dominum & date illi honorem. Semen enim hominum honorabitur hoc, teste Eccles. *cap.* 10.) quod timet Dominum. Sit ergò in timore DEI primùm gloriatio tua (*Eccli. 9.*) frater Timothee cum hoc servitio Dei religioso, quod assumis, cui
Quomodo D. honorandus? servire, regnare est. Honora Deum ex tota anima tua (*Eccli 7.*) honora Dominum de tua substantia, (*Prov. 3.*) totum te ei consecrando, & pleno corde serviendo certus de æternæ Veritatis effato dicentis: *Joan. 12.*) Si quis ministraverit mihi, honorificabit eum Pater meus. Audi Sapientem te monentem: *Eccli. 10.*) Fili in mansvetudinem serva animam tuam, B
& da illi honorem secundùm meritum suum. Peccantem in animam suam quis justificabit? Et quis honorificabit exhonoratam animam
Castitas. suam? Et hoc est, ut scias vas tuum possidere in sanctificatione & honore (*1. Thessal. 4.*) per virtutem puritatis & & castitatis. Si quis emundaverit se ab iniquitate, erit vas in honorem sanctificatum, ait Vas electionis Divus Paulus. (*2. Tim. 2.*) Jam siquidem gloria & honor & pax omni operanti bonum, (*Roman. 2.*) ideò satage, ut per bona opera certam facias vocationem tuam, (*2. Petr. 1.*) ut possis gloriari in
Vera Cõversio. Patre luminum, à quo omne bonum, omne donum & datum perfectum descendit. (*Jacobi 1.*) Monet Baruch *cap. 5.*) Ambulet Israel di- C
ligenter in honorem DEI; diligenter sanè: maledictus enim, qui facit opus DEI negligenter, qui est in populo labiis tantùm Deum honorante, corde à Deo remoto. (*Matth. 15.*) Tu mandâsti, dicit Regius Vates *Psalm. 118.*) mandata tua custodiri nimis. Omni dili-
Obedientia. gentiâ opus est abundare ad omne opus bonum exequendum, (*2. Cor. 9.*) ad mandata DEI servanda; & in hoc te juvabit virtus obedientiæ, ut curras viam mandatorum Dei (*Ps. 118.*) in Regula sancta expressorum, & in dispositione Superiorum, qui invigilant animabus tanquam pro iis rationem Deo reddituri. (*Hebr. 13.*) Si sequaris justitiam, dicit Sapiens: *Eccli. 27.*) apprehendes illam & indues quasi poderem honoris. D
Soli Deo honor Indue proinde novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis; (*Eph. 4.*) & hoc age, ut in omnibus honorificetur DEUS, (*1. Petri 4.*) nec des alienis, videlicet mundo, carni,
Paupertas. diabolo honorem tuum, (*Prov. 5.*) nec honorem DEI transfer ad creaturas. Cùm verò juxta Sapientem *Prov. 22.*) victoriam & honorem acquirat, qui dat munera; nullum majus munus habere potes, quàm te ipsum Deo dando, nullum majus, quàm reliquendo omnia, per virtutem paupertatis. Per hæc tria vota, quæ distingvent labia tua (*Psalm. 65.*) nimirum castitatem, obedientiam & paupertatem, videbis salutem tuam in DEO, quæ superveniet tibi cum honore magno & splendore æterno, (*Baruch. 4.*) quando probatio fidei & virtutis tuæ pretiosior auro, quod per ignem probatur, invenietur in laudem, glo-
riam

A riam & honorem in revelatione JESU Christi. Quod ut fiat, radica te in humilitate omnium radice virtutum. Recumbe in novissimo loco: (*Luc.14.*) noli quærere à Rege cœlesti cathedram honoris. (*Eccli.7.*) Nemo enim sumit honorem sibi, sed qui vocatur à DEO tanquam Aaron: (*Hebr. 5.*) sciens juxta sensum Doctoris gentium, (*1. Corinth.12.*) quòd quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, iis honorem abundantiorem circumdamus. Deus autem temperavit corpus hoc mysticum Christi, cujus nos omnes membra sumus, (*1.Cor.6.*) ei cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem, (*1. Cor.12.*) ut possit dici: *Esth. 6.*) Sic honorabitur, quem Rex gloriæ voluerit honorare in fundamento humilitatis, cæterarumque virtutum firmatum. Sic finis tuus non erit sine honore, (*Sapient.5.*) quin poteris dicere: *Eccli. 24.*) Ego quasi terebinthus extendi ramos meos, ramos votorum sanctorum, & rami mei honoris & honestatis. (*Ibid.*) Ego quasi Oliva fructifera in domo DEI (*Psalm.51.*) producens bonorum operum fructum. Quod ut fiat tam in ipso quàm in nobis; oremus Deum, offeramus Domino gloriam & honorem, quia dignus est accipere à nobis gloriam, honorem, virtutem, laudem & benedictionem; (*Apoc. 4. & 5.*) & suscipiamus fratrem hunc nostrum Timotheum, sicut & Christus suscepit nos in honorem Dei, (*Rom.15.*) cui soli honor & gloria in æternum. (*1.Tim.1.*)

Humilitas.

B

Rami Votorū.

C

Sermo in die Anniversario obitûs Reverendissimi DOMINI ADAMI TREBNIC *Abbatis Olivensis 14. Augusti.*

ECce quomodo moritur justus, & nemo percipit corde. P.R.F.D. Hodie annua dies vertitur, in qua fecit Deus misericordiam cum servo suo Abbate nostro Adamo Trebnic, & post plurimos vitæ labores liberavit eum de corpore mortis hujus (*Rom 7.*) & dixit, *Apoc.14.*) ut requiesceret à laboribus suis. Jure merito exclamandum nobis est! Ecce quomodo moritur justus. Verè cum admiratione dicendum: Ecce. Ecquis non miretur hominem è seculo nobili prosapiâ natum, seculo innutritum, in seculo benè provisum, attractum ad Ordinis jugum ultrò, tantas itinerum defatigationes acceptâsse, ut in Claravalle novitiatum transigeret, ibique spiritum, cui S. Pater noster servivit, in se traheret, hauriret ac possideret. Ecce. Quis non obstupescat violenter retrahi Olivam ad onus Abbatiale ferendum ex Claravalle, cujus dulci habitationi totum se immerserat. Ecce. Meretur monstrari digito & dicier, hic est. Hic est, qui alter Bernardus dicebatur. Hic est, qui in magna tribulatione belli Svetici rexit Olivam sæpiùs exul cum Fratribus, quos ita per Provinciam Polonam dispensavit, ut ubique magno vitæ religiosæ præluce-

D

Ecce quomodò moritur Justus.

Bellū Sveticū.

rent exemplo. Hic eſt, qui diſciplinam regularem in Oliva rigoroſè ſervatam per Regnum Poloniæ diſſeminavit. Hic eſt, qui Abbatialia & Commiſſorialia Jura quoad Electiones & Benedictiones Abbatum, tum & Adminiſtrationes Abbatiarum poſt deceſſum eorum manutenuit & conſervavit. Ecce hic eſt, qui nullum pietatis opus omiſit, quo Deo placere & proximo benefacere potuiſſet. Ecce hic eſt, qui noctes diebus congeminatas devotioni impendit. Ecce hic eſt, qui mortificationem crucis pertulit in corpore ſuo & cilicio acriter usque ad mortem illud crucifigens, gravi herniâ omnibus occultatâ verè fuit crucifixus. Ecce quomodo moritur juſtus? Nunquid non juſtus, qui ad imitationem Dei ſemper in ſe & aliis juſtitiam dilexit, & ubique æquitatem vidit vultus ejus? (*Pſalm.* 10.) Quinimò juſtus ſemitas juſtitiæ ſervans, (*Prov.* 2.) nemini injuriam faciens, omnibus juſtitiam adminiſtrans. Nonne juſtus, quem deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum DEI & dedit illi ſcientiam ſanctorum; honeſtavit illum in laboribus, & hoc die complevit labores illius. (*Sapient.* 10) Ecce quomodo moritur? In maturitate laborum, in exactitudine virtutum, in plenitudine meritorum. Quomodo moritur? in die meſſis (*Iſaiæ* 18.) veniens cum exultatione & portans manipulos ſuos, (*Pſalm.* 125.) nimirum operum bonorum. Quomodo moritur? In Vigilia Virginis & Matris DEI in cœlum aſſumptæ; quidni ipſius fidelis ſervus & pediſſeqvus in tempore & æternitate, Magnæ Virginis DEIparæ Amator meruit utique ſequi aſſumptam in cœlum, ut ſicut ejus hic gratiæ, ſic ibi gloriæ participio frueretur. Sed ecce quomodo moritur juſtus, & nemo percipit corde. Itane, Fratres mei, vecordes an excordes ſumus, ut non percipiamus Abbatis & Patris noſtri obitum, imò abitum potiùs ex hoc mortali corpore, quod ipſe nobis velut exuvias mortalitatis ſuæ in magnæ virtutis indicium reliquit, utique nobis ipſis ſpectantibus incorruptum. Itane nolumus intelligere, ut benè agamus, (*Pſalm.* 35.) videlicet agnoſcamus Virum Virtutis Patrem noſtrum nobis filiis ſuis in vita & poſt mortem incorruptionis veſtigia demonſtrantem? Siquidem incorruptio corporis ejus incorruptionem animæ manifeſtat. Quomodo enim anima eſſet corrupta morte peccati, quando corpus peccati mortale non permiſit Dominus videre corruptionem? (*Pſalm.* 15.) Nonne incorruptio proximos Deo facit? (*Sap.* 6.) Dedit nobis Dominus ſignum, & nemo percipit corde. Ille nemo qui ita ſimplex eſt uti columba ſeducta non habens cor. (*Oſee* 8.) Ille nemo, cui in oblivionem datus eſt pius Pater tanquam mortuus à corde. (*Pſalm.* 30.) Ille nemo, videlicet nullus homo, cui non eſt intellectus (*Pſalm.* 31.) percipiendi, imò cordi ſibi ſumendi opus virtutis Divinæ, opus dexteræ Excelſi in magno hoc Abbate patefactum. Carnalis planè homo, qui non percipit ea, quæ ſunt ſpiritûs DEI. (1. *Cor.* 2.) Et quidem parcat DEUS noſtris, qui tam præcipitanter, tam inordinatè, tam inconſultè egerunt & absque debitis ſolennitatibus primordia mani-

feſta-

festationis hujus omnibus admirandæ & ab omnibus piâ memoriâ recolendæ peregerunt. Abstrahit DEUS gratiam ab his, qui temerè nec præmeditatè, qui non cum debita reverentia, & respectu ejusmodi, piè tractanda tractant; ab his, qui ingratos se Deo pro tanto beneficio exhibent: denique ab his, qui non percipiunt corde. Simus nos meliùs cordati P. R. F. D. & thesaurum hunc in vase fictili reconditum (2. *Cor.* 4.) meliùs æstimemus. Illuminetur cor nostrum ad cognitionem Viri justi, cujus hodie memoria in pace & benedictione est. (*Eccli.* 45.) Inflammetur cor nostrum ad imitationem ejus, qui in diebus suis placuit DEO & inventus est justus, ut sciamus & nos vas nostrum corpus hoc, quod corrumpitur & aggravat animam, (*Sap.* 9.) possidere in sanctificatione, (1. *Thessal.* 4.) absque omnis peccati corruptione. Hoc est percipere corde, inclinare cor ad faciendas justificationes DEI in æternum (*Psalm.* 118.) ad exemplum pii Patris Viri DEI, ut concalescat cor nostrum intra nos: deprecemur faciem DEi in toto corde nostro & scrutemur mandata Dei, ut fiat cor nostrum immaculatum in justificationibus illius; in corde nostro abscondendo eloquia Dei, (*Ibid.*) ut non peccemus: toto corde exquirentes Deum, toto corde sectantes justitiam, (1. *Tim.* 6.) & illam in alterutrum administrantes. (1. *Pet.* 4.) Condemnat enim justus mortuus vivos impios; (*Sapient.* 4.) pius Pater filios injustos, qui ipsi post mortem nec justitiam præstant, nec pietatem ejus imitantur; planè hi sunt, qui non percipiunt corde. Audite alloquentem nos ex tumba Doctorem & Magistrum olim nostrum, (*Psalm.* 4.) Filii hominum usquequò gravi corde, ut quid diligitis vanitatem habentes realitatem, & quæritis mendacium tenentes veritatem? Scitote, quoniam mirificavit Dominus justum suum. (*Ibid.*) Agnoscunt exteri, experiuntur vicini, venerantur longinqui; nos propinqui, nos domestici, nos intimi non agnoscimus, non experimur; quia non debito affectu & cultu veneramur, ideò non percipimus corde beneficia DEI. Agamus abhinc aliter, si taliter egimus, & corde recto ac perfecto in justitia & sanctitate coram DEO ambulemus (*Lucæ* 1.) Viri justi vestigiis insistentes, ut & nostrum mortale corpus mereatur immortalitatem, & corruptibile hoc aliquandò induat incorruptionem in Christo Jesu Domino nostro. (1. *Cor.* 15.)

Sermo in Memoria Martyrum Olivensium 20. *Septembr.*

Vidi animas decollatorum propter testimonium JESU, ait D. Joannes in Apocal. cap. 20.

OLiva, siccine tui ipsius immemor es, ut diem præsentem minimè recolas in benedictione? Dies hæc, dies est mæroris & lætitiæ, dies tribulationis & consolationis, dies mortis & vitæ: in quâ incolæ tui, Fratres tui gladiis impiorum occubuerunt; in qua profuso sangvine testimonium Jesu reddiderunt, (*Apocal.* 12.) in qua sacræ vi-

ctimæ DEO immolatæ ceciderunt. Nonne tunc tristitia implevit cor tuum? (*Joan.16.*) Nonne magnam perpessa es tribulationem? nonne ubiq; in te mortis imago videbatur? Sed mentita est iniquitas sibi, (*Psalm. 26.*) neque mentitum fuit opus Olivæ. (*Habac.3.*) Conversa est tristitia in gaudium. (*Joan.16.*) Isti sunt enim, qui venerunt ex magna tribulatione & laverunt stolas suas in sangvine Agni; visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace & requie sempiterna. (*Apoc.7.*) Et hi sunt Martyres nostri sub Abbate Casimiro Ethlero per manus Barbarorum Prutenorum trucidati. Hi in Oliva facti sunt Olivæ fructiferæ in domo Dei, (*Ps.51.*) Filii olei splendoris, (*Zach.4.*) & candelabra habentia oleum in vasis suis cum lampadibus & lucentia ante Dominum. (*Apoc.11.*) Hæ sunt animæ decollatorum propter testimonium Jesu, (*Apoc. 20.*) quæ acceperunt palmas suas & meruerunt habere coronas perpetuas. Et nos quid? Conservi sumus & Fratres Fratrum nostrorum habentium testimonium JESU. (*Apoc.19.*) Quid est Martyr nisi testis? Quid Martyrium nisi testimonium? Et hoc est, quod in vita & in morte Deo & Jesu perhibere tenemur. Jesus est, qui testimonium perhibet de se ipso, (*Joan.4.*) qui est testis fidelis (*Apoc.1.*) & ipsa Veritas; & testimonium perhibet de JESU, (*Joan.1.*) ipse qui misit illum Pater, quia verax est. (*Joan 8.*) Spiritus est qui testificatur, quoniam Christus est Veritas, (*1.Joan.5.*) qui est Spiritus veritatis. Joannes missus est à DEO, ut testimonium perhiberet veritati, (*Joan.5.*) qui stetit in veritate & confessus est, & digito monstravit; ecce Agnus. (*Joan.1.*) Testimonium Domini nostri Jesu Christi reddebant Apostoli (*Act.4.*) radicati & firmati in veritate; unde testimonia DEI per ipsos credibilia facta sunt nimis. (*Ps.92.*) Et ille, qui vidit Joannes propter testimonium Jesu in Pathmos insulam relegatus, testimonium perhibuit Verbo Dei, & verum est testimonium ejus. (*Joan. 19.*) Quidni nobis quoque, si salvi esse volumus, incumbit testimonium Jesu, nempe testimonium Salvatoris & salutis, testimonium fidei & veritatis, ut fideliter & veraciter testimoninm Dei in nobis habeamus, interiùs & exteriùs exhibeamus? Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem: (*Rom. 10.*) sed multò magis opere DEI confessio manifestatur. Opera quæ ego facio, dicit JESUS *Joan.5.*) ipsa testimonium perhibent de me. Ita planè in simili opera quæ facimus, dent testimonium Dei existentis in nobis & operantis. Confessio & magnificentia opus Dei: (*Ps.110.*) qui verè Deum confitetur, magna pro Deo patrat. Et hoc est opus DEI per confessionem DEUM magnificare, Deo testimonium perhibere. Quanta dignitas Dei testem agere; sed longè major, testamento sangvinis Dei testimonium consignare. Et quis nostrûm usque ad sangvinem restitit testimonio fidei probatus? (*Hebr.11.*) Nostræ novellæ Olivarum, nostræ Martyrum primitiæ, quia millesimo ducentesimo à fundatione Olivæ Anno per fidem vincentes paganismi barbariem, operantes justitiam, fortes facti in bello, (*Ibid.*) persisten-

Tristitia conversa in gaudium.

Casimirus Ethler Abbas Olivæ.

Quid Martyr & Martyriũ.

Imitatio Martyrij S. testimonij per bona opera.

Novellæ Olivarum.

A B C D

A ſiſtentes in amore fraternitatis,(*1.Petr.1.*)ſangvinem ſuum fuderunt pro Domino tanquam aurũ in fornace paſſionis probati, (*Sap 3.*) quaſi holocauſti hoſtia in morte accepti ſunt.(*Ibid.*) Terra igitur,quam calcamus, terra ſancta eſt,(*Exodi 3.*) ſangvine Martyrũ tincta & imbuta. Videmusne an audimus? ſi non licet videre, audiendum ſaltem, quid vox ſangvinis Fratrum noſtrorũ ad Deum clamet de hac terra; (*Gen. 4.*) vel pro nobis vel contra nos. Pro nobis,ſi liberi à ſangvinibus(*Pſ.50*) non acquieſcimus carni & ſangvini, (*Gal.1.*) ſed potiùs abſtinentes à carnalibus deſideriis (*1.Petr. 2.*) exhibemus ut ipſi corpora noſtra hoſtiam viventem,ſanctam, Deo placentẽ. (*Rom.12.*) Clamant contra nos; vindica ſangvinem noſtrum, (*Apoc. 6.*) ſi poſt con-

Vox Sangvinis Fratrum Olivenſium.

B cupiſcentias noſtras euntes, voluntatem carnis & ſangvinis voluptates facimus. (*Eph. 2.*) Equidem carnem cum concupiſcentiis crucifigere, (*Gal. 5.*) hoc eſt Martyrem eſſe. Si propter Deum mortificamur totâ die facti ſicut oves occiſionis; (*Pſalm. 43.*) ſi mortificamus membra noſtra, quæ ſunt ſuper terram hanc; (*Coloſſ. 3.*) ſi dominamur appetitui noſtro, ut ſit ſubter nos (*Gen. 4.*) non ſuper nos, martyrium ſuſtinemus. Si abnegantes nosmetipſos, crucem noſtram tollentes, (*Lucæ 9.*) in humilitate & obedientia ſequamur Jeſum humiliantem ſe & obedientem usque ad mortem, (*Phil. 2.*) Martyrium conſummamus. Delicati Martyres ſumus, quando aliquid non ad guſtum, non ad palatum,

Mortificatio.

Humilitas & Obedientia.

Delicatus Martyr.

C non ad ſenſum noſtrum habentes murmuramus, reſiſtimus, obtrectamus. Non eſt in nobis teſtimonium JESU humilis, mitis corde (*Matth. 11.*) & patientis, ſi ſic agimus; non confitemur Deum ſed abnegamus, quia ejus juſtitiæ & beneplacito nos difformes monſtramus. Mandavit Deus juſtitiam teſtimonia ſua & veritatem ſuam nimis, (*Pſalm. 118.*) ut ambulemus coram eo ad ejus nutum in juſtitia & veritate. (*Epheſ. 5.*) Cæterùm uti multiplicia, ita mirabilia ſunt teſtimonia Dei (*Pſ. 118.*) juxta multiformem gratiam ejus in nobis. (*1. Petri 4.*) Beati, qui ſcrutantur teſtimonia Dei, in toto corde exquirunt eum. (*Pſ. 118.*) Nos qui hæreditate acquiſivimus poſt Martyres Fratres noſtros teſtimonia Dei, (*Ibid.*) ſint meditatio

Teſtimonia Mandatorum cuſtodienda nimis.

D noſtra, ſint exultatio cordis noſtri. Cuſtodiat anima noſtra hæc teſtimonia & diligat ea vehementer; in via teſtimoniorum ejus delectemur ſicut in omnibus divitiis: (*Ibid.*) adhæreamus teſtimoniis ejus, exquiramus ea in æternum,ut in vita & in morte ſemper teſtimonio bonæ conſcientiæ muniti (*2.Cor.1.*) Dei præſentiam, gratiam, & operationem in nobis teſtemur, & ſemper confiteamur Dominum mente, opere & ore, atq; mortui mundo, carni, & omni creaturæ, ſoli Deo & ipſius confeſſioni, laudi & gloriæ vivamus. Inde certò palmam Martyrii adipiſcemur. Jam igitur gaudens gaude Oliva in Domino (*Iſaiæ 61.*) ſangvine Martyrum tuorum habitatorum Domino dedicata, qui velut Olivæ ſpecioſæ in cœleſtibus campis aſſiſtunt Dominatori univerſæ terræ (*Zach. 4.*) pro te Dominum deprecantes,ut ſis verè tabernaculum teſtimonii,(*Exodi 28.*)in quo ſit arca teſtimonii, (*Exodi 26.*) verbum Dei; ſtet candelabrum cum lucernis

Peroratio ad Olivam.

ſuis per cognitionem ejuſdem Verbi Divini; & altare aureum (*3. Reg 7.*) per amorem & conſervationem ejus, in quo adoleatur incenſum (*1. Paral. 28.*) devotionis; ſisque verè oleo unctionis uncta & conſecrata, oleo nimirum gratiæ Divinæ: oleum ſtillans & ipſa operum bonorum, & ita ſint in te Sancta ſanctorum, adeoque gloria Domini impleat hoc tabernaculum teſtimonii; (*Exodi 40.*) nubes protectionis refrigerans de die incubet ſuper illud, & ignis amoris Divini calefaciens de nocte, idque per merita & interceſſionem Animarum noſtrorum decollatorum propter teſtimonium JESU, (*Apoc. 20.*) quorum ſepulchri locum ut nobis revelet Deus teſtimonio fideli, ſemper enixè & ardenter eſt obſecrandus.

Columnæ Nubis & ignis tropol.

Sermo in Profeſſione duorum Fratrum petentium miſericordiam more Ordinis die feſto SS. Simonis & Judæ Apoſtolorum.

Miſericordia Dei vocantis.

FAcit Dominus miſericordiam cum ſervis ſuis, & miſericordia DEI maxima ſuper illos, qui diligunt eum in veritate, (*3. Joan. 1.*) Frater Theodule, & Frater Theophile. Experti, credo, hactenus fuiſtis magnam in vobis miſericordiam Dei vocantis vos ad ſervitium & amorem ſuum trahentis; neque enim volentis neque currentis hominis opus eſt ſervire Deo & amare Deum, ſed miſerentis Dei, (*Rom. 9.*) qui nos ſuo dignatur ſervitio & amore. Ego elegi vos de mundo, inquit miſericors & miſerator Dominus, (*Pſalm. 110.*) & vocavi vos dicens: (*Matth. 11*) Venite ad me omnes, qui laboratis in vanum ſervientes mundo, & onerati eſtis pondere peccatorum veſtrorum, & ego reficiam vos ſervitio & amore meo. Tollite hoc jugum meum ſuper vos. (*Ibid.*) O verè onus leve ſervitii Divini! O verè ſvave jugum Divini amoris! per tale onus & tale jugum poſt labores ſeculi inutiles, poſt damnoſa peccaminoſæ conſcientiæ onera, invenietis requiem animabus veſtris. (*Ibid.*) Ad hanc requiem paratis vos in hoc loco, & ideò ſimul petitis miſericordiam Ordinis, ut in hanc domum poſſitis admitti, de qua, uti arbitror, dicit quiſque ex vobis. (*Pſalm. 131.*) Hæc requies mea in ſeculum ſeculi; hìc habitabo, quoniam elegi eam. Sed quid creditis requiem hanc eſſe? An otium & vacationem à laboribus? Si hoc putatis, erratis. Requies religioſa eſt quidem vacare à ſeculi curis, abeſſe à ſolicitudinibus mundi, eſſe extra labores Babylonicos & Ægyptiacos, quibus mancipia Pharaonis infernalis gravantur; ſed etiam requies hæc, ad quam tenditis, in Ordine eſt religioſa, eſt vacare DEO in ipſius ſervitio & amore. Et hoc eſt nomen novum, quo vocati eſtis. (*Iſaiæ 62.*) Videte, ne in vanum illud aſſumatis (*Exodi 20*) & feratis nomen ſupervacuè; ſed potiùs ut rem nominis in vobis exprimatis. Theodulus quidem ex Græco intelligitur ſervus Dei. Theophilus autem Amans

Onus leve Divini ſervitii, Amoris jugum ſvave.

Miſericordia Ordinis.

Otium & requies religioſa.

Theoduli & Theophyli Etymon.

Amans Deum interpretatur. Tales ergò estote, quales nominamini: sitis servi DEI, amantes Deum. Ad hoc contendite, hoc satagite, in hoc laborate, in hoc desudate, ut sitis veri servi Dei, (1. *Petr.* 2.) verè amantes Deum. Hoc est jugum vestrum, hoc est onus vestrum; hic labor vester cum requie, hæc requies cum labore. Ac proinde non debetis ampliùs jugum ducere cum infidelibus, (2. *Cor.* 6.) sed & labores in stipula carnalium desideriorum, (omnis enim caro fœnum *Isaiæ* 40.) & lateres terrenorum affectuum deferendi vobis sunt. Multò minùs per peccata dæmonis servituti (quod Deus avertat) vos addicetis; qui enim facit peccatum, servus est peccati (*Joan.* 8.) & mancipium dæmonis, per quem peccatum venit in mundum, (*Rom* 5.) O detestabile jugum! O abominandum pondus vel unius minimi delicti hominem ad æternam gravantis & prementis imò præcipitantis damnationem! Servus Dei Theodulus, Amator Dei Theophilus, procul debet esse ab omni peccato, per quod excutitur jugum Domini à prava voluntate dicente: non serviam; *Jerem.* 2.) per quod abrumpitur amoris Dei vinculum, abjicitur delectabile opus Divinæ charitatis. Væ talibus rebellibus, desertoribus, prævaricatoribus (*Isaiæ* 30.) servitii & amoris Divini! Si servus sciens voluntatem Domini & non faciens plagis vapulabit multis, (*Lucæ* 12.) quid merebitur servus transgrediens Domini sui voluntatem? Felices servi Dei, qui sunt fideles & prudentes in obsequio ejus, qui faciunt verbum ejus, qui memores sunt mandatorum ejus ad faciendum ea; (*Psalm.* 102.) qui sunt ministri facientes voluntatem ipsius, (*Ibid.*) qui sunt (liceat ex occasione festi Apostolici dicere:) Simones, id est obedientes; & Judæ videlicet confitentes: & hi sunt Theoduli & Theophili, qui serviunt Domino Deo in toto corde suo, qui diligunt eum ex tota anima sua, (*Matth.* 22.) adeoque per obedientiæ obsequium & amoris confessionem Domino dignè famulantur. Hæc est vocatio vestra Fratres, (1. *Cor.* 1.) hæc sunt vota, quæ distingvent labia vestra, (*Ps.* 65.) Obedientia secundùm Regulam S. Benedicti & stabilitas in eâ, quæ convenit servis Dei & conversio morum vestrorum ad amorem Dei, ut nulli obediatis, nulli morem geratis, nisi soli Deo; ejus servitio attendatis, ejus amori intendatis. Reliqua duo vota nimirum paupertatis, quâ & mundum & terram abdicatis, tum & castitatis, quâ vosmetipsos abnegatis, hisce includuntur obedientiæ vinculis, per quæ vos ad serviendum soli Deo, ipsumque solum amandum obligatis. Quanta felicitas Frater Theodule, servire Deo! hoc utique regnare est. Quanta beatitudo Frater Theophile, amare Deum! hoc utique est summum bonum possidere. Jam ergò cum Regio Vate dicat unusquisque vestrûm (*Ps.* 26.) unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini, in hoc loco, qui vocatur Oliva omnibus diebus vitæ meæ per stabilitatem, ad serviendum ei per obedientiam, ut videam voluntatem Domini ad faciendum eam: (*Ibidem.*) quæ nulla alia est, nisi ut

Labor cum requie, requies cum labore.

Labores Ægypti tropol.

Servitus Peccati abominãdi.

Felices servi Dei.

Simonis & Judæ etymon.

Obedientiæ obsequium, Amoris Confessio Professionis substantialis.

Stabilitas.

Voluntatis Dei summa.

Deum & proximum amemus. Nomina vestra manifestant hæc omnia, quæ Divino nomine insignita vobis Oliva Deo Unitrino consecrata indit, ut & vos Deo sacri nonnisi Deum spiretis. Terrigenæ vocaverunt nomina sua in terris suis, (*Ps. 48.*) vos jam cœligenæ in cœlis imò in ipso Deo nomina vestra reponitis, ut aliquando gaudere possitis & exultare scripta esse in cœlis. Beatos vos, si hunc finem adepti fueritis: idcircò ad hunc solum collimare debetis, quia nemo in hoc album venit, nisi Theodulus & Theophilus, id est verus DEI servus & amicus.

Quorum nomina sunt in libro Vitæ?

Jam ergò servite Deo vivo & vero (*2. Thess. 1.*) qui imperat: *Deut. 6.*) soli Deo servies, cui serviunt omnia; (*Ps. 118.*) servite in veritate, (*Tob. 14.*) servite in timore & tremore, (*Ps. 2.*) sed & servite Domino in lætitia, (*Ps. 99.*) servite cum omni humilitate, (*Act. 20.*) servite in novitate spiritûs (*Roman. 7.*) mandatum novum charitatis exequentes.

Quomodo serviendũ Deo?

Diligite Dominum DEUM vestrum ex toto corde vestro, ex tota anima vestra, ex tota mente vestra & ex omnibus viribus vestris, & omnem proximum sicut vosmetipsos; (*Matth. 22.*) tunc eritis veri Theoduli, veri Theophili.

Modus diligẽdi Deum.

Imitemini quoque Patronos vestros, quorum nomina assumpsistis; & tu quidem Frater Theodule, sancti Theoduli senis Martyris pro fide 17. Februarii crucifixi: tu verò Frater Theophile, sancti Theophili Monachi dira & exilium pro cultu Imaginum 2. Octobr. passi. Sectemini virtutes heroicas patientiam & constantiam usque ad mortem: sequimini eos crucem Ordinis ferentes, imò in Ordine crucifixi & mundi exules effecti, ut sitis demùm cives sanctorum ac domestici Dei, (*Eph. 2.*) & hic in terris & ibi in cœlis per misericordiam DEI infinitam, in Christo JESU Domino nostro vobis conferendam.

S. Theodulus.

S. Theophilus.

Amor Crucis.



SYNO-

SYNOPSIS

Sermonum ex Tertio Tractatu.

F I N I S.

) o (

A TRACTATUS QUARTUS SERMONUM B CAPITULARIUM

Ab Anno 1686. ad Annum 1687.

FACULTAS SUPERIORUM.

SErmones Capitulares R. D. M. A. H. A. O. imprimantur, quandoquidem serviunt omnium devotioni & eruditioni. Datum Landæ, die 15. Sept. Anno 1688.

C *Fr. Joannes de Roxyce Zapolski, Abbas Landen. S. O. C. Vicarius Generalis per Regnum Poloniarum, Prussiam & Litvan. S. R. M. S.*

Epistola R. P. ALBERTI NIGRICI per modum Censuræ scripta ad R. P. Rectorem Collegii Gedanensis.

D *Reverende in Christo Pater.*

SUperno providente Numine, jam tertia vice oblatæ mihi sunt Asceticæ Parænefes, è divite S. Spiritus venâ emanatæ, quibus illustratus sum ad expeditiùs munus meum Pneumaticum peragendum. Legi illas ad utramque lucem, diurnam & nocturnam; quibus perlustratis in magnam rapior admirationem, potuisse Autorem tam multa legisse, cogitâsse, scripsisse, perorâsse, in tantis præsertim rerum agendarum occupationibus, quæ Bono communi subserviunt. Hereditario Divi Bernardi Enthusiasmo ubique loquitur, genuinis Ditthardi Abbatis præfulget virtutibus, dignus planè ob Encyclopædicam, scientiæ eruditionem, ac accumulatam meritorum abundantiam, in sortem venire Reverendissimi Domini Christiani Episcopi primi Cubaviensis & Culmensis, Professi Olivensis &c.

Perillustri ac Reverendissimo

DOMINO DOMINO

ANTONIO KRZESIMOWSKI

Divinâ Vocatione Abbati Monasterii B. M. de Copriunicio seu Clarâ Provinciâ S. O. C. per Regnum Polon. M. D. Litvaniæ & Prussiam Vicario & Commissario Generali, S. R. M. Secretario,

Domino & Patrono Colendissimo

Salutem & Prosperitatem.

TRisarios Sermonum meorum Tractatus Supremo Sacri Ordinis Capiti ac Primati, debitâ obæratæ mentis devotione sacravi: Quarto Parænesum spiritualium contextu TE Ejusdem Vicarium & Commissarium Generalem pari cultu & affectu ambio stringere ac venerari. Agnosco enim in TE Optimum pro Nerva Trajanum, & Alterum pro Atlante Herculem, qui Polonæ Cœlum Provinciæ infractis Vigilantiæ lacertis desudas succollare. *Munus Commissarii.* Hinc meritò super TE sors cecidit suffragantium Animorum, quem juncta Virtuti Sapientia Tanto parem Honori elaboraverat. Nec sine Numine viduus Provinciæ Fascis TUIS in præmium meritis obtigit, cui præsens sacræ dignitatis culmen, Copriunicium ceu Clara Provincia haud vano omine & Nomine portenderat. *Clara Provincia.* Innotescit Orbi ardens inflammandis omnium cordibus TUÆ Pietatis Zelus, quem VIATOR CHRISTIANUS Anagogicis refertus affectibus abundè spirat, ut miræ devotionis fomenta inspiret ac incrementa. *Viator Christianus.* Permittes igitur faventissimè hunc Sermonum meorum Tractatum TUO Nomini & Honori inscribi, â quo Operæ pretium referet, dum sub TUIS auspiciis beatior, in majus Legentium cedet emolumentum. Id optat

Perillustr. ac Reverendiss. Dominat. Vestræ

Omni cultu & obsequio

Devotissimus

M. A. H. A. O.

STEMMA
KRZESIMOWSCIANUM
IASTRZEMBIEC



Super Aſpidem & Baſiliſcū ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem. Pſal. 90.

Ipſi calcaneum meum obſervabunt. Pſal. 55. *Longè ſequere, & veſtigia ſemper adora.* St. Th.

Centum Lemmatis & Diſtichis decantatum.

ANNO

QVo VIsItaVIt hIC oVes sVas DoMInVs eX aLto.

1. *TOTVM IMPLEAT ORBEM.*

ACcipitrinorum ſacra ſunt hæc Stemmata Genti;
Quò SOLEIS Terras impleat, Aſtra CRUCE.

2. MORIBUS ANTIQVIS.

Accipitrinorum Gens Priſca, coæva Polonæ;
Et Ferro SOLEÆ eſt, & Pietate CRUCIS.

3. *HÆC REGIT, ILLA TUETUR.*

Sic benè Crux Soleis miſcetur ſacra profanis:
Qui SOLEâ audit Eques, PRÆSUL is eſto CRVCE.

4. DIVUM GENUS.

Supra Equites, Solea hæc volat, *alto à ſangvine Divûm*:
SALVATOREM, de Stemmate noſco Crucis.

5. *NOBILITAS VIRTUSQ; PARES.*

Accipitris quicunq; Crucem putat eſſe pedeſtrem;
E Soleis poterit diſcere, quàm ſit Eques!

6. TOLLOR UT EXTOLLAM.

Accipiter Soleate, Crucem qui tollis ad Aſtra;
PRÆSVLIS & te Crux Aurea, tollit humô.

7. *VIA LUBRICA SURSUM.*

Ergò vel Aligeris hinc eſt Via lubrica Cœli?
Illuc Accipitrem Crux Soleæqúe ferunt.

8. NON EST MOLLIS AD ASTRA VIA.

Sunt ſatis haud Pennæ; Soleis opus, Alta petenti:
Dura Crucis, non eſt mollis ad Aſtra Via.

9. *AUXILIO DULCESCIT ONUS.*

Pondus ineſt Soleæ, Crux & ſinè pondere non eſt:
Dulce at utrumqúe facit, PRÆSVLIS Ales, onu

10. REGIS AD EXEMPLUM.

Non Crux, non Soleæ gravitant: Duce *Præſule* ad A
Cum Volucri volucres Crux Soleæqúe volant.

11. *DE LUMINE LUMEN.*

Provolat Illuſtri KRZESIMOWSCIA Gloria Nidô:
Sol Solea eſt, neqúe Lux, Crux ſacra, Sole minc

12. AB ORIGINE MAGNI.

Accipitris, Cruce quem cernis Soleâq; micantem,
Heroum Nidum, *Præſuleumqúe* puta.

13. *NON ALIENA SEQVOR.*

Accipiter, Nidum non extra, porrigit alas;
Heroum ad Soleas, *Præſuleamqúe* Crucem.

14. EVEHIT AD DEOS.

Dicite, Crux, Soleæ; Quo ſanguine PRÆSVL? Eque
Accipiter Galeas ſed volat ipſe ſupra.

15. *ARMAT ET ORNAT.*

Quid tibi cum *Soleis*? quid cum *Cruce* Nobilis Ales
Emeritam Soleam Crux ſuper Aſtra feret.

16. REGNAT APOLLO.

Eſte ſuæ Aonio, Pennæ Soleæqúe, Caballo:
Ales hic, hæ Soleæ, & Crux, meliora dabunt.

17. PROSPERE PROCEDE.

Currit inoffenſô pede PRÆPES, in Aſtra, volatqué;
Cûi Soleis Plantæ, tutaqué Penna Cruce.

18. MEL DE PETRA.

Si cui dura Crucis decora hæc, Soleæqué putantur:
MELLIFLVI Ceras noverit eſſe Patris.

19. *CÆLO NON CÆNO.*

Accipitrem, è Solea, de terris eſſe putarem:
Cœli ſed Volucrem noſco, ab amore Crucis.

20. AMOR ADDIDIT ALAS.

tare Crucem, Soleas aût ire, aût currere censes?
  Sanctior his alas addidit *Ales* Amor.

21. *SIC ITUR AD ASTRA.*

ennâ opus, & Soleâ, & fulcrô Crucis, Astra petenti:
  Dura etenim Cœli est, Ardua, Longa Via.

22 OMNIA VINCIT.

'uncta terunt Soleæ, Vincuntur & omnia Ferrô:
  Styx restat; sed & hanc Crux fugat Accipitris.

23. *ODI RAPINAM.*

Quæ præda *Accipitris*! Soleæ, Ferrumq;, Crucesq;!
  Ingenium sancti *Præsulis* Ales habet.

24. NON VENTO RAPIMUR.

æpè leves plumas *tollunt ad sidera cygni*:
  Accipiter, Soleam *Præsulis*, atquè Crucem.

25. *IN UTRUMQ; PARATUS.*

Accipitris via quæ, ô *Salomon?* Crux ducit ad Astra:
  Solaqúe non Solea, hæc & celer Ala petit.

26. CÆLESTIA DONA.

Astra petit *Volucris*: Soleamné hanc portat ab astris?
  CRVX certè è cœlo, Præsulis alta venit.

27 *SUBSIDIUM EST QUOD PONDUS ERAT.*

it satis, ut vulgò est, quòd *Avem non degravet Ala*:
  Cœlipetam Accipitrem, Crux Soleæqué levant.

28. GRANDE DECUS COLUMENQ;

Accipitri cedat *Jovis Ales*. Fulmine sternit
  Illa, sed hic Soleas fulcra dat, atq; Cruces.

29. *REM NON VERBA DAMUS.*

Verba Tibi ô PRÆSVL! debet, sed & Arma, Viator:
  Pennæ, sêu Soleæ, scala placetvé Crucis.

30. VIATORI.

Rumpe moras, Christi, tendens super Astra, Viator:
  En Soleæ, en Pennæ, *Regia* Cruxqué *Via.*

31. *TUTA CELERQ; VIA.*

Suaviter ille equitat, Superûm *quem gratia portat*:
  Et tutum, & Volucrem, Crux Soleata facit.

32. A DOMINO SALUS.

Ales hic, an non is cujus fert *penna salutem*?
  Tuta est in Soleis, in Cruce tota salus.

33. *AVGVRIVM VIRTVS HABET.*

Archipræsuleis *Præsul* cumulabere Mitris:
Huc tollit Soleas, Aliger hic Crucifer.

34. OMNIA DIGNA TRIUMPHO.

Roma *Pedester Ovet.* Volucris Tua, Cruxq; Triumpha
Nam quis, de Solea nosco, *triumphet Equis?*

35. *ALIOS TIBI ORBES QVÆRE.*

Hæc Crux digna DEO, hæc Volucris Jove dignior: hæc
Lux Soleæ, *Solis* quâ soleantur *Equi.*

36. OMNIBUS OMNIA.

Si qua Cruci Pax est? solio requiescit in isto:
Si currit? Solea est: si volat? Ales adest.

37. *MEDIO TVTISSIMVS IBIS.*

Crux Soleam est intra, TIBI Clementissime PRÆSV
Dura Crucem latè Claustra volare vetant.

38. PRETIUM NON VILE LABORUM.

Ferrea, dura, Cruci, Soleæ circumdata sepes:
Nam custodiri sic pretiosa solent.

39. *ASTRA PATENT CLAVSIS.*

Clausa est Crux Soleâ, circùm clausa, atq; deorsùm:
Penna Cruci sed adest, Portaq; in astra patet.

40. DUCE VIRTUTE.

Felici Soleâ, Pennatus & ibit in *Altum*;
Cujus Stemmatibus Crux Benedicta præit.

41. *MERVIT REGNARE ROGATVS.*

Crux Honor est, *fugit instantem, sequiturq; fugacem*:
Et Soleâ, & Pennis, Crux in utroque celer.

42. DOMINUS SUPPONIT MANUM.

Si Crux quando gravis; Solea hæc si ferrea quando:
Præsulis *A*NTONIJ, est *Aurea* facta, Manu.

43. *HAC PRÆDA CAPIOR.*

Carnivoram hanc *Volucrem*, potuit qui credere, nescit
Accipitrem, Soleas qui capit, immò Cruces.

44. VINCENTI DABO.

Et Genus, & Mundum, & Soleas calcaverat iste;
Qui modò Præsuleâ, transvolat alta, Cruce.

45. *REX VOLVCRVM CÆLI.*

Non Jovis, hûic *Martis Volucri*, date sceptra Volucres:
Si Solea à Solio est dissita; Crux Thronus est.

46. IMPERIUM SUPER HUMERUM.

Quis neget? *Accipitrem* hunc, CHRISTO ratione placere?
Quàm Soleâ ille gravem tollit, amatq; Crucem.

47 IN HOC SIGNO VINCES.
Martius hic Ales Soleam cur prenſet? apertum eſt:
Cur Crucem? *In hoc ſigno vincere* ubiq; ſolet.
48. O SANGVEN DIJS OR UNDUM!
Martis is eſt Volucris: non carne, at Sangvine gaudet:
Sangvine Patritio ſed, Crucis & Soleæ.
49. CAPITIS DECVS.
ræſuleum Crux pectus habet; Soleæ date plantam;
At CAPITIS Noſtri eſt, non pedis, hæc Solea.
50. SOLI DEO.
CRVX *Sceptrum* Chriſto: Solea eſt ſub Calce; ſed *Ejus*,
Scabellum cujus, credita *Terra*, *pedum*.
51 SCIENTIARUM DOMINO.
Pegaſe, quid plantam, Soleâ hac, vis tollere, visâ?
Cûi ſacra ſit? Sacro è Stemmate noſce Crucis.
52 MEI NON DEGENERANT.
Ad Solem Pullos Aquilæ exploratis? inane eſt:
Ad Soleam Accipiter certior, atqúe Crucem.
53 OMNIA BONA PARITER CUM EA.
Aſtra patent Soleæ: Cruce cum, *Benedictio Cælô*
Larga veni: Solea eſt, ne dubitato, capax.
54 VIRTUS IN MEDIO.
Crux petit Aſtra, ſoium Soleæ: moderatur utriq;
Virtutem in medio qui tenet Accipiter.
55 VIVITE FELICES.
Crux fugat iſta Cruces; Soleâ hâc fera sêcla premuntur
Ferrea: *Nidificent in Galeis Volucres*.
56 NEC BELLO NEC PACE DEEST.
In Cruce Purpureâ, te cernere crede Senatum:
In Solea, & *Martis Præpete*, Martigenas.
57 RUBIGINIS EXPERS.
Crux pretioſa aurum eſt: Solea eſt *rubiginis expers*:
Et Solea eſt aurum: hanc Martius Ales amat.
58 SOL CLARIS VALLIBUS ALTER.
Vnde, rogas, *Clara* eſt *Provincia*, *Claraq; Vallis*?
Commiſſum eſt *Soleæ*, Solis ad Officium.
59 CÆLUM HUIC COMMITTERET ATLAS.
Cum *Cruce*, cum *Solea*, fit Commiſſarius, *Ales*:
In Solea Virtus tecta, retecta Cruce.
60 INGENS GENTIS HONOS.
Hôc ABBATE, *Minor Polonia*, non Minor audit;
Altior in *Solea* eſt, & petit alta *Cruce*.

61. *CASTRIS ET ASTRIS.*

Crux hæc, quas etiam Castris non explicat Alas?
Et Castra, hanc *Soleam* Martis, & Astra decent.

62. CEDE DEO.

Crux premit, ut tollat: *Solea* aggravat, evolat Ales:
Cum Sancto meritus PRÆSULE certat Honos.

63. *VIRTUTI & SAPIENTIÆ.*

Vndè hæc Accipitri? dicent, Sapientia, Virtus:
In Soleæ solido hæc, in Crucis ista sacro.

64 CONCEDO NULLI.

Ut *Soleâ* Heroës, Antistes vincis, Equestres;
Sic *Cruce*, PRÆSULEAS vincere perge, Cruces.

65 *PIETATI & FORTITUDINI.*

In *Solea* Robur, Pietas est in *Cruce*: tutus
Calcet PRÆSUL humum; serus in Astra volet.

66 HOC VIRTUTIS OPUS.

Stemmata quid faciunt? *Solea* hæc, Terrestria calcat;
Crux regit; in Cælos *Accipiterqúe* volat.

67 *NOBILI PRÆSULI.*

Hoc Equitem quàm Stemma decet, *Solea Accipitrinum*!
Sed PRÆLATUM *Crux*, Angelum & Ala decet.

68 TE DUCE

Mirer in astra *viam* KRZESIMOWSCIA *Penna* quod opt
Hoc *Soleæ*, hoc *Crux*, hoc integer *Ales* agit.

69 *CANDORE & CONSTANTIA.*

In medio *Soleæ*, *Crux* est vice cordis, amanti:
Hanc ne dimittat, sic tenet *Ales* amans.

70 SERVANTEM SERVAT.

Ut Clypeum, obtendit *Soleam*, *Mavortius Ales*:
Sed Clypei Clypeum credimus esse *Crucem*.

71 *NEC SPERO, NEC SPERNO.*

Accipit *Accipiter*, sed non rapit hic, neqúe spernit:
Dat *Soleam* Tellus, dant merito Astra *Crucem*.

72 MUNITUM VIRTUTIS ITER.

Convolat Ales Honos; *Soleam* Virtutibus offert:
Ad dignamqúe *Crucem* PRÆSULE, sternit iter.

73 *NON UNI SED UNIVERSIS.*

Quâ *Cruce*, quâ *Soleâ*, KRZESIMOWSCIA nititur Ales;
Fulcra hæc, Sarmaticæ sunt, & erant, Aquilæ.

Crux, finis belli, Victoria: vulſa, vacanſqúe,
Pax *Solea*; auſpiciô PRÆSULEÆ *Volucris*,

75 *DECET OMNE, DECENTEM.*

Accipitris plantæ, *Solea* hæc ſi cum *Cruce*, quadrat:
Quàm magìs *Accipitris* tempora Mitra decet.

76 NON JACET IN MOLLI.

Molle nihil *Crux* eſt, *Soleæq;* & *Martia præpes*:
Sic *duris Patiens gaudet*, at & Sapiens,

77 *NON DUBIIS VICTORIA PENNIS.*

Auſonijs non una Aquilis victoria parta eſt:
Accipitrinæ ſunt plura Trophæa *Crucis.*

78 CÆLESTIS ORIGO.

Nulla ſolo, *Soleæqúe* iſti confinia: ſoli
Deberi cælo, *Crux Volucrisq;* docent.

79 *MILITIÆ CÆLESTI.*

illum Regis *Crux* eſt; *Solea* armat Equeſtres:
Dux Virtus, comes eſt Gloria, Miles Honos.

80 DOMINO EXERCITUUM.

t *Crux*, quot *Solea* hæc, Equitum jam computat Alas!
Una duas de ſe *Martia* præſtat *Avis*.

81 *EXCELSÆ VESTIGIA FAMÆ.*

Humana oſtentet veſtigia, Fama Pedeſtris:
Nobilior, *Soleâ* noſcere; ſumma, *Cruce.*

82 AGERE & PATI FORTIA.

Qui *Soleas*, prenſatq; *Cruces*, eſt *Martius Ales*:
Fortius illo nil, ſanctius eſtqúe nihil.

83 *TRANQUILLA POTESTAS.*

Ceu Arcus *Solea* eſt; *Crux* eſt velut una Sagitta;
Ales Amor, ſanctè qui pia corda ferit.

84 DESURSUM EST.

Si *Soleæ* benè penſo ſitum; deſcendit ab aſtris:
PRÆSULIS, illinc *Crux*, pectore digna, venit.

85 *TIBI LAMPADA.*

PRÆSULE quo, Duplex latè *Provincia*, gaudet;
Ales huic *Soleæ* Lampada, datqúe *Crucis.*

86 PALLADE DIGNIOR.

Palladis *Accipiter* decus eſto: Noctua probro eſt:
Non manibus vacuis hic venit, aut cerebrô.

87 *OMNIA CÆSAR.*

In *Solea* ſolers rutilat Sapientia; conſtans
In *Cruce* ſtat Pietas: Omnia Cæſar hic eſt.

88 A DOMINO FACTUM.

Vulcani non eſt *Solea* hæc labor: Ignis ab Alto
Excoxit; facilem flexit, amore Crucis.

89 *DUCE DIGNA SACRO.*

Militibus præes CHRISTI, pro *Præſide ſummo*:
Munus id è *Solea* noſcitur, atque *Cruce*.

90 REDEUNT SATURNIA REGNA.

A Cruce ſi Edmundus dedit Aurea ſecula nobis;
A *Cruce* non minor eſt ſpes, *Soleâq;* Tuâ.

91 *SIC SURGIT SACER, & STAT APEX.*

Non ſoleis *Solea* hæc ſimilis, ſed cum *Cruce* Mitris:
Accipiter CAPITI dat Diadema Sacro,

92 MAJORUM PREMIT ISTE VIAM.

Grande onus eſt, Patrum veſtigia, *Crux Soleæqué*:
Hâc volat; & Præpes quàm premit illa Sacer!

93. *IMPERIUM SINE FINE TENE.*

E Cœlo hæ nobis *Soleæ* venêre, *Crucesqué*:
O Bona *Avis*! Faſces hos ſinè fine tene.

94. NON PRÆVALEBUNT.

PRÆSULIS *Accipiter*, Styga Marte oppugnat, & Arte:
Supplantat *Soleâ* fraudem, abigitqúe *Cruce*.

95. *AD MAXIMA NATO.*

Quid? *Soleamq; Crucemq;* vides, Calcemqúe requiris?
Multis Verticibus celſiùs iſta ſedet.

96. NON SICUT POPULUS.

Vulgares pedibus ſoleæ; *Solea* iſta *Cruci* hæret:
Confixa eſt, DOMINI more, & Amore, Cruci.

97. *DEFENSIVO NON OFFENSIVO.*

Arma vides *Soleam*, Arma *Crucem*, nata Arma tueri:
Ales & ipſe, fit ex Carnivoro Cruciger.

98. HÆC PREMIT, ISTA LEVAT.

Ad plantas Humilis, *Soleâ* contendis Avitâ?
Crux, ſuper haud unum, Te feret iſta caput.

99. *AUFERENS BELLA.*

E Terris exeſto Pavor. *Soleamqúe Crucemq;*
Evehit *Accipiter*: preſſa quieſcat humus.

100. PROPTER INNOCENTIAM.

Cum *Cruce* qui *Soleæ* veſtigia cernis, adora:
IN PECCATORUM NON STETIT ILLA VIA.

OLIVÆ Typis

Sermo in Dominica I. Adventûs.



RATRES, hora eſt jam nos de ſomno ſurgere, excitat omnes magnus verbi Divini Præco & Gentium Apoſtolus: *Rom.* 13.) Excitat nos ore & verbo ipſius in Epiſtola hodierna Sancta Mater Eccleſia. Eccleſiaſticus verò ſingularem nobis porrigit admonitionem *cap.* 32.) Horâ ſurgendi non te trices, præcurre autem prior in domum tuam & illic avocare, & illic lude, & age conceptiones tuas. Quæ hæc hora ſit, quid arbitramur? Hæc non incongruè dici poſſet tempus Adventûs Domini. Hic quemadmodùm duplex eſt, primus ad ſalvandum, alter ad judicandum; ita & hora una eſt, quâ propior eſt ſalus noſtra: una quoque eſt, quæ veniet, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii Dei & reſurgent. (*Joan.* 5.) Et hæc eſt hora mortis, ubi privatum univerſorum judicium abſolvetur, quam neſcimus, quando Dominus noſter venturus ſit. (*Matth.* 24.) Hæc ipſa eſt, quâ non putamus, filius hominis veniet. (*Lucæ* 12.) Filioli inclamat Evangelicæ Aquilæ tuba Apoſtolica: *Ep.* 1. *cap.* 2.) noviſſima hora eſt. Et licet ſint duodecim horæ diei, una tamen hora eſt Adventûs Domini, una hora ſalutis noſtræ. Duodenario enim numero univerſitas deſignatur. Totum tempus vitæ noſtræ una hora eſt; totus hic novi Teſtamenti Status, quo Adventus Domini prædicatur, una hora eſt: & licet exeat primo mane, egrediatur circa tertiam, exeat circa ſextam & nonam, denique circa undecimam; una eademque merces datur unâ horâ laborantibus, quæ portantibus pondus diei & æſtûs. (*Matth.* 20.) Modicum enim eſt tempus vitæ noſtræ, modicum ac leve tribulationis noſtræ; hora eſt momento tranſiens. Sed quid nobis in hac hora faciendum? Num ſomno indulgendum, ut dormitet anima noſtra præ tædio? (*Pſalm.* 138.) Usquequò piger dormies? excitat Sapiens: *Prov.* 6.) Quando conſurges à ſomno tuo? Surge qui dormis, impellit Vas electionis (*Epheſ.* 5.) & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Reverà hora eſt jam nos de ſomno ſurgere, (*Rom.* 13.) excutere veternum, tollere grabatum, (*Joan.* 5.) negligere negligentiam, pellere deſidiam: Dominus venit, citò venit ſalus noſtra, appropinquat redemptio noſtra. (*Lucæ* 21.) Nos utique ſumus ſimiles hominibus exſpectantibus Dominum ſuum. (*Lucæ* 12.) Regius Vates monet: (*Pſalm.* 26.) expecta Dominum, viriliter age non ſomnolenter, confortetur cor tuum & ſuſtine Dominum. Vide, ne redarguaris cum Petro. (*Matth.* 26) Sic non potuiſtis unâ horâ mecum vigilare? Vigilate & orate, ut Dominus veniens in prima vigilia, veniens in ſecunda & tertia vigilia ætatis noſtræ videlicet juvenilis, virilis, & ſenilis nos reperiat ſemper vigilantes. (*Lucæ* 12.) Beati ſunt ſervi illi, quos

Hora ſurgendi, Adventus D.

Hora Mortis.

Vita noſtra hora una.

invenerit omni horâ, omni vigiliâ sic facientes. (*Ibid.*) Mutetur ergò negligentia in diligentiam, torpor in fervorem, ignavia otii in devotionis frequentiam; & si hactenùs dormitavimus, jam surgentes vigilemus, impensiùs agamus, satagamus, id est satis agamus, quod nobis sufficiat ad salutem. Eapropter horâ surgendi non te trices, hortatur Sapiens *cap.* 32.) Credite mihi, multas tricas facit nobis mundus; multas tricas causat nobis caro, plurimas fur ille nocturnus: (*Lucæ* 12.) leo rugiens & quærens quem devoret, (1. *Petr.* 5.) adinvenit per somnolentiam. Et quis ex tot laqueis, ex tot funibus peccatorum, (*Psalm.* 118.) ex tot concupiscentiarum labyrinthis poterit se extricare? nisi adjuvetur à Domino, à quo omnis sufficientia nostra. (2. *Cor.* 3.) Ideò vigilandum & orandum, ne intricemur & intremus in tentationem. (*Marci* 14.) Vigilat hostis, ut nos perdat; vigilemus nos, ne pereamus, sed ut salvemur. Vigilantia autem nostra ne sit otiosa, sit per orationem negotiosa. Oportet semper orare & nunquam deficere, docet ipsa Veritas *Lucæ* 18.) Idcircò subjungit Ecclesiasticus *cap.* 32.) Præcurre autem prior in domum tuam. Veni prior ad monumentum, & perpende salutis tuæ momentum. Et quæ domus nostra? Nonne Ecclesia? Tam illa formalis credentium congregatio, quàm hæc materialis orantium conventio & coadunatio? In hac domo nascimur per Baptismum, roboramur per Confirmationem, purgamur à sordibus per Pænitentiam, nutrimur per Eucharistiam, conservamur per Ordinationem, copulamur per Matrimonium; demùm ad ultimam luctam munimur per extremam Unctionem, donec in eadem requiescamus & ponamur in monumentis nostris. Ad hanc domum præcurrere debet quisque prior, certare debet diligentiâ, ibique adventum Domini præstolari, si fortè veniat illa dulcis hora Divini solatii, internæ dulcedinis, conversationis & unionis cum Deo: ubi licet sit aliquando in illa hora brevis mora consolationis Divinæ juxta mentem melliflui Patris nostri, nunquam tamen à vigilantia & oratione desistendum. Sine intermissione orate, imperat Doctor gentium 1. *Theß.* 5.) ut si fortè Dominus venerit rursùs & pulsaverit ad cor, confestim aperiatur ei; (*Lucæ* 12.) ne nobis accidat, quod accidit Sponsæ. Vox dilecti mei, ait illa pulsantis *Cant.* 5.) Aperi mihi soror mea Sponsa. Agnoscis vocem dilecti, discernis sonum pulsantis anima mea? surge, quæ dormis. (*Ephes.* 5.) Si enim in lectulo tuarum commoditatum, in strato pigritiæ quæris dilectum; per noctes peccatorum quæris eum, qui Lux est: (1. *Joan.* 1.) scito, quòd quæres & non invenies. (*Cant.* 5.) Si prætendis te exspoliatam tunicâ (*Ibid.*) veteris Adæ per baptismum, pedes affectuum tuorum lotos per pœnitentiam, & hoc tibi sufficere, nec vigilas ad adventum Sponsi, nec surgis ad aperiendum ei, vel etiam tandem surgis & pessulum duntaxat ostii aperis non totum ostium, totum cor patefacis: fiet tibi, quod factum est Sponsæ. Dilectus jam declinaverat atque transierat. (*Ibid.*) Tunc surges & circuibis civitatem, per vicos & plateas quæres, quem diligit anima tua; per discur-

Multæ tricæ.

Vigilandū in tentatione & orandum.

Domus nostra Ecclesia.

Sacramentorum usus.

Hora consolationis.

Quomodo & ubi quærendus Deus?

discursus & ambages humanorum conceptuum quæres dilectum & non A invenies. Utinam te inveniant vigiles Angeli, qui custodiunt civitatem: (quæ domus est, eadem est & civitas) percutiant te stimulo conscientiæ, vulnerent cor tuum instinctibus sanctis; ut & tu ipsa meliùs vigiles circa te: paululùm, cùm illos pertransibis, priusquam invocaveris eum, dicet tibi: Ecce adsum. (*Isaiæ 58.*) O felix hora! Jam illic avocare, (*Eccli.32.*) abstrahe te ab omnibus mundanis, terrenis, carnalibus cogitationibus & desideriis; illic lude cum illa Divina Sapientia, quæ ludit omni tempore in orbe terrarum, (*Prov. 8.*) qui est homo; (deliciæ enim ejus sunt esse cum filiis hominum. *Ibid.*) Illic age conceptiones tuas, (*Eccli. 32.*) proposita firma deduc ad effectum, ne unquam separeris à DEO B tuo, sed dicere possis cum Apostolo: (*Rom. 8.*) Quis nos separabit à charitate Christi? An tribulatio? num angustia? an fames? an gladius? Hæc est hora nostra & potestas tenebrarum. (*Lucæ 22.*) Quid in illa dicemus? Pater salvifica me ex hac hora, orandum cum Redemptore. (*Joan.12.*) Sed ideò venimus in hanc horam, per quam cum Christo crucifixo & ipsi mundo crucifixi, (*Galat. 6.*) imò Christo confixi cruci (*Galat.2.*) clarificemur. Quando dormiemus somnum nostrum, (*Psalm.75.*) quando erimus in numero dormientium cum spe resurrectionis; veniet rursùs Dominus, veniet hora, quâ dicetur: Surgite mortui, venite ad judicium. Expergiscimini & laudate, qui habitatis in pul- C vere. (*Isaiæ 26.*) Tunc evigilabimus in æternitate Salvatorem salutantes, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. (*Philip. 3.*) Nonne tunc cum Adamo excusso mortis sopore dicemus? Hoc nunc os de ossibus nostris, (*Gen. 2.*) quando ossa nostra quasi herba germinabunt; (*Isaiæ 66.*) & caro de carne nostra, (*Genes. 2.*) quæ communicavit Christi passionibus, (*1. Petri 4.*) quando conresurget cum JESU & conglorificabitur. Erunt duo in carne una, (*Gen.2.*) in uno corpore Christi, quod est Ecclesia: DEUS & homo unientur in æternum. Nonne cum Jacobo Patriarcha evigilantes à gravi somno fatebimur? *Gen.28.*) Verè Dominus est in loco isto: (ubi vigilantia & oratio D scalam fecit ad Deum, disposuit ascensiones in corde suo. *Psalm. 83.*) Non est hìc aliud nisi domus DEI & porta cœli. (*Genes.28.*) Intereà cum Elia temporali desidiæ somno pressi evigilantes, fruamur pane subcinericio, (*3. Reg.19.*) manducantes panem doloris & mortificationis, donec in fortitudine cibi istius ambulantes, perveniamus ad montem Dei Horeb id est suavem, in multitudine dilectionis, ubi facie ad faciem (*1. Corinth.13.*) visione DEI perfrui mereamur.

Custodes Angeli.

Hora conversionis.

Hora Resurrectionis.

Erunt duo in carne una mystice.

Scala ad Deū.

Panis subcinericius; Pœnitentiæ

Mons DEI Horeb.

Sermo in die Nativitatis Domini.

Non erat eis locus in diversorio. Lucæ 2.

DEUS conditor mundi (mundus enim per ipsum factus est *Joan. 1.*) qui in mundo erat invisibilis quia Spiritus; (*Joan. 4.*) venit in mun-

mundum visibilis in carne, & ecce mundus eum non cognovit. (*Joan* 1.) A
Venit DEUS simul & Salvator mundi, in propria venit, & sui eum non receperunt: (*Ibid.*) denique non erat ei locus in diversorio. (*Lucæ* 2.) Quare? quia DEUS lux est & tenebræ in eo non sunt ullæ. (1. *Joan.* 1.) Erat lux vera illuminans omnem hominem venientem etiam in hunc mundum: (*Joan.* 1.) sed homines in mundo positi, dilexerunt magìs tenebras quàm lucem. (*Joan.* 3.) Dum ergò lux in tenebris luceret, tenebræ eam non comprehenderunt. (*Joan.* 1.) Nonne qui malè agit, odit lucem? (*Joan.* 3.) mundus autem in maligno positus erat, (1. *Joan.* 5.) & ideò lucem odio habuit mala ejus opera manifestantem. Jam quæ societas luci ad tenebras? (2. *Corinth.* 6.) Hinc non erat luci locus in diversorio B
tenebrarum. Ita sanè populus, qui ambulabat in tenebris peccatorum, vidit lucem magnam (*Isaiæ* 9.) gratiæ cum DEO venientis. Sed eheu! quanta malitia, quanta ingratitudo, quanta indignitas populi gravis iniquitate, gentis peccatricis (*Isaiæ* 1.) eligere & diligere potiùs tenebras quàm lucem? Equidem super hoc potissimùm lamentatur DEUS apud Isaiam *Ibid.*) Cognovit bos possessorem suum & asinus præsepe Domini sui venientis & nascentis in mundo, Isráël autem me non cognovit & populus meus non intellexit, imò noluit intelligere, ut benè ageret, (*Ps* 35.) ac ideò non erat ei locus. Quid mirum jam adultum Salvatorem non habuisse locum, ubi caput suum reclinaret, (*Matth.* 8.) dum redargueret mundum; quando adhuc infanti & tacenti non erat locus? C
Quid tamen credimus causæ, quare in mundo caruerit loco Dominus universorum, qui nullius indiget? (2. *Machab.* 14.) Certè non alia de causa, nisi quòd mundus fuerit diversorium omnium gentium, confluxus cunctorum malorum, omnis iniquitatis colluvies & sentina. Non potuit idcircò ulla esse communio boni cum malo, recti cum obliquo, æqui cum iniquo. Justus est Dominus & justitias diligit, æquitatem videt vultus ejus; (*Psalm.* 10.) rectus Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo: (*Psalm.* 91.) mundus est oculus ejus, & non potest respicere ad iniquitatem. (*Habac.* 1.) Mundus autem immundus erat, neque diluvium generale suffecit ad abluendas ejus immunditias; plenus omni iniquitate: diversorium planè omnium abominationum & idolorum. Quæ D
autem conventio Christi cum Belial? (2. *Cor.* 6.) Sed qualem Mundum censetis, Fratres mei? num istum, qui in se cœlum & terram complectitur, Deo locum denegâsse arbitramini? minimè. Quia de hoc DEUS loquitur: *Isaiæ* 66.) Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus. *Jerem.* 23.) In hoc mundo non est locus, ubi non sit DEUS. Non iste magnus mundus Macrocosmus dictus, sed parvus mundus Microcosmus id est homo, hic intelligendus, apud quem Deus homo factus, locum non invenit. Et quomodo inveniret? Homo cùm in honore esset, non intellexit; (*Psalm.* 48.) Iniquitatem meditatus est in cubili suo, astitit omni viæ non

Cur sui Christum non receperunt?

Mundus in maligno.

Diversorium tenebrarũ & omnium malorum.

Mũdus quis?

Macrocosmus & Microcosmus.

non bonæ, malitiam non odivit, (*Psalm.* 35.) imò requisivit: denique addidit prævaricationem Deum ad se venientem minimè recipiendo. Quare? quia comparatus erat jumentis insipientibus & similis factus erat eis, (*Psalm.* 48.) sicut eqvus & mulus, quibus non est intellectus. (*Psal.* 31.) Quare? quia erat omnis immundi spiritûs diversorium. Eapropter Deus per Prophetam Isaiam *cap.* 1.) inclamat. Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum; quiescite agere perversè, discite benè facere: & venite & arguite me, videlicet quòd non venerim & deflexerim ad vos. Desinite esse diversorium omnium peccatorum, & veniam ad vos, & inhabitabo in vobis & inambulabo in medio vestri. (2. *Cor.* 6.) Ita est P. R. F. D: venit Filius Dei non tantùm ad nos, sed in nos factus filius hominis, filius Virginis carnem nostram in se assumens, mansionem apud nos faciens, (*Joan.* 14.) habitavit in nobis. (*Joan.* 1.) Adhucne detrectabimus ei locum? Locus habitationis Dei sanctus esse debet, liber ab omni peccatorum inquinamento. Anima justi sedes est sapientiæ: si est scelerum diversorium anima injusta, non est ibi locus Sapientiæ Dei incarnatæ. Venit superbia in hoc diversorium, & ecce super astra exaltat solium suum, in monte testamenti, in lateribus aquilonis sedet. (*Isaiæ* 14.) Venit ambitio, & ista sumit sibi honorem (*Hebr.* 5.) & ponè in proximo ponit sibi thronum. Venit avaritia, & occupat gazophylacia. Venit luxuria, & recumbit in cubilibus & impudicitiis. (*Roman.* 13.) Venit ira, & datur locus iræ (*Rom.* 12.) non cedendo, vel recedendo, sed accedendo. Venit gula, & dominatur in comessationibus & ebrietatibus: (*Rom.* 13.) mensas, cellaria, culinas sibi vendicat. Venit invidia, & respicit per fenestras, prospicit per cancellos (*Cant.* 2.) livore tabescens. Venit acedia, & jacet, stertit, volutat se in angulis. Venit detractio & mendacium, & linguam universitatem iniquitatis (*Jac.* 3.) insidet. Denique die ac nocte circumdat eam super muros ejus iniquitas, & labor in medio ejus & injustitia: nec deficit de plateis ejus usura & dolus. (*Psalm.* 54.) En diversorium animæ peccatricis; omnia sunt plena, sed iniquitate. (*Lucæ* 11.) Venit Sapientia Dei increata, illa quæ desursum est; illa pudica, pacifica, modesta, svadibilis, bonis consentiens, plena misericordiâ & fructibus bonis, non judicans, sine simulatione: (*Jac.* 3.) putas inveniet locum in hoc diversorio, (*Lucæ* 2.) fidem in terra? (*Lucæ* 18.) fides enim unicus est locus Dei in anima; illa inquam viva fides, quæ in spe per charitatem operatur. (*Galat.* 5.) In tali sanè mundi diversorio non habet locum. Quid ergo? Sapientia Dei munda & immaculata, (*Jac.* 1.) mundo inimica, eligit stabulum in habitationem sibi, ut humilitate præcipitaret superbiam; contemptu vanæ gloriæ, ambitionem tolleret; paupertate avaritiam pessundaret; flore virgineo castitatis, sordes luxuriæ everreret; mansvetudine, iræ extingveret incendium; abstinentiâ, gulam damnaret; charitate, invidiam proscriberet; acediam, fervore devotionis eliminaret; detractionem, mendacium, iniquitatem, injustitiam

Diversorium immundi spiritûs homo.

Venit Filius D. ad nos, & in nos

Locus DEI sanctus.

Diversorium Vitiorum.

Date locū iræ.

Sapientia Dei qualis?

Fides viva.

Sapientia D. inimica mūdo.

tiam rectitudine, ſinceritate, veritate & æquitate exterminaret. Hic eſt locus Dei Sanctus; (*Pſalm. 67.*) verè non eſt hic aliud, niſi domus DEI & porta cœli, (*Gen. 28.*) ubi Filius DEI de cœlo deſcendens requievit; ubi eadem virtus Dei & ſapientia ædificavit ſibi domum, (*Proverb. 9.*) ubi Verbum Dei habitavit & habitat in nobis plenum gratiæ & veritatis. (*Joan. 1.*) Propter quod loquor cum Apoſtolo Jacobo *cap. 1.*) abjicientes omnem immunditiam & abundantiam malitiæ, expurgantes diverſorium animæ noſtræ à veteri fermento (*1. Cor. 5.*) imò exſpoliantes nos veterem hominem cum moribus & actibus ſuis, (*Coloſſ. 3.*) ſuſcipiamus inſitum in carne noſtra Verbum DEI, (*Jac. 1.*) Sapientiam Dei, ut habitet in nobis abundanter; (*Coloſſ. 3.*) illum unigenitum Filium è ſinu Patris venientem, (*Joan. 1.*) qui ſalvabit animas noſtras, (*Jac. 1.*) redimendo nos ab omni iniquitate, (*Tit. 2.*) & emundando conſcientias noſtras ab omni inquinamento. (*Hebr. 9.*) Suſcipiamus autem in illa viva, quam dixi fide, armatâ ſpe, & animatâ charitate, ut ille qui locorum intervallis non diſtingvitur ſed ubique eſt, ille incomprehenſus, omnia comprehendens; in anima noſtra cum comitatu ſuo comprehendatur & locum reperiat talem, qualem ipſe elegit ſibi in ſtabulo ſtationem ſuam figens; humilitatis, paupertatis, caſtitatis, manſvetudinis, abſtinentiæ, charitatis, devotionis, veritatis & juſtitiæ ſuæ veſtigia in nobis inveniat, adeoquè per gratiam ſuam in nobis ſtabuletur. Sit Jeſus in intellectu verbum ſalutiferum & ſalvificum concipiente; ſit Maria in voluntate illud per bona opera pariente & generante: ſit Joſeph in memoria ſemper illud recolente & geſtante; ſit eis locus ejusmodi in diverſorio animæ noſtræ, ut & ipſi nos in nativitate noſtra ad æternitatem ſuſcipiant & deducant in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei. (*Pſalm. 41.*)

Stabulum virtutum in anima.

Jeſus Maria Joſeph.

Gratulatio à Conventu facta P. ac R. *Domino Abbati in die Colendæ.*

AMænior poſt nubila phæbus; lætior dies opacâ caligine in rutilos lucis radios transmigrante exoritur P. ac R. Domine. Operuerant antehac faciem univerſi palpabiles Ægypti tenebræ, non quæ ſenſum externum afficerent, ſed quæ internum conficerent. Errorum ubivis gentium tetra caligo; ligno, limo, lapidi Divini cultus dati; proſcripta lex, inverſum jus, ad libitum omne nefas licitum; ipſa lumina mundi ſapientiæ extincta, & in reprobum ſenſum data, ut agerent, quæ non expediunt: meridionali luce obſcura mentium nox; omnium animis horrendæ mortis imago inſedit. Sed ecce dum nox ignorantiæ & mundialis vitæ; curſum ſuum perageret, nova lux deſcendit de cœlo, Sapientia DEI increata, nube corporis obvelata, Candor lucis æternæ, & ſpecioſior ſole nobis apparuit. Tripudiat Angelorum exercitus, reſonant DEO laudes, gaudium magnum nunciatur. Quidni gaudium magnum de proſcri-

Tenebræ Spirituales.

Lux de Cælo.

A ptis exitialibus & fatalibus umbris exoriente Sole Sapientiæ? Cessant jam tenebræ interiores, quibus devolvebatur mundus in exteriores perennaturas: cessat caligo insipientiæ, quibus illuxit ipsa magistra Doctrix increata Sapientia; cessat insipidus gustus terrenorum, quando descendente æternâ Sapientiâ seu sapidâ Scientiâ melliflui facti sunt cœli: stillant montes dulcedinem, & colles fluunt lac & mel.

Hujus igitur fortunatæ diei beatum tempus, quòd P. ac R. D. Vestra superstes incolumisque attigerit, hæc corona Filiorum tuorum animitùs gratulatur: eoque ampliori plenitudine affectûs quævis desiderabilia de thesauris Sapientiæ Dei vovet & apprecatur gestiens Oliva, quòd sub B TUO magisterio nomen suum re exprimat. Oliva symbolum sapientiæ, quidni particeps effecta incarnatæ Sapientiæ? Te enim nutricio crescit in sapientia, & gratia Dei est in illa. Quid Tua Sermonum & piarum Parænesum frequentia, nisi sapientiæ nutrimenta? Quid præstantissimorum Voluminum magnis impensis comparata copia, nisi apparatus deliciarum sapientiæ? Quid patrocinium & promotio studii sacrarum literarum, nisi facis sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo? Quid quòd exoptas perfectiori modo studium virtutis practicum institu- ere? elevare mentes altiùs à terrenis ad mystica & supercœlestia, nisi ut Filii tui trahant sapientiam de occultis, nisi ut Oliva tua cum puero Jesu C crescat sapientiâ & gratia Dei sit in illa: quousque formetur in virum perfectum ætatis plenitudinis Christi.

Oliva.

Curæ Abbatiales.

Verùm haud sufficit Tibi Præsul Munificentissime, Olivam ab intrinseco formare sapientem & gratiosam; formas quoque exteriùs speciosam per constructam templi Portam, & hæc sapit oculis: formas Olivam structurâ organi musici dulcisonam, & hæc sapit auribus: formas antiquorum jurium confirmatione, & novorum bonorum collatione fructiferam pro augmento pacis & boni ordinis, pro incremento cultorum & servorum Dei; & hujusmodi proventuum fructus sapiunt ipsi summo Numini ad beneplacitum, sapiunt in odorem suavitatis.

D Pro hac ergò multimoda participatione Sapientiæ Dei increatæ & incarnatæ per Te in Olivam Tuam derivata (omne enim pulchrum, bonum, sapiens à summo Ente, pulchro, bono, sapiente ducit ortum juxta principium Theologicum) quid nisi solemnes decet nos referre grates? Magna enim & præclara sunt hæc. Equidem Doctore Angelico teste; sapientia, quâ formaliter sapientes sumus, est quædam participatio Sapientiæ Divinæ, quæ est Deus. Et Horatius:

Gratitudo Monasterij.

Sapientia.

Ad summum sapias, uno est propior Jove; dives,
Liber, honoratus, pulcher, Rex denique rerum.

Philo quoque doctissimus sapientem esse alterum in mundo solem asseruit, Et Poeta: *Virtus cui sapit, ille sapit.* Sole igitur virtutis & intelligentiæ

dum radiare facis Olivam sive intellectu sapientem, sive sensu sapidam; pronissimâ id acceptamus gratitudine, amplissimâ refundimus gratiarum actione, & unanimi cordium voto precamur, TE ad seras temporum annorumque myriades superstitem in abundantia pacis & omnigenæ prosperitatis perennare.

Responsum P. ac R. D. Abbatis ad Gratulat. Conventûs.

Bonitas Salvatoris nõ reddit malũ pro malo.

QVanta bonitas Salvatoris! In terra natus, non habens locum in diversorio; (*Lucæ 2.*) in terra cum hominibus conversatus, non reperiens locum ubi caput suum reclinaret; (*Matth. 8.*) hominibus adeò ingratis cœlum offert sedem suam pro æterna ipsorum mansione. Sic Sapientia Divina vincit malitiam humanam, (*Sapient. 7.*) & ut unicuique esset commoditas, in domo Patris mei, ait *Joan. 14.*) mansiones multæ sunt: nevè homo à cœlo deviaret, seipsum januam coeli constituit. Ego sum, inquit *Joan. 10.*) ostium ovium, per me si quis introierit, salvabitur & pascua inveniet. Nec hoc contentus, in seipso refugium habitationis & quietis humanæ locum præparavit. Venite ad me omnes vocat, invitat omnes; *Matth. 11.*) & ego reficiam vos & invenietis requiem animabus vestris. Si in me manseritis, quidquid petieritis, habebitis & fiet vobis; (*Joan. 15.*) utque non minùs habitatio hominibus esset jucunda & hilaris, in me gaudium habebitis. (*Joan. 17.*) Gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. (*Joan. 16.*) Erit gaudium velut ad sonitum organi, (*Job. 21.*) ibi laudabimus eum in chordis & organo. (*Psalm. 150.*) Omnia tamen hæc nobis statuit in exemplum Sapientia Dei incarnata, ut sequamur vestigia ejus. (*1. Petri 2.*) Si ille porta est coeli, Matremque suam Virginem sanctissimam voluit esse Januam cœli, & Portam Paradisi; voluit Apostolos duodecim, 12. esse portas cœlestis illius Jerusalem; (*Apoc. 21.*) quidni unumquemque nostrûm cupiat quoque portam esse, utique apertam sibi Christo, clausam diabolo, clausam carni, clausam mundo, soli DEO patentem? Portam esse, ut luceat lux nostra coram hominibus, ut videant opera nostra bona, & glorificent Patrem nostrum, qui in cœlis est? (*Matth. 5.*) Portam esse ad Deum exemplis bonorum operum deprædicandum: neque enim exinde nobis, sed nomini Domini danda est gloria. (*Psalm. 113.*) Felix porta, in qua ansæ boni exempli patentes, homines ad Deum trahunt & ducunt! Debemus esse porta lapidea, firma, lapidi angulari Christo JEsu innitens, (*Ephes. 2.*) fundata supra petram, (*Matth. 7.*) nullo flatu ventorum mundanorum, nullis fluctuum carnalium impulsibus, nullis portarum inferi invasionibus & oppressionibus subruenda. Nec tantùm porta, sed & domus Dei, Templum Domini sanctum esse tenemur. (*1. Cor. 3.*) In me manet, dicit Christus de homine fideli, *Joan. 6.*) sed addit: & ego in eo. Ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus. Inhabitabo in

Manendum in Christo. (margin note beside "venietis requiem…")

Porta myst. (margin note beside "porta est coeli…")

Domus DEI. (margin note beside "domus Dei…")

in eis & inambulabo. (2. *Cor.* 6.) Domus ſit munda, ornata, & non vacans ſive otioſa, in qua Deus poſſit habitare. Sint in hac domo organa variarum virtutum, laudem Domini reſonantia.

Organa myſtica virtutum.

Non ſuſpendantur organa noſtra, (*Pſalm.* 136.) ſed ſint ſemper in actu, nomen Domini ſanctificantia & benedicentia. Concinendum Domino diverſi generis organis. (2. *Paral.* 23.) Sit pedale humilitas, & teneat baſſum obedientia. In tenore ſit patientia & manſvetudo. Altum teneat caſtitas, ne inficiatur luto carnalium affectuum: adſit in alto paupertas, quæ ſurſùm ſunt in cœlo, non quæ ſuper terram, quærat; (*Coloſſ.* 3.) ne terrenis deſideriis contaminetur. In ſummo cantu charitas exaltet vocem ſuam, jam ad Deum aſcendens, jam ad proximum condeſcendens; & ſic reſonent, ſic modulentur ſvaviter organa, ut ſit in voce exultationis & confeſſionis ſonus epulantium (*Pſalm.* 41.) in domo Domini. Sit harmonia pacis, ſit melodia unionis, ſitque concordia diſcors, & diſcordia concors.

Diſcordia concors.

Diſcordiam dico, diverſitatem virtutum ad concordiam tamen fraternitatis & laudis Divinæ tendentium. Procul abſit diſcordia pacis & ſenſuum: in ſe enim, teſte Sapiente *cap.* 19.) dum elementa ſenſuum noſtrorum convertuntur, ſicut in organo qualitatis ſonus immutatur. Neceſſe eſt, ut omnia ſuum ſenſum cuſtodiant, & tunc cantantibus organis laus Dei optimè decantatur. Nunquam meliùs, quàm ſi quiſque noſtrûm ſit organum Dei, ſit inſtrumentum Dei Spiritu Sancto afflatum, ſpiritu Dei agens; (*Rom.* 8.) dumque caro concupiſcens adverſùs ſpiritum (*Galat.* 5.) calcatur, ſpiritus hominis ad laudem DEI & opera ſancta peragenda elevatur. Hæc proinde mei muneris in præſenti Natali Domini eſt oblatio verè colenda, recolenda, & excolenda.

Colenda.

Offero Portam Eccleſiæ noſtræ foris lapideam, intùs marmoream. Offero Organa triplicia SS. Triadis gloriæ ſacrata, in quibus Aſcenſio Chriſti, Aſſumptio Mariæ & aſſiſtentium Angelorum, ſint nobis anſæ, ſint illicia, quibus ſurſùm corda noſtra trahantur. Et hæc omnia materialia Spiritualibus nunc præſento, ut etiam R. P. & F. Veſtræ ſitis mihi per ſuffragia ſacrificiorum & orationum veſtrarum portæ ad Deum, januas cœli mihi aperiatis. Sitis mihi domus, ut in cordibus veſtris, bono regimine habitare & regnare poſſim, ſitis mihi organa gratitudinem animi exprimentia, & reciprocatione affectûs filialis ad affectum Paternum conſonantia, dum ego quoque vobis deſidero eſſe ad cœlum porta doctrinæ, inſtitutionis & exhortationis, bonique exempli clavi pro poſſe fragilitatis meæ januam cœli aperiens.

Clavis boni exempli.

Cupio eſſe domus, in qua pacificè, quietè & ſecurè cum adjutorio Altiſſimi in protectione Dei cœli habitare poſſitis & commorari. (*Pſalm.* 90.) Ambio eſſe organum benè ſonans (*Pſalm.* 150.) concordiæ, pacis & unionis, concertationem conſonam vobis præcinens, ut ſic in terris hic per nos, de nobis, in nobis laudetur JESUS Chriſtus Salvator noſter; habitet in nobis incarnata Sapientia, habeat ſemper portam apertam & locum in diverſorio (*Lucæ* 2.) cordium noſtrorum, velut in domo ſua recli-

reclinet caput suum, (*Lucæ 9.*) ipse seipsum in nobis laudet & glorificet, ac demùm in cœlis in sua nos deducens tabernacula, det nobis lætam mansionem & in seipso velut fonte æternam sapientiam degustare.

Sermo in festo Circumcisionis Domini.

Postquam consummati sunt dies octo, circumciditur Puer, & vocatur JESUS. Lucæ 2.

Consummatio & abbreviatio.

COnsummato veteris anni circulo, novi decursum inchoamus, ubi in consummatione dierum octo fit pueri circumcisio, & nominis ab æterno ordinati vocatio seu vocalis publicatio, quod est JESUS P. R. F. D. Nunquid non hic juxta Isaiæ Prophetæ *cap. 10.* effatum, consummationem & abbreviationem Dominus Deus exercituum, ille qui cum multitudine cœlestis militiæ (*Lucæ 2.*) ad nos venit natus, fecit in medio omnis terræ videlicet in semetipso? Caro enim secundi Adæ Christi, sicut & primi è terra originem ducens, est omnis terra, est omnis caro, ad instar primi hominis totam progeniem humanam in se virtualiter continentis, omnes totius Ecclesiæ fideles in se velut membra in corpore spiritualiter complectens; est omnis caro, quæ in se videt salutare DEI, (*Lucæ 3.*) imò & recepit per hypostaticam Deitatis cum Humanitate unionem, & vocatur JESUS id est Salvator. Fecit, inquam, consummationem dierum octo & abbreviationem in se (*Isaiæ 10.*) per circumcisionem Verbum Domini abbreviatum, quod fecit Dominus super terram, (*Rom. 9.*) Verbum utique secundùm Apostolum consummans & abbrevians in æquitate; (*Ibid.*) observans rigorosè legis justitiam, ac exinde planè operatus salutem in medio terræ, (*Psalm. 73.*) in medio carnis suæ. Lex DEI in veteri Testamento erat: (*Genes. 17.*) Infans octo dierum circumcidetur. Custoditio legis hujus per JEsum facta, verè fuit consummatio incorruptionis. (*Sap. 6.*) Omnis enim caro Protoparentis corruperat viam suam, (*Genes. 6.*) sed in Christo venit finis universæ carnis Adamicæ, (*Ibid.*) dum per circumcisionem ex corruptione peccati & mortis, ad incorruptionem gratiæ & vitæ fuit translata: ut ita salva fieret omnis caro. (*Matth. 24.*) Jam verò Lex Dei in novo Testamento quid? Crediderim neque hanc à veteri lege discrepare, cùm sit legis antiquæ adimpletio, imò consummatio. Fortassè etiam pro circumcisione nostra reperietur in lege Evangelica requisita octo dierum consummatio. Nec abs re compendium doctrinæ Christi per octo beatitudines nobis præscriptæ, octo dies ad veram circumcisionem & salutis adoptionem debere consummari manifestat. Et quidem paupertas spiritûs, quæ ex mente SS. Patrum est humilitas, primum ponit gradum ad circumcisionem tollendo initium & radicem omnium malorum superbiam, (*1. Tim. 6.*) quæ primò & primariò primum hominem præcipitaverat. Deinde nonne mansvetudo, quam

Unio Hypostatica.

Verbum abbreviatum.

Observantia legis.

Novum Testamentum.

Octo Beatitudines.

Paupertas spiritûs Humilitas.

A quàm mitis & humilis corde Jesus docet, (*Matth.11.*) monstrat præscin- *Mansvetudo.*
dere impetus iracundiæ? Nonne luctus & ad vesperam peccati demorans *Pœnitentia.*
fletus (*Psalm.29.*) indicat amputanda vana carnis gaudia & mundi? Nam
gulæ illecebras proculdubio esuries & sitis justitiæ (*Matth.5.*) satura faci- *Justitia.*
et nauseare. Opus etiam misericordiæ immisericordis avaritiæ malignita- *Misericordia,*
tem arguit resecandam, mundum quoque cor immunditias luxuriæ postu- *Cor mundum.*
lat relegandas. Venena porrò invidiæ & odii, pacificatio hominum bo- *Pax.*
næ voluntatis, quales JEsus natus requirit, (*Lucæ 2.*) poscit expellenda.
Denique patientia persecutionis propter justitiam (*Matth. 5.*) supremam *Patientia.*
omnium impedimentorum molem perficit superare, quæ perfectum opus
B habet, (*Jac.1.*) ut sic in consummatione harum octo beatificarum virtutum
vera Christiani hominis circumcisio absolvatur; & nominis Jesu participium
in optatæ salutis consecutione adimpleatur. Quidni hæ octo tam lucidæ
virtutes sunt octo dies, ut homo Jesum sequens non ambulet in tenebris,
sed habeat lumen vitæ, (*Joan. 8.*) & tanquam filius lucis sicut in die ho-
nestè ambulet? (*Rom.13.*) Invenientur præterea non minùs octo quædam *Quæ spiritualiter circumcidenda?*
in carne nostra circumcidenda, ut simus non tantùm cordibus, sed & cor-
poribus circumcisi. Ac primùm quinque sunt corporis sensus; visus, au- *Sensus corporis.*
ditus, gustus, odoratus & tactus, quibus si accedat communis sensus sive
phantasia, tùm duæ potentiæ concupiscibilis & irascibilis, octonarium nu- *Phantasia & Appetitus.*
C merum adæquabunt; quorum omnium consummatio, nihil aliud est quàm
circumcisio, ut hi pravi sensus hominis & ad malum proni, (*Gen. 8.*) necnon
passiones inordinatæ non quod volunt malum agant, (*Rom. 7.*) sed ad *Passiones.*
verum, quod debent quærere, bonum se per circumcisionem adaptent &
extendant: quod est Jesus, id est æterna animæ & corporis salus, ac con-
summata beatitudo. In cubito consummabis summitatem arcæ, impe-
rat Deus Noe *Gen. 6.*) in qua octo animæ tantùm, teste Apostolorum *Cubitus consummationis, Regula S.*
Principe D. Petro *Ep.1.c.3.*) salvæ factæ sunt. Cubitus est Regula
mensurans alia omnia dimetienda, in quo summitas arcæ debet consum-
mari. Fabricator orbis, plasmator hominis, vult nos omnes esse fabros, *Arca salutis fabrica.*
D qui sustinuit etiam, cùm esset Dei & Virginis filius, fabri filius reputari;
vult ut securam in hoc mundi naufragi mari magno & spatioso (*Ps.* 103.)
Arcam salutis, quâ vehamur ad cœlum, vitæ æternæ portum nobis exstru-
amus. Sed nonne ipsimet DEI ipsius ædificatio, Dei cultura sumus?
(*1. Cor.3.*) Quod est fastigium construendæ fabricæ, quam molimur? in-
terrogat Sol Doctorum Augustinus. Quæ est consummatio summitatis
Arcæ? Cubitus, Regula Christi octo beatitudinibus expressa. Per ob- *Regula Christi.*
servationem hujus regulæ, cui quoque subjicitur Regula S. Patris nostri
Benedicti, cujus strictam observantiam professi sumus, vitæ nostræ structu-
ra in summa perfectione constituitur. Hæc est via plena luminaribus,
quâ dilectus Domini Benedictus ascendit, octo videlicet dierum, octo *Via S. Benedicti.*
virtutum consummatio. Quò pervenit cacumen ædificii? in domum
Dei, usque ad conspectum Dei. Ædificavit domum Domini Rex *Domus Salomonis.*

Salomon; ait Scriptura 3. *Reg.* 6.) & conſummavit eam, vel ideò verè ſa- A
Obſervantia. pientiſſimus. Agamus & nos ſic, ne de nobis dicatur: *Lucæ* 14.) Hic
homo cœpit ædificare & non potuit conſummare. Unde ſit nobis Re-
gulæ ſedula memoria & conſideratio ad cuſtodiendum eam. Hanc me-
ditari dico ſapientiam: (1. *Timoth.* 4.) ita ſine mendacio conſummabitur
verbum legis, legis Chriſti, & ſapientia in ore fidelis obſervatoris com-
planabitur. (*Eccli* 34.) Si ex mente Sapientis *cap.* 6.) cogitare de ſapientia,
Verus Sapiens. ſenſus eſt conſummatus; quidni cuſtoditio legis & Regulæ executio erit ſapi-
entiæ conſummatio, (*Ibid.*) & erit in conſummatione virtutis octona-
riæ? Verus namque ſapiens, Deum ſapiens, cor ſuum dabit in conſum-
mationem operum; (*Eccli.* 38.) quandoquidē ex operibus fides eſt conſum- B
Vita reflexa. mata, teſte Jacobo Apoſtolo: *cap.* 2.) & vigiliâ ſuâ id eſt vigilantiâ ac ſe-
dula reflexione ornabit imperfectionem, (*Eccli.* 38.) ornabit tempora ſua
usque ad conſummationem vitæ, (*Eccli.* 47.) ut etiam ſic conſummatus
poſſit explere tempora multa. (*Sap.* 4.) Sapiens dixi, Deum ſapiens,
cui nôſſe Deum conſummata juſtitia ſit, & ſcire juſtitiam & virtutem
Dei octuplicem, radix ſit immortalitatis. (*Sap.* 15.) Notate, quid afferat Eccleſi-
aſticus *cap.* 9.) Et ſi quis fuerit conſummatus inter filios hominum, ſi ab
Qui ſtat, videat nè cadat. illo abfuerit Sapientia Dei, in nihilum computabitur. Ergòne quis con-
ſummatus eſſe poteſt absque Dei Sapientia? Minimè. Quid ergò? Con-
ſummatio quidem virtutis non eſt niſi per Divinam Sapientiam; ſed qui C
ſtat, videat ne cadat. (1. *Corinth.* 10.) Vidimus ſtellas etiam de cœlo ca-
dentes, (*Apoc.* 9.) Angelos nimirum opera Dei conſummata, ſed in ſapi-
entia Dei haud conſtantia. Stet ergò ſapiens in timore DEI præparans a-
nimam ſuam ad tentationem, (*Eccli.* 2.) quia ſicut initium ſapientiæ timor
Studium perfectionis. Domini, (*Eccli.* 21.) ita conſūmatio timoris Dei eſt ſapientia & ſenſus. (*Eccli.* 1.)
Qui ſtat, non ſtet immotus, ſed ſtans ſuccinctus progrediatur ſemper per
profectum ſapientiæ & virtutis, nec retrocedat, ne cùm ſpiritu cœperit,
carne conſummetur; (*Galat.* 3.) ſed potiùs ſemper carne circumcidatur.
Ac ideò bonum certamen certet, curſum conſummet, (2. *Tim.* 4.) viam
mandatorū Dei currat (*Pſ.* 18.) corde dilatato, nec deficiat in via, *Matth.* 15.) D
Semper incipiendum. ſed conſtanter proſequatur bravium vocationis Chriſti, ſequens monitum
Eccleſiaſtici dicentis, *cap.* 18.) Cùm conſummaverit homo, tunc incipiat:
Novi anni devotio. (hæc eſt vera DEI ſapientia) tunc repetat: nunc cœpi. (*Pſalm.* 76.) Cum
hoc novo Anno dicat quisque noſtrûm, nunc rursùs incipio octo dierum
conſummationem: octo virtutum exercitium, carnis & ſpiritûs circum-
ciſionem, ſalutis meæ cum timore & tremore operationem; quia cùm
In Cruce conſummatio. quieverit homo, inquit Eccleſiaſticus *c.* 18.) tunc operabitur. Ante paſ-
ſionem ſuam loquitur ad Patrem Jeſus: *Joan.* 17.) opus conſummavi,
quod dediſti mihi ut faciam. Sed quomodo bone JESU? In cruce re-
ſpondet, usque ad mortem crucis humilians ſe & obediens factus Jeſus.
(*Philip.* 2.) Ita eſt Fratres mei. In cruce dixit Jeſus: (*Joan.* 19.) Con-
ſummatum eſt: neque enim extra crucem conſummatio. Nunc ſe-
mel,

mel, ait Vas electionis Divinæ (*Hebr.* 9.) in consummatione seculorum ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit Jesus in crucis altari, hostia & victima pro nobis oblatus, quia ipse voluit. (*Isaiæ* 53.) Sed & circumcisio initium crucis Christi fuit; sacrati sangvinis effusio principium martyrii & passionis. Crux est cubitus, in quo summitas arcæ consummatur. Decebat enim eum, inquit idem Vas electionis: *Hebr.* 2.) per quem omnia, & propter quem omnia, (1.*Cor.* 8.) qui multos filios, (illos quibus dedit potestatem filios Dei fieri *Joan.* 1.) ad gloriam duxerat, per passionem crucis consummare. Crux est summitatem veræ arcæ testamenti consummans. Deponentes proinde omne pondus & circumstans nos peccatum, (utique circumcidendo,) exhortor cum præfato Apostolo *Hebr.* 12.) per patientiam haud dubiè crucis; curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in Authorem fidei & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio vitæ æternæ & salutis nostræ, sustinuit crucem. Audite, quomodo orat Patrem ante mortem suam pro sui sequacibus discipulis. Sint unum, ait *Joan.* 17.) sicut nos unum sumus, ego in eis & tu in me, ut sint consummati in unum. Quo pacto? quâ methodo? per cubitum, per Regulam crucis, in qua maximè octo elucent virtutum beatitudines. Hæc est consummatio sanctorum. (*Eph.* 4.) Me expectaverunt peccatores, ut perderent me, conqueritur Propheta. *Psalm.* 118.) Et hi sunt spiritus, qui ad vindictam creati sunt, teste Ecclesiastico *c.* 39.) & in tempore consummationis effundent virtutem, ut nos faciant prævaricari legem DEI, regulam salutis, ut tanquam prævaricatores in consummatione tabescamus: (*Eccli.* 40.) nationes enim iniquæ, diræ sunt consummationis. (*Sapient.* 3.) Sed quid Propheta? Testimonia tua intellexi, infert *Psalm.* 118.) Videte, quo se tueatur; intellectu mandatorum Dei, cogitatione legis, regulâ virtutis. En Sapientia Dei illuminans intellectum, & docens de omnibus, per quam omnis consummationis, inquit *Ibid.*) vidi finem. Quem? Divus Ambrosius & D. Hieronymus asserunt, Christum crucifixum; planè qui est consummatio salutis nostræ. Quem finem? Divus Augustinus affirmat coronam martyrii, quia consummata est perfectio, mori pro Christo; & hæc est octava beatitudo pati persecutionem propter justitiam, (*Matth.* 5.) quæ est Christus. Vidi finem, Theodoreto interprete, omnia humana, opes, honores, voluptates, hisque similia, licet consummata & perfecta esse videantur, habere finem. Et ideò in die consummationis dierum vitæ tuæ, monet Ecclesiasticus *c.* 33.) & in tempore exitûs tui distribue hæreditatem tuam, quæ cum morte habet finem. Et hic est finis, quem autumat Euthymius, omnis interitûs tam bonorum quàm malorum, quòd finis mortis illorum, sit vel gloria vel pœna æterna. Vidi finem, qui omnium hominum in consummatione erit, (*Eccli.* 16.) in quo meritò bonis & malis consummatis, his supplicia, illis reddentur præmia. Sic erit in consummatione seculi. (*Matth.* 12.) De illo novissimo die præcavet Ecclesiasti-

Initium Crucis circumcisio. Crux cubitus consummationis.

Pondus peccatum.

Consummatio Sanctorum.

Finis consummationis Christus.

Omnia humana finita.

Mors.

Consummatio seculi.

siasticus *cap.18.*) Memento iræ (procul dubiò Dei) in die consummationis. Denique intelligens testimonia DEI, legem DEI, regulam Evangelii: vidi finem omnis consummationis, (*Psalm.118.*) omnis perfectionis vitæ esse mandatum tuum (hoc est præceptum meum, ait JESUS *Joan. 15.*) nempe dilectionis præceptum, quod est latum nimis (*Psal.118.*) omnia mandata in se comprehendens, in quo universa lex pendet & Prophetæ; (*Matth.22.*) finis enim præcepti est charitas: (*1. Timoth.1.*) latum nimis ad Deum, Angelos, homines etiam inimicos se extendens. Per hanc dilectionem unum sumus & cum DEO & cum proximo planè consummati in unum. (*Joan. 17.*) Et hæc est conclusio duodecimi octonarii in Psalmo 118. Beatorum immaculatorum in via, ambulantium in lege Domini; hæc est vera salutis illorum consummatio: ut & per duodenarium universitas & per octonarium consummatio perfectionis manifestetur in ea, quæ Deus est, charitate. Quia etiam consummatio sermonum (*Eccli. 43.*) ipse est in omnibus, ideò oremus nostram consummationem fieri in charitate, quam sigillatim in hoc novo anno, donantes invicem ex corde, consummemus; eandem consummato vitæ tempore ab omni malo circumcisi, & de salute nostra spei fiduciâ suffulti, in beata annorum æternorum duratione consummaturi.

Consummatio, Perfectio Charitatis.

Conclusio duodecimi Octonarij Psal. 118.

Reconciliatio solennis.

Sermo in festo Epiphaniæ.

Vidimus stellam ejus in Oriente. Matth. 2.

Princeps mūdi plagarum Oriens.

Ab Oriente omne bonum.

INter quaternas mundi plagas primatum tenet Oriens P. R. F. D; partim quòd ab eo syderum ortus ac potissimùm principis astrorum Solis irradiatio proveniat, partim quòd Paradisi creatio, primorum parentum nostrorum exortus, ipsa demùm salvationis nostræ origo ibidem sua jecerit fundamenta: partim quòd mater sit scientiarum, omnium rerum & omnium mercium præstantia ac raritas abinde oriatur. Nobis tamen major est ratio æstimandi Orientem, quos per viscera misericordiæ Divinæ visitavit Oriens ex alto (*Luc.1.*) JEsus. Ecce Vir, Oriens nomen ejus, (*Zachar. 6.*) natus nobis Salvator, de quo Zacharias Propheta *cap.3.*) Ecce ego adducam servum meum Orientem; & altera Isaiæ *cap. 46.*) Consilium meum stabit & omnis voluntas mea fiet, dicit Deus, vocans ab Oriente justum, & de terra longinqua virum voluntatis meæ. Hic est Christus Dominus verus Sol justitiæ, (*Malach. 4.*) Lux mundi, (*Joan.8.*) qui etiam seipsum appellat in Apocalypsi, *cap.22.*) Ego sum stella splendida & matutina, illa planè stella, quæ promissa fuit: (*Num.24.*) Orietur stella ex Jacob, idque de tribu Juda, cui præcepit Deus: *Num. 2.*) Ad Orientem Judas figat tabernacula sua. Et alibi: (*Josue15.*) sors filiorum Judæ ab Oriente erit initium mare salsissimum usque ad extrema Jordanis, quia mare sangvinis Domini in Baptismo, quem Dominus in Jordane acce-

A accepit, maximè nos in sortem beatorum credentium & confitentium Deo, verorum nempè Judæorum transferre debuit & firmare. Væ omnibus, qui ab Oriente recedunt! Post diluvium progenies Nóë proficiscens ab Oriente, (*Gen.* 11.) scitis quò deviavit? Vesanâ præsumptione turrim exstruere voluit pertingentem usque ad cœlum; (*Ibid.*) sed facta fuit turris Babel, id est confusionis. Loth quàm infelix! postquam à fideli Abraham divisus ab Oriente recessit: (*Gen.* 13.) in terram Sodomæ & Gomorrhæ delapsus est. Maneamus in Oriente Fratres, ubi propitiatorium Domini ad Orientem: (*Levit.* 16.) respiciamus semper Orientem, (1. *Paral.* 5.) donec illuminemur, qui in tenebris & in umbra mortis sedemus: (*Lucæ* 1.) donec Lucifer ille cœlestis illucescat & oriatur in cor-

Væ qui ab Oriente recedūt

Præsumptio filiorum Noë.

Loth infelicitas.

B dibus nostris: (2. *Petri* 1.) donec videamus stellam JESU in Oriente. (*Matth.* 2.) Multi sunt, qui oculos habent & non vident (*Psalm.* 113.) instar idolorum. Sunt, qui videntes non vident, ritu excæcatorum corde populorum. Sunt, qui vident & non intelligunt more brutorum. Sunt, qui vident sed nolunt intelligere, vel infascinati vel malitiâ præoccupati. Absit à nobis talis visio; simus autem veri Israelitæ videntes Deum, in quibus dolus non sit animi, non cæcitas cordis, non fascinus mundi, non lippitudo carnis. Videamus stellam ejus, puro & fixo intuitu illi intenti, & illam nos antecedentem semper sequentes. Sed quæ hæc stella

Cæcitas varia.

C ejus est? Est gratia DEI. Nonne lex per Moysen data est, gratia autem & veritas per Jesum Christum facta est, (*Joan.* 1.) per illud Verbum plenum gratiæ & veritatis? (*Ibid.*) Circumspice Jerusalem ad Orientem, imperat Propheta Baruch *cap.* 4.) Tu visio pacis; vide jucunditatem, (*Ibid.*) haud dubiè gratiæ, quæ venit tibi à Deo tuo. Quàm lucida, quàm jucunda stella Jesu, lumen gratiæ Divinæ nobis infundens! primitias hujus luminis gratiæ percepimus in Oriente nostro, in Baptismo, quando ex morte peccati renati & regenerati sumus ad vitam. Ibi lumen fidei in anima nostra radicatum. Hinc lucerna pedibus nostris verbum DEI: (*Psalm.* 118.) Inde lux scientiæ & doctrinæ, rerum Divinarum intel-

Stella Gratia D.

Oriens Baptismus.

D ligentia; abinde plenior Dei cognitio & contemplatio. Hæc omnia promanant à stella Christi, à lumine gratiæ ejus, á Luce illa vera illuminante omnem hominem venientem in hunc mundum. (*Joan.* 1.) Nunquid luciferum produces in tempore suo? interrogat Deus Job *cap.* 38.) Quasi diceret: non tuæ potestatis aut voluntatis, sed meæ gratiæ opus est, si quid in te est luminis à Lucifero Christo veram lucem ferente tibi communicati. Omne enim datum bonum & omne donum perfectum desursùm est descendens à Patre luminum. (*Jac.* 1.) Vide stellam ejus, agnosce gratiam ipsius. Prima Dei promissio Abrahæ Patri credentium, primo fidei illuminato facta fuit: (*Genes.* 13.) faciam semen tuum sicut pulverem terræ, & hæc carnalis & terrena. Homo enim carne constans pulvis est, & in pulverem revertetur. (*Gen.* 3.) Secunda promissio spiritualis & cœlestis fuit. (*Genes.* 15.) Numera stellas si potes; & dixit Deus: sic erit

À Deo lumen.

Promissio Abrahæ duplex.

ſemen tuum; nullum certè aliud, niſi illud, de quo ulteriùs: *Geneſ.* 22.) In ſemine tuo benedicentur omnes gentes, interprete Apoſtolo, quod eſt Chriſtus. Ipſe eſt benedictum Abrahæ ſemen inſtar ſtellarum, quarum non eſt numerus; (*Pſalm.* 39.) quia innumerabiles ſunt gratiæ ejus. Nonne diviſiones gratiarum ſunt ab uno Spiritu Chriſti? (1. *Cor.* 12.) Nonne diſpenſatio eſt multiformis gratiæ Dei? (1. *Petri* 4) Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, ait Dominus *Gen.* 16.) Semen eſt verbum DEI: (*Lucæ* 8.) ſemen eſt gratia DEI multiplex per verbum ejus. Species cœli gloria ſtellarum, mundum illuminans in excelſis Dominus: (*Eccli.* 43.) Solus ipſe eſt, qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat, (*Pſalm.* 146.) quæ etiam dederunt lumen in cuſtodiis ſuis, (*Baruch.* 3.) (gratia enim eſt cuſtodiens & præſervans nos à peccato) & lætatæ ſunt. Vocatæ ſunt & dixerunt: Adſumus; & luxerunt illi cum jucunditate, qui fecit illas. (*Ibid.*) Nihil enim jucundiùs & gratiùs Deo, quàm quando gratia ejus in nobis reperit locum; Dei voluntati correſpondet voluntas noſtra ad obediendum prompta & pro poſſe ſuo gratiæ Dei cooperatur in omnibus. Ac ideò hortamur vos fratres, ait Vas electionis Paulus: 2. *Corinth.* 6.) ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, ne ſitis rebelles lumini, (*Job.* 24.) ne rumpatis jugum Domini dicentes: (*Jerem.* 2.) non ſerviam: hæc eſt dies illa maledicta nocti ſimilis Ægyptiacæ, cujus caligine ſtellæ cœli obtenebrantur, gratiæ Dei evacuantur. Verè tunc cum Job *cap.* 23.) ſi ad Orientem jero, non apparet ille, qui præcipit Soli & non oritur; claudit ſtellas quaſi ſub ſignaculo. Ab ingratis enim gratiæ & beneficia tolluntur. Talis gratiam Dei in ſe extingvens experietur, quod minatur Deus apud Ezechielem *cap.* 32.) Et operiam, cùm extinctus fueris (extinctâ enim gratiâ Dei & homo extingvitur) cœlos, & nigreſcere faciam ſtellas ejus. Solem nube tegam Chriſtum Authorem gratiæ & fontem luminis, & Luna illa pulcherrima Mater gratiæ non dabit lumen ſuum. Omnia luminaria cœli mærere faciam ſuper te; Sanctos & Angelos pacis amarè flentes (*Iſaiæ* 33.) ſuper excæcatione & perditione noſtra, quam cauſat minimus Divinæ gratiæ neglectus, ne dicam (quod Deus avertat!) contemptus. Hoc eſt onus Babylonis, onus confuſionis apud Iſaiam, ubi prædicit *cap.* 13.) Ecce dies Domini veniet crudelis & indignationis plenus & iræ furoriſque ad ponendam terram in ſolitudinem & peccatores ejus conterendos de ea. Quoniam ſtellæ cœli & ſplendor earum non expandent lumen ſuum. Ceſſabunt gratiæ, ubi incipiet judicium ſeverum, ubi adventus Domini erit ſicut fulgur exiens ab Oriente & parens in Occidente (*Matth.* 24.) vitæ noſtræ. Aperiamus igitur oculos intellectûs noſtri & videamus ſtellam Chriſti, illius Juſti ab Oriente ſuſcitati, (*Iſaiæ* 41.) qui aſcendit ſuper cœlum cœli ad Orientem dans dona hominibus, (*Pſ.* 67.) gratias ſuas diſtribuens (unicuique enim data eſt gratia juxta menſuram donationis Chriſti. (*Epheſ.* 4.) Et non negligamus gratiam, eam quæ in nobis eſt, (1. *Timoth.* 4.) ne ſol & luna obtene-

Multiplex DEI Gratia.

Cooperandum DEI Gratiæ.

Subtractio Gratiæ.

Onus Babylonis.

obtenebrentur, & stellæ retrahant splendorem suum. Contemplemur ne quid nobis desit gratiæ Dei, (*Hebr. 12.*) non sit vacua in nobis gratia Christi (*1. Cor. 15.*) imò crescamus in gratia & cognitione Domini nostri Jesu Christi. (*2. Petri 3.*) Confortemur in illa, ut ipse Dominus faciat gratiam suam abundare in nobis; (*2. Cor. 9.*) nihil nobis desit in ulla gratia, (*1. Cor. 1.*) imò regnet in nobis gratia per justitiam in vitam æternam per Jesum Christum Dominum nostrum. (*Rom. 5.*) Stellæ manentes in ordine & cursu suo, gratiæ Dei benè in nobis dispensatæ, pugnabunt contra Sisaram infernalem. (*Jud. 5.*) Qui vicerit & custodierit usque in finem opera mea, (*Apoc. 2.*) opera gratiæ gratìs datæ, inter alia ait Christus: *Ibidem.*) dabo illi stellam matutinam, videlicet post Occidentem vitæ temporalis, in occasu mortis & in ortu vitæ, & in illo æternitatis Oriente ac matutinæ resurrectionis die, dabo ipsi lumen gloriæ, dabo me ipsum, qui sum stella splendida & matutina; dabo illi (*Apoc 22.*) ut & ipse sit stella matutina, jam non in medio nebulæ (*Eccli. 50.*) sed lucis, & quasi stella fulgeat in perpetuas æternitates. (*Dan. 12.*) Quid enim est finaliter gratia Dei, ex mente Doctoris Gentium *Rom. 6.*) nisi vita æterna? idque in Christo Jesu Domino nostro, qui de se ait: *Joan. 14.*) Ego sum via, veritas & vita. Adeamus ergò cum fiducia ad thronum gratiæ ejus, (*Hebr. 4.*) ut pro utroq; Statu Ecclesiastico & Politico, Regulari & Seculari, pro Sacro Ordine & Monasterio nostro, pro animabus agonem & ignem Purgatorium patientibus, misericordiam consequamur, finalemque gratiam inveniamus in auxilio opportuno, (*Ibid.*) videamusq; semper stellam Dei & eam sequamur, donec assequamur, ut per lumen gratiæ lumen gloriæ apprehendamus: & qui in Oriente gratiæ vidimus stellam ejus, ipsum Solem justitiæ in Oriente gloriæ videamus.

Gratia DEI cooperans.

Mors Occasus, Oriens Æternitas.

Stella Matutina.

Finis & Gratia gratiarum Vita æterna.

Oriens s. Lumē Gratia & Gloria.

Sermo in festo Purificationis B. V. M.

N*Unc dimittis servum tuum Domine secundùm verbū tuum in pace,* verba sunt Simeonis justi, timorati & expectantis consolationem Israel, ipsumque jam solatium Orbis JESUM ulnis suis complectentis ac stringentis, Deumque benedicentis. Felix equidem talis pacifica justi servi Dei dimissio in unione Jesu Salvatoris, in unione salutaris Divini, in ipsa vera pace Dei, quæ est Christus. Quàm grata dissolutio, quàm svavis dimissio corporis, ubi est admissio animæ in admirabile lumen Dei, (*1. Petri 2.*) illud lumen, quod est ad revelationem gentium (*Lucæ 2.*) in revelatione gloriæ plebis Israel; & hæc est Dei visio. Quis non optaret sibi in pace sic dimitti? Hic sanè finis noster esse debet P. R. F. D; hic terminus, hæc consummatio. Sed qui ad hoc admitti cupit, debet esse Simeon, justus, timoratus & expectans. Simeon, videlicet audiens vel obaudiens. Fides est ex auditu, auditus per verbum Christi; (*Rom. 10.*) ergò fidelis verbo Christi obtemperans, audiens quid loquatur in ipso Dominus, (*Ps. 84.*) audiens & custodiens Verbum Dei, (*Lucæ 11.*)

Mors justorū.

Simeon imitādus.

auditor & factor verbi sit. (*Rom. 10.*) Et quia corde creditur ad justitiam (*Ibid.*) uti Abrahæ fideli credenti DEO reputatum est ad justitiam; (*Gal 3.*) sit justus ex fide vivens, fide per charitatem operans, (*Gal 5.*) per fidem vincens regna (*Hebr. 11.*) mundi omnia & gloriam eorum: Apostolico animo omnia arbitrans sicut stercora, ut Christum lucrifaciat; (*Phil. 3.*) seipsum æstimans omnium peripsema (*1. Cor. 4.*) (justus enim in principio accusator est sui: *Prov. 18.* uti David, non excusator ut Adam,) abrenuncians demùm mundo, carni, Sathanæ, seipsum abnegans, & sic per fidem operans justitiam adipiscetur repromissiones; (*Hebr. 11.*) secundùm verbum Dei dimittetur in pace. Et quia etiam justus septies in diem cadit, (*Prov. 24.*) sit timoratus; timor enim Domini expellit peccatum. (*Eccli. 1.*) Ac ideò dimissio à peccatis per timorem Dei est necessaria. Scimus, quòd nemo possit dimittere peccata nisi solus Deus. (*Marci 2.*) Confitebor adversùm me injustitiam meam Domino, dicit Regius Vates: *Ps 31.*) & tu dimittes impietatem peccati mei. Ecce sic confessio fit ad salutem. (*Rom. 10.*) Sed qui vult sibi à Deo peccata dimitti, debet & ipse dimittere peccata tempestivè. Dissolve colligationes impietatis, imperat per Prophetam Isaiam *cap. 5.* Deus; solve fasciculos deprimentes, utique peccatorum: dimitte eos qui confracti sunt liberos, nempe habitus pravos ad peccandum, & omne onus dirumpe, delictorum conscientiam tuam aggravantium, idque dum tempus est miserendi, (*Psalm. 101.*) ne fortè non audiens vocem Domini & non intendens ei, dimittaris à Deo secundùm desideria cordis tui, (*Psalm. 80.*) ut eas in adinventionibus tuis. O miserum hominum statum! quando illos Deus dimittit in manu iniquitatis suæ, & tradit in desideria cordis eorum, (*Rom. 11.*) tradit in passiones ignominiæ, tradit in reprobum sensum, (*Rom. 1.*) ut faciant ea quæ non conveniunt. Considera opera Dei, ait Ecclesiasticus *cap 7.*) quia nemo potest corrigere, quem ille despexerit. Tunc obdurato corde impius peccata peccatis accumulat, thesaurizans sibi iram in die iræ, (*Rom. 2.*) ita ut cùm in profundum venerit, contemnat: (*Prov. 18.*) tunc irritat Deum in adinventionibus (*Psalm. 105.*) malitiæ suæ. Quid sequitur? Multiplicatur in eis ruina. (*Ibid.*) Omnes qui cæperint, eos tenent, inquit Jeremias *cap. 50.*) nolunt dimittere eos, pravæ nimirum, perversæ, habituatæ in malo consvetudines: nec jam datur magìs horrendum supplicium, quàm cum peccata pœna sunt peccatorum, ipsis ulterioribus planè pedissequis peccatis Deus peccata punit anteriora. O anima sic à Deo dimissa, peccata non dimittens dum tempus est! veniet tempus, ubi non erit tempus ampliùs (*Apoc. 10.*) ubi non tu peccata, sed te peccata circa mortem dimittent. Sed qualem? Dimittent te nudam & ignominiâ plenam (*Ezech. 23.*) in perpetuum. Ac ideò dum tempus est, sta in justitia & timore, (*Eccli. 2.*) effuge peccatum, dimitte illud, require ocyùs per veram pœnitentiam, purificationem. Fili peccâsti, inquit Ecclesiasticus *cap. 21.*) ne adjicias ultrà, sed & de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur.

Accusator sui Justus, Adam excusator.

Timor D.

Confessio.

Habitus pravi.

Dimissio infelix reproborũ.

Incorrigibilitas.

Serâ pœnitentia.

tur. En vera pœnitentia, pro præteritis dolere & orare Deum cum David pœnitente dicendo: *Psalm.* 24.) Dimitte universa delicta mea: & de futuris cavere per timorem Dei, adeòque sic purificari dimittendo peccata, & expetendo ac expectando redemptionem per illum, qui est Filius Dei & hominis, qui habet potestatem dimittendi peccata. (*Matth.* 9.) Ipse enim est propitiatio pro peccatis nostris, (1. *Joan.* 2.) qui venit tollere peccata mundi; (*Joan.* 1.) qui redemit nos à peccatis nostris in sangvine suo. (*Apoc.* 5.) Hic est Christus Domini, (1. *Reg.* 24.) quem si videris per fidem, non videbis mortem peccati. (*Joan.* 8) Hic est ille, quem optabat Moyses & à Deo exposcebat. (*Exodi* 4.) Mitte, quem missurus es, videlicet Messiam. Hic est ille, qui mittendus erat, futurus exspectatio gentium, (*Gen.* 49.) missus à Deo Patre, Deus ipse Filius, missus in mundum, ut salvaretur mundus per ipsum. (*Joan.* 3.) *Nisi* enim *ille fuisset missus*, ait Sol Doctorum Augustinus, *nemo nostrûm esset ab iniquitate dimissus*: Ille qui dimissis nonaginta novem ovibus in deserto relictis, nimirum novem Angelicis choris venit qværere ovem, quæ perierat (*Matth* 18.) hominem peccatorem. Hunc cum Jacobo Patriarcha per piam luctam orationis fortiter apprehende, nec dimittas nisi benedixerit tibi. (*Gen* 22.) Hunc cum Sponsa tene, nec dimitte, donec introducat te in domum matris tuæ, (*Cant.* 3.) in templum Domini, ubi suscipias misericordiam ejus in medio templi (*Psalm.* 47.) per manus Matris Virginis, quæ est medium templi, medium Ecclesiæ, Mediatrix nostra, Refugium peccatorum, purificatione suâ etiam hodie per oblationem Jesu, purificationem peccatorum tuorum faciens. Nonne tunc dicere poteris cum Simeone: *Lucæ* 2.) Nunc dimittis servum tuum in pace? Jam tunc si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, (*Eccli.* 10.) fomes peccati; si supervenerit prava consvetudo, dæmonis suggestio si occurrerit, ne dimittas locum tuum, (*Ibid.*) medium templi, gratiæ Divinæ assistentiam. Ecce sagittæ ultrà te sunt: (1. *Reg.* 20.) adjutorio Christi, auxilio Auxiliatricis Christianorum. Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum: (*Ps.* 63.) vade in pace: Dominus enim dimisit te, ne tibi noceat, (*Gen.* 31.) sed potiùs dimittat te inimicus tuus. Si tamen verè volumus nobis peccata dimitti à Deo, dimittamus & nos debitoribus nostris. Ita dicit ipsa Veritas Christus: *Lucæ* 6.) dimittite & dimittemini; Et addit alibi apud Matthæum *cap.* 6.) Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra: si non dimiseritis, non dimittetur vobis. Et ne superficialiter agamus, asserit alio in loco: *Matth.* 18.) si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris: unde sic nos orare docuit. (*Matth.* 6.) Dimitte nobis sicut & nos dimittimus. En Regula dimissionis peccatorum ex nobis à Deo sumpta & hoc pro justitia. Pro expectatione verò consolationis debemus esse in Statu Apostolico, ut dicere possimus: *Marci* 10.) Ecce nos dimisimus omnia, adeòque ad expectationem Israel solum Deum anhelare tenemur. Et quæ est expecta-

Vera Pœnitentia.

Præsentia DEI.

Necessitas Incarnationis.

Oves Angeli.

Perseverantia.

Medium templi B. V.

Fomes peccati.

Dimittite & dimittemini.

Status Apostolicus.

pectatio noſtra? Nonne Dominus? & ſubſtantia noſtra apud illum eſt. A
(*Pſalm.* 38.) Unde jure omnia dimittere poſſumus, ut ipſum ſolum teneamus, & ſic cum Simeone ex hoc mundo dimitti ad ipſummet poſtulemus. Beata igitur anima, quæ audire meretur: *Lucæ* 13.) Dimiſſa es ab infirmitate tua, cui inquit Jeſus: *Matth.* 9.) Dimittuntur tibi peccata tua, & quia cui minùs dimittitur, minùs diligit; (*Lucæ* 7.) nos quibus dimittuntur peccata multa, diligamus multùm. (*Ibid.*) Stringamus Deum amoris ulnis. O potens amoris proximi vis in Moyſe! ut cogatur Deus dicere: *Exodi* 32) Dimitte me ut iraſcatur furor meus, ut conteram populum rebellem & deleam nomen ejus de ſub cœlo. O prævalens amoris Dei potentia in Jacobo Patriarcha! ut conſtringatur B
Deus urgere: *Gen.* 32.) Dimitte me, jam enim aſcendit aurora. O utinam tam efficax & amoris virtute armata eſſet oratio noſtra ad Deum! quâ iram Dei mitigare poſſemus, ita ut cum aſcendente aurora Maria Solem juſtitiæ (*Malach.* 4.) generante & geſtante requirat Deus dimitti ad benedicendum nobis. Intereà quoad vivimus, petamus dimitti, ut plangamus paululùm (*Job.* 10) in hoc modico tempore vitæ, dolorem noſtrum pro peccatis noſtris. Tædeat tamen animam noſtram vitæ noſtræ, dimittamus adverſùm nos eloquium noſtrum, (*Job.* 7.) ut paucitas dierum noſtrorum finiatur brevi, (*Job.* 10.) & ad exemplum Simeonis facti juſti, timorati, & exſpectantis Dominum ſuum, viriliter agentes & con- C
fortato corde ſuſtinentes eum, (*Pſalm.* 30.) vigilando & orando; poſtquam pepercerit nobis & dimiſerit, ut glutiamus ſalivam noſtram, (*Job.* 7.) guſtum videlicet æternæ beatitudinis in animæ noſtræ interiora transmittamus; guſtantes & videntes, quàm dulcis eſt Dominus: (*Pſ.* 33.) cùm Simeone tandem mereamur dimitti in pace ad cœleſtis pacis & luminis viſionem in unione Jeſu, & Mariæ aſſiſtentiâ, ubi oculis noſtris facie ad faciem (1. *Cor.* 13.) gloriâ Domini ſplendente ſalutare DEI videamus. (*Lucæ* 2.)

Potentia Charitatis in Moyse & Iacob.

Dolor de Peccatis.

Gustus vitæ æternæ saliva.

Sermo in Dominica Quadrageſimæ prima. D

Cùm jejunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus, poſteà eſuriit, & accedens tentator dixit ei. Matth. 4.

DUctum JESUM in deſertum à Spiritu Sancto (laus DEO) parvitas & fragilitas noſtra pro poſſe ſequitur & imitatur non tantùm per hoc, quòd ad deſertum Religionis ſanctæ, imò adſtrictam Clauſtri Regularis ſolitudinem, ubi mundus deſeritur, inſtinctu Spiritûs Sancti ſimus deducti, ſed etiam in hoc ipſo Ordinis & Clauſtri deſerto, conſortio aliorum deſerto & derelicto, intra piæ ſolitudinis ſeceſſum ſtringimur & arctamur. Quid hìc nobis agendum? Proculdubiò exemplo Chriſti jejunium quadraginta dierum & quadraginta noctium nobis eſt obſervandum. *Paucorum hæc virtus eſt*, ait D. Legislator, & *tamen omni tempore,*

Sequela Christi in Desertis, Ordinis & Exercitiorum.

Vita Monachi Quadragesimæ observantia.

A pore, inquit, *vita Monachi quadragesimæ debet observantiam habere.*
Per quadraginta dies & quadraginta noctes omne tempus, totus vitæ no-
Quadragesima myst. ex Decalogi & 4. Evang. legib.
stræ decursus in Religione designatur, ubi per legis Divinæ in Decalogo ma-
nifestatæ & quadruplicis Evangelii cum eo in se ducti regularem custodiam
vera quadragesimæ observantia nos ad apicem summæ ducit perfectionis,
Moyses et Elias
ut cum Moyse in monte Synai facie ad faciem Dei fruentes alloquio, legis
Divinæ plenitudinem adipiscamur: (*Exodi.33.*) cum Elia ad videndum
DEUM, montem DEI Oreb, id est svavem, æterna planè svavitate reple-
tum conscendamus. (*3. Reg.19.*) Sed ad hanc visionem, ad hunc ascen-
sum, jejunium Quadragesimale requiritur. Nonne Moyses quadra-
B ginta diebus & quadraginta noctibus panem non comedit, & aquam non
bibit? (*Exodi 24.*) Nonne Elias in fortitudine panis subcinericii per
quadraginta dies & quadraginta noctes jejunus cucurrit? (*3. Reg. 19.*) Ipse
Filius Dei per jejunium quadraginta dierum & noctium pervenit ad sum-
Gula Originalis Jejunio luitur.
ptionem cibi ab Angelis ministrati. Jejunium eapropter quadragesimale
nobis est necessarium. Nec abs re. Scitis primum Adam comestione
deliquisse, ac se & suam esu cibi interdicti progeniem occidisse? En
secundus Adam jejunio tam diuturno delictum brevis comestionis expiat
& compensat, ac primum hominem cum toto genere suo salvat. Jam
Occasio facit tentationem.
advertite, ad utrumque tentator venit. Quando? Tunc cùm se occa-
C sio tentandi obtulit. Venit mulier curiosa, vidit bonum lignum esse ad
Evæ curiositas perniciosa.
vescendum, pulchrum oculis, aspectu delectabile; (*Gen.3*) accessit serpens
callidus, trahit eam primò ad discursum, deinde ad consensum, demùm
ad tollendum fructum, ut comederet & daret Viro suo. En occasio fecit
furem. Jejunat Jesus quadraginta diebus & quadraginta noctibus, abest
tentator: esurit Jesus, post jejunium accedit tentator. Sic esuries Jesu
corporis fame attenuati occasio fuit tentationis diabolo. Idem nobis ac-
Eva tropol. Caro.
cidit. Data est nobis mulier à Deo, caro nostra depravatum habens ap-
petitum, omnis enim caro corrupit viam suam; *Genes. 6.*) post primum
Fomes peccati.
Adæ lapsum est in nobis fomes peccati, concupiscentia carnis, concupi-
D scentia oculorum, superbia vitæ, (*1. Joan. 2.*) & impetus irascibilis. Esurit
caro nostra, appetit aliquid hujuscemodi, ducitur passione; en occasio
tentationis; accedit tentator, inducit sensum, svadet, allicit, pertrahit ad
consensum, præcipitat ad actum, & sic per insidias tentatoris diaboli se-
quitur mors peccati. Peccatum, dicit Apostolus *Rom.7.*) occasione ac-
ceptâ per mandatum seduxit me, & operatum est in me omnem concu-
Occasio peccati fugienda.
piscentiam. Si occasio peccandi abfuisset, peccatum non adfuisset. O quan-
tâ curâ, quantâ diligentiâ, vigilandum est nobis! ut occasiones ad pec-
candum devitemus & amputemus. Volo autem nullam occasionem da-
re adversario, ait Apostolus *1. Tim.5.*) qui in nobis reperit & de nobis accipit,
Frenū & Camus Mortificatio.
unde nos tentat & perdit. Monet Ecclesiasticus *c. 26*) in filia non avertente se,
firma custodiam; dico ego, in carne nostra frenum abstinentiæ & jejunii, juxta
ac camus mortificationis non tantùm per hanc quadragesimam, sed per to-

tam vitam nostram (*omni tempore*, ait S. Pater noster) adhibeatur, ne inventâ occasione abutatur se. (*Ibid.*) Ac ideò contra Goliath, hunc Gigantem infernalem, manè & vesperi, die ac nocte nos per occasiones impugnantem, quadraginta diebus stare debemus veri Israelitæ; (*1. Reg.17.*) Cum Moyse quadragenarii Ægyptium nobiscum altercantem, & nos injuriantem occidamus. (*Exodi 2.*) Transeant quadraginta dies, ut cadaver hoc corporis nostri præstantissimis jejunii & mortificationis aromatibus condiatur. (*Gen.50.*) Assumamus cum Ezechiele, *cap.4.* imperante Deo) iniquitatem domûs Juda per quadraginta dies, (diem pro anno, ait Deus Prophetæ *Ibid.*diem pro anno dedi tibi) & nostra & aliena peccata cunctis vitæ nostræ diebus & annis per pœnitentiam deleamus. Sit quadraginta dierum & quadraginta noctium diluvium, (*Gen.7.*) mundatio lacrymarum ad diluendas maculas peccatorum. Quiescat arca animæ nostræ à fluctibus hujus seculi quadraginta diebus supra montes Armeniæ, (*Gen. 8.*) supra lucem currentis gratiæ Dei, & emittatur corvus videlicet peccatum, nec unquam ad arcam revertatur. Quiescat terra corporis nostri ab omni malitia quadraginta annis sub Othoniele, (*Jud. 3.*) videlicet hoc tempore Dei acceptabili, hac horâ Dei exoptatâ, hisce diebus salutis, (*2. Cor.6.*) quibus vivimus super terram: sub Debora, (*Jud.4.*) id est Oratorio: nunc enim maximè orationi instare imò semper sine intermissione orare Deum debemus, (*1. Thessal 5.*) vel sub ductrice hâc, nimirum Quadragesimâ: sub Gedeone, (*Jud.6.*) id est conterente & confringente nos pænitentiâ, vel abscissione iniquitatis. Exploremus meditationibus & ascensionibus sacris per hos quadraginta dies terram sanctam, terram promissionis, fluentem lac & mel, (*Num.13.*) & paremus nos per bonam vitam ad possidendam illam, ne increduli, vel rebelles, vel murmurantes in deserto per quadraginta annos, (æternos illos damnationis annos) consumamur & pereamus. (*Num.17.*) Credamus Jonæ Prophetæ vociferanti, columbæ Spiritûs Sancti inclamanti *cap.3.*) Adhuc quadraginta dies, & Ninive, id est pulchra seu speciosa anima, nempe nostra subvertetur, habitaculum hoc Dei. Nam nisi pœnitentiam habuerimus, omnes similiter peribimus, asserit ipsa Veritas Christus. (*Lucæ 13.*) Ante omnia curemus, ne in numero quadragenario perfectionis deficiamus, (*Deut. 25.*) & ad numerum octavum paralytici deducamur. (*Act.9.*) Quia *charitas implet legem*, teste Divo Augustino. Ad plenitudinem legis in omnibus operibus pertinet quadragenarius numerus. In charitate autem duo sunt præcepta, diligere Deum, & diligere proximum. Si ergò quadragenarius numerus habet perfectionem legis & lex non impletur, nisi in gemino præcepto charitatis, utique langvorem maximum teneremus, qui ad quadraginta duo minùs haberemus. Beatos nos igitur, si cum JESU quadraginta diebus & quadraginta noctibus jejunaverimus, tàm in die consolationis, quàm in nocte desolationis; tam in die prosperitatis, quàm in nocte adversitatis, constanter jejunium tenuerimus: idque si ab omni malo, ab omni pec-

Goliath Tentator.
Pænitentia.
Vita Monastica.
Corvus Peccatum.
Debora Oratorium.
Gedeon quid?
Terra promissionis.
Murmurantes.
Jonas Columba.
Ninive quid?
Numerus Perfectionis & Infirmitatis.
Dies cõsolatio. Nox desolatio.

cato,

A cato, à pressurâ flammæ (*Eccli.5.*) carnalis ac tempestate iræ, à fulgure vanæ gloriæ, à labiis linguæ iniquæ, (*Psal.119.*) à verbo mendacii, (*Eccli.51.*) à gulæ illecebris, à spiritu præsumptionis, á philautia, à superbo oculo & insatiabili corde, (*Psalm.100.*) à sensu proprio, à propria voluntate; denique ab omni specie mala si abstinuerimus, (1. *Thess.5.*) felices nos; sic enim solam esurientes & sitientes justitiam, liberati à rugientibus tentatoribus, paratis ad escam, (*Eccli.5.*) de manibus quærentium animas nostras ad devorandum illas per varias tentationes; Angelicum merebimur ministerium, felix Pascha, transitum beatum ex hoc mundo consequemur: perveniemus ad gloriosam resurrectionem, ac tum jejuni, sobrii, justi, pii, emeriti, probati, quadraginta annis cum Davide hic regnantes (2. *Reg.5.*) per servitium

Abstinentia à vitijs quàm fructuosa?

Gloria Cœlestis.

B Dei, per quadraginta dies apparitione Christi (*Act.1.*) frequenti roborati, in sanctissimo Sacramento manna hoc absconditum comedentes quadraginta annis, (*Exodi 16.*) donec ad terram veniamus habitabilem, illam cœlestem, loquentes semper de regno DEI, (*Act.1.*) pasti Verbo DEI, quadragenarii cum Moyse in hoc deserto videbimus Deum in flamma rubi incombusti (*Exodi 13.*) nos per amorem ad se trahentis, absorbentis in se, consumentis nos, perpetuâ esurie & satietate gloriæ suæ nos adimplentis: ubi beati in regno DEI (*Lucæ 14.*) panem illum supersubstantialem manducabimus in æternum.

Manna Sacramenti.

C

Sermo in festo S. Joseph Sponsi B.V.M.

JOseph fili David: loquitur Angelus ad ultimum veteris sed principalem novi Testamenti Patriarcham, & eundem ipsi dat titulum filii David, quem Filio Dei facto filio hominis sacra attribuit Scriptura. (*Matth. 1.*) Nec immeritò; non ideò tantùm, ut de familia David origo Salvatoris agnosceretur, utpote ex desponsatione Virginis Deiparæ factâ cum viro de domo David in eadem cognatione apud Hebræos ex lege Divina fieri solitâ: sed etiam quòd Regii sangvinis hæres Regias patris sui David virtutes repræsentaret, & Christo Domino simillimus, meritò ejusdem Pa-

Filius David, genere & virtute.

D ter putaretur. Joseph igitur sanctus ethymo nominis primò augmentum denotans, quidni verum salutis humanæ tulit incrementum, quando per Divinæ Incarnationis mysterium sibi concreditum, statum humanum immensa Divinæ gratiæ auctione cognovit sublimatum? dum ille conciperetur & nasceretur Jesus, qui salvum facere debuerat populum suum à peccatis eorum. (*Matth. 1.*) Jure primus Patriarcha à Patre Jacobo Filius accrescens bis nominatus est & decorus aspectu, (*Gen.39.*) ut secundus Joseph Patriarcha noster & ipse Jacobo Patre natus verè filius accrescens dupliciter indigetaretur, videlicet filius accrescens ex conversatione exemplarissima Virginis conjugis suæ; filius accrescens ex consortio Altissimi Dei hominis: ut sic exinde omnimodè decorus aspectu cognosceretur tanquam verus Davidis filius, qui & ipse pulcher aspectu, decorâque facie fuisse describitur. (1. *Reg.19.*) Quantum hinc semper Divus hic

Joseph Augmentum.

Filius accrescens, conversatione JESU & MARIÆ.

profecerit Patriarcha & quantum ſumpſerit gratiæ & meritorum augmentum ex tam intima & continua ſummarum orbis Perſonarum JESU & Mariæ cohabitatione, quis explicare poterit? Nonne planè juſti hujus, (ſic enim eum nominat Evangeliſta Matthæus *cap.* 1. Joſeph cùm eſſet juſtus) juſti, inquam, Joſephi ſemita indies crevit quaſi lux ſplendeſcens usq; in perfectum diem? (*Prov.* 4.) Quám congruè idem Evangelicus textus tria hæc nomina conjunxit dicens; *Ibid.*) Mater JESU, Maria, Joſeph? velut tria terræ Numina gradatim á ſummo procedens ad Sanctum noſtrum. Neque enim Jeſu & Mariæ ullus vicinior, ullus ſimilior fuit S. Joſeph, per quem jure merito nobis ad Mariam & Jeſum progrediendum eſt ac aſcendendum, ut & nos per ipſum augmentum gratiarum Dei conſequi poſſimus. Sed quomodo Divus Joſeph filius David, à patre haud degener videamus, imò quo pacto verus virtutum paternarum fuerit hæres & ſucceſſor. Si David fuit Vir ſecundùm cor DEI, (*Act.* 13.) quis Divum Joſephum negabit Virum fuiſſe, quem talem nominat alius Evangeliſta Lucas dicens: *cap.* 1.) Mariam deſponſatam Viro, Viro planè virtutum? Vir enim erat Dei ſanctus, uti Elias; (4. *Reg.* 4.) Vir ſimplex, rectus ac timens Deum, uti Job; (*cap.* 1.) Vir deſideriorum uti Daniel, (*cap.* 9.) deſiderans & exſpectans redemptionem Iſrael (*Lucæ* 1.) per adventum Meſſiæ; Vir prudens, ſapiens, juſtus, Vir conſilii Angelo magni conſilii aſſiſtens: Vir Oriens nomen ejus, (*Zachar.* 6.) augmentum lucis præſeferens: denique Vir Mariæ, & hoc ſufficit. Vir utique ſecundùm cor Dei, (*Act.* 13.) qui uti David fecit omnes voluntates ejus. (*Ibid.*) Paſſus eſt David Saulis (1. *Reg.* 23.) & aliorum perſecutiones (2. *Reg.* 17. & 20.) easque manſvetudine & patientiâ ſuperavit: quidni ſanctus Patriarcha Herodis & Judæorum plurimas expertus inſidias & tribulationes, quas patienter & manſvetè ſuſtinuit, ita ut etiam ad exemplum Joſephi Patriarchæ venditi in Ægyptum, ipſe quoque in Ægyptiacis oris cum JESU & Maria exulare ac deliteſcere cogeretur? (*Matth.* 2.) Fuit David beneficus ergà inimicos ſuos; (1. *Reg.* 24.) haud dubiè filius ejus Joſeph omnes hoſtes ſuos & Chriſti Domini, omni beneficentiâ excepit & tractavit. Stravit Goliathum David: (1. *Reg.* 22.) Joſeph noſter Sathanam terribilem gigantem juſtitiâ ſuâ profligavit. Habuit David filium ſapientiſſimum Salomonem, (2. *Reg.* 12.) qui templum Domini Jeroſolymis exſtruxit: (3. *Reg.* 6.) habuit Joſeph filium putativum, ipſam Dei Sapientiam, qui domum DEI Eccleſiam per totum orbem terrarum ædificavit. Verè filius David erat Joſeph noſter, origine, virtute & ſanctitate; major etiam Patre Davide, tum quia nunquam cecidit ut David, tum quia ipſam Davidi factam repromiſſionem oculis vidit & manibus contrectavit: deſiderium illud collium æternorum, (*Gen.* 49.) quod in benedictione Joſephi Jacob Pater expreſſit. Haud dubiè non abſimilis illi Patriarchæ Joſepho noſter Patriarcha, (*Gen.* 40. & 41.) qui & ipſe felici ſomniorum ſolatio uſus & interpretatione, nec minùs caſtimoniæ puritate inſignis, (*Gen.* 39.) continentiâ

Marginalia: *Juſtus.* — *JESUS, Maria, Joſeph.* — *Vir ſecundùm cor D.* — *Vir Sanctus.* — *Vir ſimplex.* — *Vir Deſideriorũ.* — *Vir Conſilii.* — *Vir Oriens.* — *Vir MARIÆ.* — *Manſvetudo & Patientia.* — *Joſeph in Ægypto.* — *Amor inimicorum.* — *Goliath ſtratus.* — *Filius Patre major.* — *S. Somniator.*

nentiâ longè magis excelluit, quia virgo in ævum permansit, imò creditur primus ad exemplum castissimæ Virginis conjugis suæ virginitatem per votum Deo consecrâsse. Quanta sublimitas virtutum in Patriarcha nostro? quanta dignitas functionis? esse Virginis DEI Matris Sponsum, esse Filii DEI incarnati nutritium, bajulum, imò in hominum reputatione Patrem? Et verè Pater erat non generatione, sed educatione Christi, & ut alter Joseph Patriarcha frumenta pro terra Ægypti & vicinis congregavit & conservavit, (*Gen. 41.*) ita noster frumentum electorum, (*Zach. 9.*) Panem vivũ de cœlo verum, (*Joan. 5.*) universitati totius terræ gestavit & custodivit. Nonne meritò, ut ille sic & iste Salvator mundi vocandus? (*Gen. 41.*) & hoc titulo ad supremum accedens orbis Salvatorem. Et si ille præfectus fuit toti terræ Ægypti; (*Ibid.*) quod nomen Joseph quoque significat; non minùs iste præfectus fuit Illi, cujus est terra & plenitudo ejus, (*Psalm. 23.*) cui data est omnis potestas in cœlo & in terra: (*Matth. 28.*) quandoquidem de eo scribitur: *Lucæ 2.*) & erat subditus illis, Josepho nimirum & Mariæ. Inde nonne verè in ipsum omnes Patriarchæ Josephi benedictiones redundârunt; adeò ut benedixerit ei Dominus benedictionibus cœli desuper, (*Gen. 49.*) quando cœli Regem ut Pater & Præfectus, Reginam cœli uti Vir possedit; benedixerit & benedictionibus abyssi jacentis deorsùm, (*Ibid.*) quando in hac abysso peccatorum tenebrosa, singulare lucis ei contulit patrocinium, quo jacentes in desperatâ abysso peccatorum caliginosorum illuminare queat & sublevare. Credite mihi Patres mei, quòd post JEsum & Mariam magnum Divina providentia Ecclesiæ Sanctæ hìc in terris militanti dederit Patronum, eumque ad nostra speciatim servaverit tempora, ubi devotio ergà ipsum floreat, ut ab hoc Sancto Patriarcha precibus juvaretur, & quod possibilitas nostra (quæ nulla est) non valet obtinere, ejus nobis intercessione donetur. Propter ipsum sanè filium David, uti propter David servum suum multa Deus variis confert beneficia. Ipsius meritis & adjutorio & nos leones rugientes præparatos ad escam, (*Eccli. 51.*) ipsumque Goliathum infernalem suffocare & superare poterimus, & qui supra omnes meruit in agone suo assistentiam & solatium habere JESU & Mariæ, tùm quoque nobis haud deerit; si tamen non tantùm sedulò ac devotè ejus protectionem imploraverimus, sed etiam excellentiam virtutum, justitiæ, castitatis, patientiæ ac mansvetudinis ejus imitari studuerimus. Sit nobis nomen Divi Josephi junctum JESU & Mariæ frequens in ore, frequens in corde, quo audito teste S. Gertrude, *omnes Sanctorum chori in cœlo cum reverentia speciali exultant.* Nec dubitemus nos impetraturos, quidquid vel per hunc Sanctum, vel ab ipso petierimus; quia id sancta Teresia experta est: si tamen illum cum ipsa dignè invocemus & honoremus, cujus honor cedit in honorem JESU & MARIÆ.

Virgo.

Pater put. Christi.

Salvator Mũdi.

Dignitas S. Josephi

Benedictionum compendium.

Patronus Peccatorum, & Ecclesiæ.

Patronus agonizantium.

Imitatio Virtutum.

S. Teresia.

Sermo in festo S. Benedicti.

O*mnis qui reliquerit domum & reliqua propter nomen meum, centuplum accipiet*; affirmat & pollicetur ipsa Veritas Deus. (*Matth. 19.*) Jube Domine benè dicere in Divi Patris nostri Benedicti solennitate, ut nos filii ejus quoque paternâ muniti intercessione & benedictione (si enim dat benedictionem Legislator, tunc itur de virtute in virtutem, donec videatur Deus in Sion, *Psalm. 83.*) à te mereamur benedici. Magna equidem est scientia, benè dicere, benè loqui, benè docere, ut super prædicatores & audientes sequatur Domini benedictio. Diffusa est gratia in labiis tuis, dicit Regius Propheta de specioso præ filiis hominum Christo: propterea benedixit te Deus in æternum. (*Psalm. 44.*) Gratiæ Divinæ profluvium requiritur ad eloquium benè-dictionis. Hanc ardenti voto à Deo exposcamus, ut nobis ad benè dicendum largiatur benedictionem. Qui benè dicit, benè scribit: ut lingva ejus fiat calamus scribæ velociter scribentis. (*Ibid.*) Et hæc est vera Divini Spiritûs unctio, hæc docet de omnibus, (*Marci 2.*) & rectè docuit S. Patrem nostrum Benedictum, qui testimonio Vicarii Christi benè scripsit & præscripsit nobis Regulam discretione præcipuam; utinam à nobis plenariè observatam & observandam! Hic sanè tota Mysticæ Theologiæ scientia, quæ est vitæ in Deo & cum Deo exercitatio spiritualis, brevi compendio tradita; hinc omnis benedictionis fons in eum, qui reliquerit omnia propter Jesum & secutus fuerit ipsum. *Hic ille est*, dicit S. Legislator, *qui abrenuncians propriis voluntatibus* (en relictio omnium, omnia enim reliquit, qui desertis iis quæ habuit, etiam voluntatem habendi deserit) *Domino Christo vero Regi militaturus obedientiæ fortissima atque præclara arma assumit* (en sequela Christi per obedientiam.) Hic est verus Divi Benedicti filius, qui benedictionem centupli accipere meretur. Quanta usura, quantum fœnus pro relictione omnium, centuplo omnium potiri! Hoc planè est nihil habentes, omnia possidentes, (1. *Corinth. 14.*) Tales enim benedictio Domini verè divites facit, (*Prov. 10.*) qui omnia reliquerunt propter Deum. Si Pater & Mater relinquitur, ut homo adhæreat uxori; quantò magis totum relinquendum est, ut adhæreat DEO & unus cum eo Spiritus efficiatur? Nonne propter Creatorem jure merito omnis Creatura relinquenda? Ecquis nollet commutationem facere luti cum auro, abjecti pulveris cum unionibus, terræ vilis cum pretiosis lapidibus? Et tamen cæca mens humana magis inhiat terrenis quàm cœlestibus, magis appetit creata mundana, quàm increata Divina; magis requirit temporalia, quàm æterna: quantumvis hæc sunt vana, transitoria & nociva, illa verò salutifera & permanentia imò perennia. Ingredere benedicte Domini, cur foris stas? (*Gen. 24.*) eo ipso benedictus Divi Benedicti discipulus si ingressus Ordinem ejus ingrediaris te ipsum. Foris stas, quando te extendis ad exteriora, peregrè proficisceris in regionem longin-

Benedictionem dat Legislator.

Magna scientia benè dicere.

Approbatio S. Regulæ.

Theologiæ Mysticæ definitio.

Summa Vitæ Religiosæ.

Centuplum.

Relinquenda omnia propter Deum.

Ingredere te ipsum.

ginquam cum filiò prodigo; ſed jam in te revertere, & tecum habita, ibique Deum in fundo animæ tuæ habitantem intuere. Ut ergò ad hanc relictionem omnium propter Deum accedamus: gradus quales in ipſâ ſunt, perpendamus. Videtur Sathan hos gradus obſervâſſe in Job tentando. Primùm enim ipſi exteriora, boves, aſinos, camelos ſuſtulit, tandem filios & filias, deinde ipſummet in carne ulcere peſſimo percutiens ſanitatem illi ademit. Ita ſanè exteriora mundi, terrena ſubſtantia, poſſeſſiones & his ſimilia extra nos poſita primò ſunt propter Deum ſolum poſſidendum relinquenda. Quid enim? Nonne hæc omnia & caſus uti Job, & mors denique auferet? Nonne ſimul inſipiens & ſtultus peribunt & relinquent alienis divitias ſuas? (*Pſalm. 48.*) Dormierunt ſomnum ſuum, ait Propheta: *Pſalm. 75.*) ſomnum mortis, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis. Si inviti hæc perdimus, cur non liberè & voluntariè propter majus bonum habendum relinquimus? Fide Moyſes reliquit Ægyptum, (*Hebr.* 11.) ut & nos mundum & ea quæ ſunt mundi, vera fide centupli adipiſcendi deſeramus, ſicut ille fide terræ promiſſionis aſſequendæ. Non poteſtis Deo ſervire & Mammonæ, inquit ipſa Veritas Chriſtus: *Matth. 6.*) non poſſumus duobus Dominis ſervire, mundo & Deo. Aut ergò unus odio habendus, id eſt mundus; & alter diligendus, videlicet Deus: quodſi non fit, mundus ſuſtinetur, & Deus (quod abſit) contemnitur, adeoque relinquitur. Quid fiet tunc? vos reliquiſtis me, ait Dominus (2. *Paral.* 12.) & ego reliqui vos in manu Seſac Regis Ægypti cui ſervietis, ut ſciatis diſtantiam ſervitutis meæ & ſervitutis Regni terrarum. Et alibi apud Prophetam Jeremiam *cap.* 15.) Tu reliquiſti me dicit Dominus, retrorſùm abiiſti ad mundum, nempe quem ante reliqueras. Terribile quod ſequitur: (*Ibid.*) & extendam manum meam ſuper te & interficiam te. Scito & fide, quia malum & amarum eſt reliquiſſe te Dominũ Deum tuũ. (*Jer.* 2.) Quantùm lamentatur Moyſes ſuper Iſraelem (*Deut* 32.) Dereliquit Deum Factorem ſuum & oblitus eſt Domini Creatoris ſui creaturas ſectando! Et ipſe Chriſtus Dominus: *Matth.* 23.) Quoties congregare volui filios tuos quemadmodum gallina pullos ſuos congregat ſub alas, & noluiſti. Maluiſti ſequi mundum quàm Deum. Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. (*Matth.* 23.) Relinquis Deum, Deus relinquit te. Jam igitur relinque mundum, ſequere Deum; mundo ſervire, perire eſt: ſervire Deo, regnare eſt. Relictis ita exterioribus mundi & terræ ſequere Divum Benedictum, qui relicta domo rebusque patriis ſoli Deo placere cupiens, ſanctæ converſationis habitum quæſivit. Relinquenda eſt caro noſtra cum paſſionibus ſuis. Hæc eſt abnegatio ſuiipſius exterior. Sanctus Pater noſter dicit de ſui ſequacibus, ut *nemo habeat quidquam proprium, nullam omninò rem, neque codicem, neque tabulas, neque graphium, ſed nihil omninò*; & hæc eſt relictio exteriorum; perinde addit de interioribus, quippe *quibus nec corpora ſua, nec voluntates* (en abnegatio ſui ipſius interior) *licet habere in propria poteſtate.*

Filius Prodigus.

Gradus in Job tentando.

Mammonæ Vanitas.

Dignus relinqui à D. qui D. relinquit.

Abnegatio corporis, & ſui.

Putiphar quid? ſtate. Si proinde caro Putipharica, id eſt ſaginati tauri corporis noſtri rebellis & recalcitrantis nos trahat ad ſe, fugiamus cum Joſeph, ipſum etiam pallium relinqvamus, nuditatis noſtræ memoriam nobis refricantes, nudo ex utero matris egreſſi nudi, (*Job.* 1.) ad alteram matrem terram altricem noſtram nudi regreſſuri: ubi ſubter hanc carnem, quæ nos à Deo conatur abſtrahere, ſternetur tinea & operimentum ejus erunt vermes. (*Iſaiæ* 14.) Jam hic gradus altior eſt, relinquere inter omnia & ſeipſum, ita uti Chriſtus in carne paſſus eſt pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut veſtigia ejus, qui peccatum non fecit, 1. *Petri* 2.) ſequamur nos peccatores, & carnem hanc peccatricem crucifigamus cum vitiis & concupiſcentiis ſuis. (*Gal.* 5.) Supremum eumque maximum gradum, jam credo, animadvertiſtis ex Regula Sancti Patriarchæ noſtri, ubi *à voluntatibus noſtris avertere* nos debere aſſerit, imò illas deſerere. *Da totũ Deo.* Nonne totus manducatur Agnus Paſchalis, nec quidquam in craſtinum relinquitur? Totos nos cum ipſo immolare debemus, totos nos ſequela Chriſti devorare debet, ut relictis omnibus ſimus verum holocauſtum Deo in odorem ſvavitatis; (*Num.* 29.) odoratusque Dominus hunc odorem (*Gen.* 8.) relinquat nobis poſt ſe benedictionem, quæ nos veras divitias in Deo amantes verè divites faciat, ubi & centuplum & vita æterna. Hoc tamen ad- *Charitas potior oblatione.* mirandum, quod nobis imperat Divina Veritas: *Matth.* 5.) Si offers munus tuum ad altare & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habeat aliquid adverſùm te, relinque munus tuum; vade priùs reconciliari fratri tuo & tunc veniens offeres munus tuum. Itanè Domine vis te à nobis relinqui propter hominem? Ita eſt. Amor proximi propter Deum adeò Deo gratus, ut propter illum velit etiam ſuum ſervitium relinqui. Hinc dicitur *Relinque D. propter D.* Deus etiam propter Deum relinquendus: Deus eſt in paupere, Deus eſt in hoſpite, Deus eſt in infirmo; quod his præſtatur, Deo exhibetur. Quidquid uni ex his minimis meis feciſtis, mihi feciſtis; dicit ſupremus Judex. (*Matth.* 10.) Qui habuerit ſubſtantiam mundi, & viderit fratrem ſuum *Ubi Charitas ibi DEUS.* neceſſe habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei eſt in illo? (1. *Joan.* 3.) Ubi charitas, ibi Deus. Ibi in proximo indigente, ſi juvetur, non relinquitur Deus ſed reperitur. Redarguit Deus in Apocalypſi *cap.* 2.) Epiſcopum Epheſi, quòd charitatem primam reliquerit. Charitas *Charitas prima.* prima eſt Dei, & altera huic ſimilis eſt proximi. Qui non diligit proximum quem videt, quomodo diligit Deum, quem non videt? (1. *Joan.* 4.) Si non reconciliatur proximo, quomodo reconciliabitur Deo? qui ita nobis debita dimittit, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Non eſt hoc relinquere munus ad altare, ſed ſeipſum per humilitatem & charitatem Deò gratius munus facere ac ſacrificare; hoc eſt relinquere omnia propter De- *Martyrium.* um, etiam offenſas ergà proximum. Summa poſtremò omnium derelictio eſt, quando propter Deum etiam ipſa vita relinquitur, quod faciunt Martyres. Hanc licet nobis etiam aſſequi, ſi totam vitam noſtram usque ad mortem Deo impenderimus. Sed dicet aliquis: ubi eſt laus Divi Benedicti,

dicti, cujus solennitatem agimus? Sat superque laudatur Sanctus Pater & benè dicitur de ipso, quando membra Ordinis ejus formantur ad benè agendum. Gloria patris filius sapiens: (*Proverb.*10.) gloria Sancti Patriarchæ nostri ingens erit, si juxta Regulam ejus viventes relinquamus infantiam sectatricem mundi, si ambulemus per vias prudentiæ ejus, quas ipse calcavit; & si non reliquerimus sed tenuerimus hoc ipsius iter rectum derelictionis omnium & sequelæ Christi. Hæc est via, quâ dilectus Domini Benedictus ascendit ad centuplum & vitam æternam. Jube ergò S. Pater benè dicere simul & benè facere filiis tuis, ut & benè loquamur, & benè scribamus, & benè agamus: Regulam tuam, verè summæ Theologiæ Regulam tenentes, nec declinemus ad dextram per prosperitatis, illicia nec ad sinistram per adversitatis obstacula, sed recto tramite euntes (semita enim justi recta est, rectus callis justi ad ambulandum (*Isaiæ* 26.) relictis omnibus, ut faciliùs & expeditiùs possimus per viam angustam & arctam portam (*Matth.*7.) progredi & ingredi, sequentes te & JESUM Christum, quem tu secutus es, non dimittamus sed teneamus solum Deum: centuplum accipiamus (*Matth.*19.) cœlestis gloriæ, & vitam in Deo æternam tecum possideamus.

Gloria Patris filius sapiens.

Via S. Benedicti.

Sermo in Dominica Palmarum.

SIt gloria JESU Christo ab omnibus, applaudat ipsi Orbis totus, acclament & accinant universi *Hosanna*, id est *salva obsecro*: benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel.(*Matth.*21.) Ipsi enim soli debetur gloria, (1.*Tim.*1.) qui est Rex gloriæ. (*Psal.*23.) Glorientur de gloria Domini omnes discipuli ejus, & præcedentes & subsequentes procedant obviā ei cum ramis velut Victori & Triumphatori; sternant vestes in tributum, cædant & jaciant ramos Olivarum Regi pacifico in trophæum gloriabundi: nobis autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem nobis sit mundus crucifixus & nos mundo. (*Gal.* 6.) Gloria Christianorum multò magis Religiosorum est crux Christi, in qua est salus, vita & resurrectio nostra. Crux enim primò nos in peccatis mortuos vivificat, & quos lignum scientiæ boni & mali (*Gen.* 2.) in fructu gustatū duplici peremit morte, hos lignum vitæ, arbor Sapientiæ Dei, verè fructu benedicto ad vitam tam animæ quám corporis, temporalem & æternam reduxit. Deinde crux mundo ægro & in variis infirmitatibus langvido salutem attulit, ita ut per crucem sit redemptio nostra copiosa; (*Ps.*129.) in cruce sit robur salutis nostræ, de cruce sanitas gentium & populorum promanet. Crux Christi est illa nostra spes unica, per quam reis donatur venia, justisque augetur gratia. Crux demùm est resurrectio nostra; si enim concrucifixi fuerimus Christo, (*Rom.* 8.) conresurgemus cum ipso: si compatimur, conglorificabimur. Sed ah! quantum à cruce abhorret caro nostra infirma, vetus Adam, natura humana vitiata! Non credamus, quod tantùm gentibus Ethnicis, Paganis & Saracenis Crux Christi sit stultitia; vel Judæis sit origo scandali: (1. *Cor.*1.)

Hosanna quid?

Gloriandū in Cruce D.

Quibus Crux horrori?

(1. Cor. 1.) eſt & Hæreticis & pravis Chriſtianis horror atque abominatio, his qui ſunt inimici veri crucis Chriſti; (*Philip. 3.*) illi nimirum, quorum Deus venter eſt & gloria in confuſione; qui terrena ſapiunt, (*Ibid.*) qui ad cœleſtia ſe non erigunt per crucem. Et tamen uti Chriſtus per mortem crucis debuit intrare in gloriam ſuam; (*Lucæ 24.*) proculdubiò nonniſi per crucis geſtationem uſque ad mortem, ad gloriam ejus tendere ac pervenire poteſt Chriſtianus. Quidni nos qui mortificationem crucis in corpore noſtro & tribulationem crucis in animo tenemur ſemper circumferre? (2. *Cor. 4.*) Felices nos, ſi cum Apoſtolo ſtigmata Domini Jeſu in corpore noſtro portemus; (*Galat. 6.*) ſi communicemus paſſionibus ejus, (1. *Petri 4.*) ſi gloriemur in tribulationibus, (*Rom. 5.*) & tamen non loquamur ſublimia ſed humilia gloriantes. (1. *Reg. 2.*) Ita planè empti pretio magno in cruce glorificemus & portemus Deum Jeſum, nimirum crucifixum ſingulariter in corpore noſtro (1. *Cor. 6.*) Chriſto confixi cruci, (*Galat. 2.*) nihil ſcientes niſi Jeſum & hunc crucifixum. (1. *Corinth.* 2.) Nonne ſic etiam cum illa turba magna, quam nemo dinumerare poterat ex omnibus gentibus, tribubus & lingvis, ſtante ante thronum DEI & in conſpectu Agni (*Apoc. 7.*) obviam ei cum ramis palmarum & olivarum curremus? Imò vel maximè. Quid enim crux, niſi palma victoriæ Chriſti? Aſcendamus in palmam & apprehendamus fructus ejus; (*Cant. 7.*) frangamus ramum, accipiamus pro nobis participium crucis Chriſti: Chriſtum enim ſequentes, noſtram crucem tollere debemus. (*Matth. 16.*) Quis enim totam Chriſti ferre poſſet? ſuam quivis crucem ferat, neceſſe eſt, & ſic gaudeat & glorietur ſe per crucem Chriſti palmam victoriæ conſecutum. Quid ultrà crux Chriſti, niſi mons Olivarum, mons coagulatus, mons pinguis, (*Pſalm. 67.*) ubi Oliva pacis Chriſtus? Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum; (*Epheſ. 2.*) per mortem crucis Deum homini reconciliavit, pacificavit ea, quæ in cœlis & in terris ſunt, pacem conferens hominibus bonæ voluntatis, (*Lucæ 2.*) benè volentibus nempe crucem; quæ carnem ſpiritui ſubjicit, paſſiones rationi facit obtemperare, pravam voluntatem ſano judicio & intellectu ſtringit, adeòque pacem in homine operatur: cum talibus ramis Palmarum & Olivarum itur Chriſto obviam, curritur ad bravium vitæ æternæ, ſalutis veræ & reſurrectionis beatæ. Crux eſt, per quam gloriamur in virtute Dei, quæ etiam eſt crux (*Galat. 6.*) & gloriamur in ſpe gloriæ. (*Rom. 5.*) Hujus gloriæ propoſito gaudio (*Hebr. 12.*) ſuſtinemus cum Chriſto crucem, per quam ſurgit nobis virtus de infirmitate, (2. *Corinth. 12.*) gloria de opprobrio, vita de morte, ut non glorietur in conſpectu Dei omnis caro, (1. *Corinth. 1.*) ſed in lege Teſtamenti Domini ſpiritûs glorietur, (*Pſalm. 39.*) quæ non eſt alia quàm crux. Hæc nobis Teſtamento relicta eſt, ad hanc nos lex obligat Chriſti, ut tollamus crucem noſtram. Sit ergò gloriatio noſtra crux Chriſti, cujus participatio quantò major erit in nobis, tantò ſublimior erit & gloria (*Lucæ 14.*) in Chriſto JESU Domino noſtro, cui ſit laus & gloria per crucem in ſecula ſeculorum. (*Hebr. 13.*)

Crux ſtatûs Monaſtici.

Præmium Crucis.

Sua cuique crux.

Mons Olivarum.

Per Crucem Pax, & Requies æterna.

Sermo

Sermo in festo Paschatis.

Præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis. Matth. 28.

AGnoscamus resurgentem Dominum Jesum Prophetam à Nazareth Galilææ ideoque Nazarenum & Galilæum, floridum & volubilem in glorioso corpore suo & hunc ipsum Angelum Testamenti novi, qui nos præcedit in Galilæam & ducit in locum à Deo nobis paratum, (*Apoc.* 12.) regnum illud cœleste à constitutione mundi nobis destinatum, (*Matth.* 25.) ubi Præcursor pro nobis introivit in sancta æternâ redemptione inventâ (*Hebr.* 9.) Rex Regum & Dominus Dominantium, (*Apoc.* 19.) simul & Pontifex secundùm ordinem Melchisedech (*Ps.* 109.) factus in æternum. (*Hebr.* 6.) Hic ille est, quem in Exodo Deus per Moysen promisit Israeli dicens: *cap.* 33.) Mittam Præcursorem tui Angelum, ut ejiciam Chananæum, id est contritum seu confractum, utique peccati jugum; Amorrhæum, scilicet amarum vel rebellem *carnem*; Hethæum, nempe formidantem aut stupentem *mortem*; Pherezæum, videlicet ruralem, *mundum* vanum & vagum: Hevæum, nimirum iniqvum, sive perversum *diabolum*; Jebusæum, utpote *Infernum* conculcatum: quibus hostibus sublatis intres in terram fluentem lacte & melle, (*Ibid.*) terram promissionis. Hìc magni consilii Angelus præcedens & præcurrens nos in Galilæam vadit, ut ibi resurgens videatur. An ideò, ut Prophetia Isaiæ *cap.* 9.) impleretur & Galilææ gentium populus, qui ambulabat in tenebris, videret lucem magnam Evangelii ibi per Jesum prædicati, & habitantibus in regione umbræ mortis, lux etiam Resurrectionis Dominicæ oriretur? (*Ibid.*) Quia locus conceptionis ejus erat Nazareth, quæ est civitas Galilææ; locus simul educationis & habitationis ejus fuit Galilæa. Joseph enim ex Ægypto redux admonitus in somnis, (*Matth.* 1.) secessit in partes Galilææ & habitavit in Civitate Nazareth. Locus quoque miraculi primi à Jesu patrati erat in Cana Galilææ. Ille ipse locus principalis fuit prædicationis ejus; Jesus namque circuibat totam Galilæam docens in Synagogis ipsorum. (*Matth.* 4.) Hanc & talem Galilæam num eapropter priùs Resurrectionis suæ gloriâ voluit beare? An quòd maximam partem discipulorum ibidem collegerit, unde & ab Angelis sub ascensionem Jesu viri Galilæi, & sub adventum Spiritus S. à populo, hi qui variis lingvis loqvebantur, Galilæi vocati, (*Act.* 2.) ideò suam & eorum patriam hâc placuit felicitate donare? Sit equidem ita. Majus tamen hìc latere mysterium nemo ibit inficias, qui novit in Scriptura juxta mentem Apostoli *Galat.* 4.) aliqua esse per allegoriam dicta. P. R. F. D. speculemur aliquantum visionem Ezechielis *cap.* 1.) & videamus, utrum non optimè conveniat Victori nostro & Triumphatori, & tunc nobis Galilæa manifestetur. Nonne sedens in solio vel curru planè triumphali aut throno, cujus similitudo quasi aspectus hominis desuper, est Jesus

Nazarenus & Galilæus quid?

Præcursor Christus.

Chananæus. Amorrhæus. Hethæus. Pherezæus. Hevæus. Jebusæus.

Patria Christi Galilæa.

Visio Ezechielis allegoricè.

Chriſtus Filius hominis tanquam Rex gloriæ, cujus inſignia & virtutes inſtar trophæorum quatuor animalia ſtipantia currum geſtant & repræſentant? Ita equidem: habet enim quaternas facies Chriſtus, *Aquilæ* velut Verbum Patris; *Hominis* tanquam verus homo; *Leonis* quia eſt Rex vincens planè Leo de tribu Juda, radix David ſuper regnum ejus ſedens; (*Apoc.5.*) *Bovis* ſive *vituli*, ſiquidem eſt ſacrificium & Sacerdos, idque in calce pedum, utpote in fine vitæ offerens & oblatus quia ipſe voluit. (*Iſaiæ 53.*) Hæc animalia vocantur Cherubim multiformem Chriſti ſapientiam denotantia, & ſunt quadriformia non minùs primaria vitæ Chriſti myſteria ſignificantia; humanâ nimirum facie Chriſti Incarnationem & prædicationem; vitulinâ paſſionem & mortem; Leoninâ Reſurrectionem; aquilinâ Aſcenſionem & Spiritus Sancti quaſi Aquilæ in Eccleſiam volantis miſſionem figurantia. Inter tria difficilia eſt juxta Sapientem (*Prov.30.*) in cœlo via aquilæ, quia teſte S. Ambroſio, *Chriſti advenientis in terras ac redeuntis ad cœlos veſtigia comprehendi non poſſunt.*

Tria difficilia.

Via Aquilæ Via Chriſti.

Quatuor pennis alata Cherubim, celeritatem Redemptionis Chriſti & amoris violentiam, quoad pennas autem quaternas virtutum ejus Cardinalium ſoliditatem indigetant. Quod enim quadrum, ſolidum eſt; unde & Civitas cœleſtis Jeruſalem in quadro poſita, (*Apoc.21.*) quia ſtabilis & æterna. Ungula vituli ſeu bovis fortiter pedem figentis ſignat fortitudinem Chriſti in laboribus & doloribus tolerandis; fiſſa ob pedes ejus clavis transfixos & diviſos. Scintillantia Cherubim inſtar æris candentis notant fulgorem Evangelii coruſcantis, & ſonitum ejus, quandoquidem æs ſonorum eſt. Serpens quoq; æneus in deſerto, (*Num.21.*) typus fuit Chriſti crucifixi, qui maximè prædicatur. Aſpectus quaſi carbonum ignis ardentium, quid aliud niſi ardentiſſimam Chriſti charitatem, quâ nemo majorem habuit, (*Joan. 15.*) nobis declarat? Audite, quantum Chriſtus ardebat, & ad crucem ac mortem anhelabat. Deſiderio, inquit *Lucæ 22.*) deſideravi manducare hoc Paſcha, in quo occiſus eſt Agnus. Baptiſmo habeo baptizari, (*Lucæ 12.*) utique proprii ſangvinis copioſâ redemptionè effuſi, & quomodo coarctor donec perficiatur? Sic Deus dilexit mundum, ut Unigenitum ſuum daret (*Joan.3.*) in mortem crucis. Nec minùs ſic ipſe Filius Dei dilexit homines, ut animam ſuam poneret pro ipſis, non amicis (*Joan.15.*) ſed inimicis ſuis. Ubi erat impetus ſpiritûs, illuc gradiebantur, & hìc Spiritus Sanctus eſt charitas impellens Chriſtum ad opus ſalutis humanæ. Non revertebantur nec reſpiciebant retrò dum ambularent ob ſummam Chriſti conſtantiam & aſſiduitatem in opere redemptionis noſtræ adimplendo. Manus quaternæ nonne ſunt ſolidæ & continuæ Chriſti operationes? Amor enim nunquam otioſus, ſed ſemper eſt operoſus. Manus hæ alis velatæ, quia operationes ejus Divinæ ſive Theandricæ carnis aſſumptæ & paſſionis infirmitate tegebantur, ut & nos dona DEI non oſtentemus ſed abſcondamus. Per pennas extentas deſuper, quidni intentio Chriſti ſurſùm tendens, cœlum & ſolum Deum

Quadrum, ſolidum.

Serpens æneus

Deſiderium Crucis.

Amor nunquã eſt otioſus.

Recta Intẽtio.

A Deum Patrem in omnibus actionibus ſpectans figuratur? Porrò quòd animalia ibant & revertebantur in ſimilitudinem fulguris coruſcantis, velocitas & ſplendor miraculorum Chriſti deſignatur & conſpicitur. Hìc ergò Triumphus Chriſti ſic procedentis ſi usquam fuit, certè in Reſurrectione erat ſpectabilis, ubi Apoſtolos ſuos non minùs ſibi conformes eſſe voluit in virtutibus per Aquilinam prudentiam, Humanam juſtitiam, Leoninam fortitudinem & Vitulinam temperantiam; velut cardines terræ futuros, in quo Chriſtum Dominum non tantùm Apoſtoli, ſed & omnes Chriſtiani tenentur imitari: quidni Religioſi ſint conformes imaginis Filii Dei? (*Rom. 8.*) ut ſint quadrifaciales habentes faciem aquilæ in templo

Triumphus Reſurrectionis. Imitatio Chriſti.

Religioſi Quadrifaciales.

B contemplativè orando; faciem hominis in domo humanè converſando; faciem bovis in cella & officina ſtrenuè laborando; faciem leonis ubique contra tentationes fortiter dimicando. Sed rotæ quatuor æquè ut Cherubim quatuor faciebus ornatæ quid indigetabunt? Haud dubiè uti currus & Cherubim Dei majeſtatem, providentiam, regnum & gloriam; ita rotæ Dei æternitatem, celeritatem, immenſitatem & efficaciam in operando ſignificant. Quid ſi rotæ iſtæ poſſint eſſe orbes cœleſtes? Quia currus mundus, Cherubim quoque ſunt Angeli, in quibus orbibus quatuor conſtellationes, Hominis, Aquilæ, Leonis & bovis apparent. Dixerim equidem uti Deus ſua ſtemmata Cherubinis, id eſt Angelis qui orbium

Currus Mundus.

Currus Eccleſia.

C cœleſtium in obſequendo Deo formam gerunt, ita currui & rotis, id eſt Eccleſiæ ſuæ & hominibus velut orbibus terreſtribus communicavit. Angeli enim quaſi Duces hominum in ſe monſtrant, quales eſſe debeant homines ac potiſſimùm Viri Apoſtolici & Religioſi. Rota autem in medio rotæ licet hominum concordiam, ſubordinationem & Hierarchiam Eccleſiaſticam denotet, juxta Divum tamen Gregorium, *teſtamentum novum in veteri adumbratum deſignat, ut Prophetia teſtamenti novi ſit vetus, expoſitio veteris ſit novum teſtamentum:* vel ſecundùm Divum Ambroſium; *Judæa intra Eccleſiam, lex intra gratiam pateſcat*: aut ex ſenſu Divi Hieronymi, *quatuor Evangeliorum conſonantia ac myſteriorum fidei*

Rota in medio Rotæ.

Quatuor Facies.

D *connexio aperiatur.* Sit proinde facies aquilæ fides & agnitio veri Dei; facies hominis ingenui ſit legislatio & liberatio tum corporalis à ſervitute Ægyptiaca, tum ſpiritualis à jugo peccati & tyrannide Diabolica; ſit facies vituli pro Sacerdotio carnali Judæorum & ſpirituali Chriſtianorum, ut quisque in ſe jugulet & occidat, quod animale eſt; vitia mortificando, quatenus vivat tantùm quod eſt ſpirituale: deinde facies Leonis pro regno Judæorum temporali & ſpirituali Chriſtianorum aſſumatur, ut viâ Regiâ crucis ſequamur Regem gloriæ, Dominum virtutum, (*Pſalm. 23.*) ac Regio animo omne malum, ipſos quoque inimicos ſuperemus. Jam credo penetratis, quò tendat diſcurſus noſter, cur in Galilæam præcedat Chriſtus ad ſe monſtrandum? (*Matth. 26.*) Galilæa rota ſeu volubilis interpretatur. Rotæ & volubiles eſſe debemus, ut Chriſtum videamus. Currus triumphalis Synagoga fuerat, cujus rotæ Moyſes, Aaron & reliqui

Currus triũphalis Synagoga & Eccleſia

 Duces,

Duces, Scribæ & legis Doctores participantes quatuor stemmata Redemptoris sui Dei. Currus triumphalis Incarnati Christi est Ecclesia, cujus rotæ Apostoli ac discipuli similiter insignia Redemptoris sui participantes. In rotis velocitas victoriæ & triumphi currentis in orbem universum per prædicationem Evangelii cernitur, quando in omnem terram exivit sonus eorum & in fines orbis terræ verba eorum: (*Psalm. 18.*) ita ut miretur Propheta Isaias *cap. 60.*) Qui sunt isti, qui ut nubes volant? Ad motum Cherubim, id est Angelorum impulsum velut Spirituum administratoriorum moventur rotæ & currus, scilicet Ecclesiæ præcones & fideles. Imò coeli & totus orbis rotæ sunt. Nonne etenim omnia Regna & omnes creaturæ à Deo rotantur, volvuntur & reguntur? Generatio præterit, generatio advenit. (*Eccles. 1.*) Oritur Sol & occidit; (*Ibid.*) nihilque in rebus creatis stabile præter solum Deum omnium Creatorem. Ipsi temporum lapsus volubiles sunt & irreparabiles; non revertuntur. Sumus omnes rotæ in manu Dei, sumus Galilæi, sumus volubiles. Si *Deus est circulus, cujus centrum ubique, circumferentia nusquam* juxta Philosophum: est semper in motu, semper tamen in se quiescens. Si veniens pro salute humana Filius Dei exultavit ut gigas ad currendam viam, & quidem á summo coelo egressio ejus & occursus ejus usque ad summum ejus. (*Psalm. 18.*) Et hìc pertransiit Jesus benefaciendo & sanando omnes: (*Act. 10.*) quidni tu ô homo pro salute tua debes currere viam mandatorum, (*Psalm. 118.*) de die in diem proficere, de virtute in virtutem progredi, (*Psalm. 83.*) & sic currere, ut ad eum redeas, à quo exivisti; per eum qui in Galilæam præcedit, trahens te post se virtutum exemplo, adeoque repetas centrum beatitudinis tuæ Deum, à quo semper movearis & in quo quiescas; sic curras, ut comprehendas? (*1. Corinth. 9.*) Sed spiritus vitæ debet esse in rotis, ut solam Dei gratiam, quæ est vita animæ, spirent & respirent; nec revertantur ambulantes, nec retrò respiciant; & *tales*, ait Sanctus Pater noster Bernardus, *semper eunt in voluntatem Domini perficiendam, nec revertuntur ad faciendum suam. Si jubentur præesse, præsunt in solicitudine; si jubentur subesse, in humilitate: si coesse, in charitate. Si sunt Prælati, sunt sicut Patres ad filios; si subjecti, ut filii ad Patres suos; si conniventes, omnium servos se faciunt.* Hæc Sanctus Pater. Ac ideò ubi est impetus spiritûs, eo gradiendum, spiritu vivendo, spiritu agendo, aliàs aberratur. Dominus regit me & nihil mihi deerit, ait Regius Vates: *Psalm. 22.*) idcircò sequere Deum. Rotæ quoque plenæ sint oculis, imò & animalia. Sic vidit dilectus JESU discipulus in Apocalypsi *cap. 4.*) plena oculis ante & retrò, quia debemus esse circumspecti & vigilantes in hoc corpore cæco, tot miseriis, illecebris & tentationibus subjecto. Audiamus Trismegistum docentem nos. *Oportet*, inquit, *vestem quam circumfers, exuere* (veterem credo hominem) imò corpus ipsum, quod vocat *indumentum inscitiæ, pravitatis fundamentum, corruptionis vinculum, velamen opacum, vivam mortem, sensitivum cadaver, sepulchrum*

Rota universi. — *Omnes sumus Galilæi.* — *Profectus spirit.* — *Gratia D. Vita animæ.* — *Viri Religiosi typus, ex S.* Bernardo. — *Circumspecta Vigilantia.* — *Corporis descriptio ex* Trismegisto.

chrum vertibile, domesticum furem, qui dum blanditur, odit; dum odit, invidet. Et hæc Ethnicus. Quid Christus? Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: (*Joan.* 12.) & hoc ipsum erat Jesus crucifixus mortuus & sepultus. (*Symbol. Apost.*) Sed jam cum gloria resurgens à mortuis non moritur ampliùs, (*Rom.* 6.) sed vivit Deo & multum fructum affert. (*Joan.*12.) Qui amat animam suam, perdet eam; (*Ibid.*) hoc est mortificare membra nostra, quæ sunt super terram. (*Coloss.* 3.) Mortui enim sumus, & vita nostra abscondita est cum Christo in Deo. (*Ibid.*) Si ergò mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? (*Rom.* 6.) Destruatur corpus hoc peccati, ut ultrà non serviamus peccato: (*Ibid.*) non revertamur ad vomitum, (*Prov.*26.) ad terram, ex qua exivimus, cùm ambulamus coram DEO & volumus esse perfecti. (*Gen.*17.) Ideò *circumspecta sit vita Sanctorum*, monet S. Gregorius, *sit oculata, ne sic sit libera, ut superba sit; ne sic sit humilis, ut sit formidolosa; ne sic sit misericors, ut sit effusa.* Sit denique rota in medio rotæ, ut juxta D. Ambrosium, *vita sibi non dissonet, sed consonet; ut in hac vita corporis mortalis, vitæ volvatur usus æternæ, quæ verè est rota.* Sicut enim in hâc nec principium est, nec medium, nec finis: ita nec in æternitate. Utinam ad hanc beatitudinis rotam pertingamus & ad hanc Galilæam Christo præcedente perveniamus, ut Christum videre possimus: ubi lux perpetua lucebit Sanctis & æternitas temporum infinita. (4. *Esdræ* 2.)

Mortificatio ad salutem.

Virtus in medio.

Rota Vitæ æternæ.

Sermo in festo S. Roberti Abbatis.

Hic Primus est pro explicatione Libelli ab Authore compositi & intitulati,

Breve Compendium vitæ spiritualis & devotæ.

Semita justi recta est, rectus callis justi ad ambulandum. Isaiæ 36.

VIta nostra P.R.F.D. via est peregrinantium, via quâ ad patriam tendimus. Quamdiu enim vivimus, peregrinamur à Domino, (2. *Corinth.* 5.) tendentes ad Dominum, nec habentes hic manentem civitatem, futuram inquirimus. (*Hebr.* 13.) Via hæc brevis est. Ecce enim breves anni transeunt, & semitam per quam non revertar, ambulo; dicit Job de se *cap* 16.) Breves planè dies hominis sunt (*Job.* 14) & quasi momentum respectu æternitatis. Beatus, qui in via peccatorum non stetit, quia iter impiorum peribit. (*Psalm.* 1.) Involutæ sunt semitæ gressuum eorum, inquit Job *cap.*6.) ambulabunt in vacuum & peribunt. Quare? quia via iniquorum tenebræ & lubricum, (*Ps.*34.) via impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corruant. (*Prov.*4.) Nonne lux impii extingvetur? (*Job.*18.) & inde sequitur, quod qui in tenebris ambulat, nesciat quò vadat, (*Joan.*12.) arctantur gressus virtutis ejus & præcipitat illum consilium suum. (*Job.*18.) Quid enim? Immisit in rete, nimirum Diaboli, pedes suos, & in maculis ejus, maculis peccatorum, ambulat. (*Ibid.*) Tenetur planta illius laqueo concupiscentiæ, abscondita est in terra pedica ejus, quæ super terram sunt quærens; & decipula illius super semitam. (*Ibid.*) Tenetur visio carnalitatis & hoc

Vita Via.

Via Peccatorum.

hoc est lubricum voluptatis. Incurvantur semitæ ejus, non sunt rectæ, sed pravæ, obliquæ, perversæ, & inde in profundum peccatorum veniens & contemnens (*Proverb.18.*) præcipitatur in abyssum. Avertat à nobis Dominus vias hasce perditionis, quorum finis interitus: (*Philip. 3.*) sed potiùs vias suas demonstret nobis & semitas suas edoceat nos. (*Psalm. 24.*) Viæ Domini sunt rectæ semitæ: viæ ejus pulchræ, & omnes semitæ illius pacificæ. (*Proverb. 3.*) Inde quoque semita justi recta est, rectus callis justi ad ambulandum. (*Isaiæ 26.*) Quis est, qui vellet per circuitus & ambages viarum currere, cùm possit itineris compendio uti, & ad optatum Patriæ cœlestis terminum pervenire? In circuitu impii ambulant; (*Psalm. 11.*) hinc vertigine circumacti præcipites ruunt. Considerate semitas Thema, imperat Deus per Prophetam Job *cap. 6.*) id est consummationis; itinera Saba, nimirum captivitatis: viæ istæ sunt viæ Ægyptiacæ, viæ Babylonicæ, quarum extrema ducunt ad perditionem. (*Matth. 7.*) Jam nos (Deo laus) sumus extra hasce vias, qui educti sumus ex Ægyptiacâ servitute mundi, & fugimus Babylonem, videlicet seculi confusionem & in desertum Religionis sacræ deducti sumus. Quid hic nobis faciendum est? Rectas facite in solitudine semitas Dei nostri, mandat Evangelista Lucas *cap. 3.*) replicat plus quàm Propheta Joannes & ipse solitudinis incola, deserti habitator. Sed quæ hæc semita recta? Respiciamus præcursorem nostrum Divum Robertum Matris Ordinis nostri Cistercii Fundatorem, & vestigiis ejus insistamus. In quoddam nemus, Molismus dictum, secessit primò, posteà ad sylvam Cistercium nuncupatam pervenit. Nonne in utroque & desertum & solitudinem reperit? ita est: ut & nos deserto mundo in solitudine Religionis sacræ maneamus. Jam qualem semitam elegit cum sociis suis votum in Regula habentibus? Nullam aliam, nisi ejusdem Regulæ D. Benedicti observantiam, quam ad literam tanto cum fervore amplexati sunt, *ut nec illius apicem sibi prætereundum putarent*; dicit vita S. Patris. En semita justi P. Roberti recta, rectus callis ejus ad ambulandum. (*Isaiæ 26.*) Recta, quia Regula: recta, quia stricta Regulæ observantia. Et nos quid quærimus ambulare vias difficiles, ut viam Domini ignoremus (*Sap. 5.*) vel perdamus? Habemus breve compendium viæ salutis, compendium consummatum vitæ spiritualis & devotæ in Regula situm. Hanc teneamus nec ab illa recedamus, ne ad calles devios aberremus. Creditisne Deum, qui omnia videt, qui cuncta speculatur, qui scrutatur renes & corda, (*Psalm. 7.*) qui intuetur abyssos, (*Dan. 3.*) non observare semitas nostras, & vestigia pedum nostrorum minimè considerare? (*Job. 13.*) Qui hoc credit, Atheus est. Nequaquam Fratres mei. Respicit Dominus in omnes vias nostras, & funiculos quos tendimus ad rectitudinem servandam investigat. (*Psal. 138.*) cognoscit semitas nostras, rimatur occulta, novit Dominus viam justorum. (*Psalm. 1.*) Custodit rectorum salutem, & protegit gradientes simpliciter, (*Prov. 2.*) servantes semitas justitiæ & vias sanctorum custodientes.

Viæ Domini rectæ.

Thema quid? Saba.

Solitudo sacra.

S. Robertus S. Ord. fundator.

Regula S. stricta Observant.

Compendium vitæ spiritualis.

Novit D. viā Justorum.

tes. (*Ibid.*) Monet ſimul; ut filii lucis ambulate. (*Epheſ. 5.*) Ambulate dum lucem habetis, ne tenebræ vos comprehendant. (*Joan.* 12.) Si viderit nos aliquando deviantes à ſemitis rectis, incurvatas ſemitas noſtras (*Iſaiæ* 59.) adverterit; quid faciet? Abſtrahet (quod abſit) à nobis lumen gratiæ ſuæ. Iſti enim qui ſic declinant à via recta, ſunt rebelles lumini, *Pœna D. in devientes.* (*Job.* 24.) neſciunt vias ejus, nec revertuntur per ſemitas ejus. (*Job.* 16.) Expertus id Job conqueritur: *cap.* 19.) Semitam meam circumſepſit, & tranſire non poſſum & in calle meo tenebras poſuit, ſemitas meas ſubvertit. (*Thren.* 3.) Ecce ego ſepiam viam tuam, minatur Deus *Oſee* 2.) ſpinis difficultatum, tribulationum, deſolationum. Declinâſti ſemitas noſtras à via tua, (*Pſalm.* 43.) repuliſti & confudiſti nos, avertiſti nos retrorſùm poſt inimicos noſtros, lamentatur Regius Vates. *Pſalm.* 42.) Hæc ſunt detrimenta, quando rectitudinem ſemitæ non ſervamus, & Deus facit viam ſemitæ iræ ſuæ juſtiſſimæ (*Pſalm.* 77.) contra nos: ubi in ſemita judiciorum ejus debemus eum ſuſtinere. (*Iſaiæ* 26.) Et tunc tenemur rurſùs interrogare de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, via Patrum *Via Patrum.* noſtrorum, potiſſimùm Sancti Patris noſtri Roberti, ſemita recta & ambulare in ea. Hæc eſt illa via, quâ eâdem ad cœlum dilectus Domini Benedictus aſcendit. Hæc eſt, de qua Propheta Iſaias loquitur *cap.* 35.) Et erit ibi ſemita & via; cùm enim ſemita recta benè teritur, dilatato corde currendo viam mandatorum Dei, (*Pſalm.* 118.) aperitur via amplior, via facilior in compendio & via ſancta vocabitur. (*Iſa.* 35.) Non transibit per illam pollutus, (*Ibidem.*) id eſt peccator. Semita enim juſtorum declinat mala. (*Prov.* 16.) Et hæc erit vobis directa via, ut ſtulti non errent per eam. (*Iſaiæ* 35.) Stultus planè, qui non prohibet pedem ſuum á via mala; (*Pſ.* 118.) ac ideò cum muliere forti conſideremus ſemper ſemitas *Examen Conſcientiæ.* domûs noſtræ. (*Prov.* 31.) Cuſtos animæ ille, in cujus manibus anima ejus ſemper eſt; per examina conſcientiæ ſervat animam ſuam. Semitam ignoravit avis, ait Job *cap.* 28.) homo vanus, vagus, ſuſque deque volitans *Homo vagus Avis.* neſcit ſemitas juſtitiæ; nec intuetur eam oculus vulturis infernalis. Eſt *Vultur Sathanas.* quidem ille coluber in via, (*Eccli.* 16.) ceraſtes in ſemita, (*Geneſ.* 49.) inſidiator calcanei noſtri, (*Gen.* 3.) accuſator fratrum, (*Apoc.* 12.) obſervans greſſus noſtros, ſed eſt alienus à ſemita juſtitiæ; poſt ipſum lucebit ſemita; (*Job.* 41.) non poteſt reſpicere ad viam rectam. Non calcaverunt eam filii inſtitorum; (*Job.* 28.) mundanæ cupiditates procul abſunt, nec pertranſivit per eam leæna, (*Ibid.*) carnalis concupiſcentia. In hac ſemita juſtitiæ vita, iter autem devium ducit ad mortem. (*Prov.* 12.) Hæc *Concupiſcentia Leæna.* juſtitia, via recta. Hæc juſtorum ſemita manet in lumine gratiæ, & quaſi *Studium Perfectionis.* lux ſplendens procedit & creſcit usque in perfectum diem. (*Proverb.* 4.) Novit juſtus, in qua via habitat lux & quis locus ſit tenebrarum. (*Job.* 38.) Nunquid nôſti ſemitas nubium? interrogat Deus Job *cap.* 38.) videlicet magnas & perfectas ſcientias. Semitæ iſtæ nubium, ſunt ſemitæ Apoſtolicæ, qui ut nubes luminoſæ volant. (*Iſaiæ* 60.) Magnificentia enim Dei *Nubes Apoſtoli.*

& virtus ejus in nubibus. (*Pſalm.* 67.) Elevati enim de terra, quæ ſursùm ſunt, quærere debemus: (*Col.* 3.) ſemitæ enim Dei exaltabuntur. (*Iſaiæ* 49.) Cœleſtia petenda ſunt in ſemitis juſtitiæ, in callibus rectis. Oremus ergò

Deſiderium Viatorum. Deum, ſine quo nihil poſſumus. (*Joan.* 15.) Deduc nos in ſemitam mandatorum tuorum, quia ipſam volumus. (*Pſalm.* 118.) Deduc nos ſuper ſemitas juſtitiæ; dirige nos in ſemitam rectam (*Pſalm.* 26.) per Regulam Sanctam, ne unquam claudicemus à ſemitis ejus: perfice greſſus noſtros in ſemitis tuis (*Pſ.* 16.) ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis (*Lucæ* 1.) & charitatis æternæ.

Propoſui vobis aliquando P. R. F. D. *Breve compendium vitæ ſpiritualis & devotæ* pro ſtrenâ, ſed quia video paucorum illud teri manibus, reſolvi me, ut illud magìs per Sermones ſubſequentes enucleem & dilucidem. Ac proinde quivis veſtrûm curet habere in promptu hunc libellum, ut per explicationem noſtram poſſit ex eo ſemitam juſtorum rectam apprehendere, (*Iſaiæ* 26) nec unquam ceſſet aliquis tranſiens per eam, (*Iſaiæ* 33.) ſed ſic currat, ut comprehendat. (1. *Cor.* 9.)

Sermo in feſto SS. Philippi & Jacobi Apoſtolorum,

& Secundus de primo gradu, qui eſt puritas cordis & Intentionis.

Qui videt me, videt & Patrem. Joan. 14.

De via ſpatioſa & arcta. CErtum igitur eſt ac infallibile, vitam noſtram viam eſſe & iter ad cœlum ſemitam eſſe debere. Fidelis enim ſermo (1. *Tim.* 1.) & verbum æternæ Veritatis eſt: *Matth.* 7.) viam ſpatioſam ducere ad perditionem, viam verò arctam eſſe, quæ ducit ad vitam. Quid arctius ſemitâ; ſed & quid rectius, quæ per compendia tendit ad finem optatum? Jam

Terminus ad quem, Viæ, Vita æterna. quicunque ſe viæ committit, utique priùs ſe debet interrogare, quò vadis? (*Joan.* 16.) adeoque terminum viæ ſibi præfigere, & ad illum iter ſuum quám rectiſſimè dirigere. Felix juſtus, quem deducit Dominus per vias rectas, ut oſtendat illi regnum Dei, (*Sap.* 10.) id eſt ſeipſum. Omnes ergò qui hìc in terra vivimus, ſumus viatores. Et quis terminus noſter? vita æterna. Et hæc quid? viſio Dei beatifica. Hæc eſt enim vita æterna, ait ipſa Veritas Chriſtus, (*Joan.* 17.) ut cognoſcant te Deum vivum &

Oculus Fidei. quem miſiſti Jeſum Chriſtum. Id quomodo? Nonne per fidem cognoſcimus, id eſt oculo intellectûs videmus hìc per ſpeculum & in ænigmate? (1. *Corinth.* 13.) Cæcus eſt oculus noſter, obcæcatus eſt intellectus per primigenium peccatum, niſi lumine fidei illuminetur. Credere debemus in lucem, ut filii lucis ſimus. (*Joan.* 12.) Lux venit in mundum (*Joan.* 3.) Chriſtus Filius Dei, ut manifeſtaret ſe mundo & Patrem. (*Joan.* 7.) Qui

Primaria Fidei & Eſſentialia. videt filium, videt & Patrem: (*Joan.* 10.) Filius enim in Patre, & Pater in filio eſt unus cum Patre DEUS. Ita planè primaria & eſſentialia fidei noſtræ myſteria ſunt SS. Trinitas, Pater & Filius & Spiritus Sanctus unus Deus; & Filius Dei incarnatus factus filius hominis. Jam Deum nemo vidit

dit unquam; unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit, ipſe revelavit, (*Joan.* 1.) Dum Moyſes oraret Deum, ut ipſi faciem ſuam oſtenderet; recepit à Deo reſponſum. (*Exodi* 33.) Non videbit me homo & vivet. Quomodo hoc Domine? Ergone ſine viſione tui vita? minimè. Vita æterna eſt in viſione. Vita temporalis eſt ſine viſione. Quid tamen? Poſteriora mea videbis, ait Deus, *Ibid.*) & hæc eſt Incarnatio filii Dei. Poſteriora Dei videre, eſt credere in Jeſum & in eum, qui ipſum miſit Patrem: (*Joan.* 5.) & hoc ipſum eſt videre & Filium, videre & Patrem in Filio & per Filium. Ego, ait namque in Patre, & Pater in me eſt. Nemo etiam venit ad Patrem niſi per Filium; (*Joan.* 14.) nemo Patrem novit, qui Filium ignorat. Ipſe eſt via ad Patrem, veritas Patris, vita cum Patre. (*Ibidem.*) Fidelis proinde debet eſſe viator, & veræ Catholicæ fidei fundamento inniti, adeoque ſic iter ſuum inchoare, ut in lumine fidei ambulet & progrediatur. Et quia per ſemitam incedit, à qua ſi recedit, ruit in præceps; cum magna cautela & cuſtodia debet procedere, ne aliquando cadat. Lapſus hominis peccatum eſt. Tanquam à facie colubri fuge peccatum, monet Eccleſiaſticus *c.* 21.) Peccatum coluber eſt, facilè repens & inſinuans ſe animæ noſtræ; latet in illo ille ſerpens callidus (*Gen.* 3.) & calidus ad nos tentandos ac decipiendos. Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me, conqueritur Rex Sanctiſſimus: *Pſalm.* 17.) Et quæ mors, quis infernus, niſi nos circumſtans peccatum? (*Hebr.* 12.) Undique jacit rete adverſarius: hìc ponit laqueum avaritiæ, ibi pandit filamenta vanæ gloriæ, illic ſuſpendit funes aliorum peccatorum, ſuperbiæ, gulæ, invidiæ, iracundiæ; alibi collocat viſcum voluptatis, pedicas acediæ: undique dolores mortis, ubique pericula inferni. Sed fruſtrà jacitur rete ante oculos pennatorum. (*Prov.* 1) Pennas habere tenetur viator in petrâ fidei exaltatus, quibus poſſit eripi de laqueo venantium, (*Pſalm.* 90.) mundi, carnis, diaboli. Pennæ iſtæ ſunt ſpes & amor. Fiduciâ magnâ in Deo opus eſt, ut eruat animas noſtras de manu inferni. (*Pſalm.* 85.) Niſi enim Dominus adjuvet nos, paulominùs frequenter habitaret anima noſtra in inferno (*Pſalm.* 93.) per peccatum. Ipſe eſt, qui eripere nos poteſt per gratiam ſuam ex inferno inferiori, (*Pſalm.* 85.) qui eſt mortale peccatum; veniale enim poteſt eſſe proximior infernus. Qui cadit in peccatum, cadit in infernum. Et quia humanum eſt labi, diabolicum in peccato perſeverare; juſtus quoque ſepties in diem, id eſt frequenter cadit (*Prov* 24.) ſed mox reſurgit: hoc nobis ſummè eſt neceſſarium, ut per pœnitentiam eo ſtatim momento, quo cecidimus, reſurgamus. Motivum ſurrectionis, motivum contritionis, motivum doloris de lapſu peccati amor Dei eſſe debet. Hìc fides Dei repræſentat ut ſummum Bonum omni amore & honore dignum; hinc dolor conſurgit de Deo ſummo Bono offenſo; inde conteritur anima, odit, deteſtatur, abominatur peccatum velut mortem, velut infernum: ſequitur propoſitum confitendi, ipſa confeſſio; propoſitum ampliùs non peccandi, & ipſa vitæ emendatio. Ibi ſimul

Vita præſens, poſteriora, Vita æterna faciem videt DEI.

Via ad Patrem Chriſtus.

Cautè ambulandum.

Coluber Peccatum.

Pericula inferni, laquei tentationum.

Pennæ Fidelium Spes & Amor.

Infernus inferior peccatum.

Pœnitentia.

Motivum Cõtritionis.

Confeſſio Sacrament.

alâ spei in Deum assurgit, alâ amoris Dei erigit se, & elevatur anima videns Jesum, per merita ipsius petens veniam & requirens. Videns quoque Patrem misericordiarum & Deum totius consolationis; (2. *Cor.* 1) Patrem qui in cœlis est, (*Matth.* 7.) clavi pœnitentiæ aperit sibi cœlum, recipit lumen gratiæ, & viam Regni cœlestis prosequitur dicens: *Psalm.* 114.) Convertere anima mea in requiem tuam, quæ in Deo est; per gratiam ejus stabilita: quia Dominus benefecit tibi per absolutionem & remissionem peccatorum. Eripuit te, ô anima mea! de morte (*Psalm.* 56.) peccati & ad vitam gratiæ reduxit; oculos meos à lachrymis (*Psalm.* 114.) æternæ tristitiæ absterſit, pedes meos à lapsu (*Ibid.*) irreparabilis ruinæ liberavit. Inde placebo Domino (*Ibid.*) habitâ veniâ & perceptâ gratiâ. Jam qui stat, videat ne cadat: (1. *Cor.* 10.) nec dicat in abundantia sua; (*Psal.* 29.) non movebor in æternum: sed in misericordia Dei speret, (*Psalm.* 12.) confidat in Domino, (*Psalm.* 124) & in virtute gratiæ ipsius adjuvantis gressus ponat (*Psalm.* 84.) profectûs sui ac progressûs ad terminum. Si dicit, motus est pes meus; (*Psalm* 93.) agnoscat quia misericordia Domini adjuvabat ipsum. (*Ibid.*) Cum Jove manum move, dicitur vulgò; dico ego cum Deo pedem move, & respice semper Deum: ductorem sequere Deum. Vide Filium te ducentem, vide Patrem te trahentem; cognosce gratiam Dei in te operantem, in hoc lumine gratiæ curre. Sed si vis feliciter cursum consummare, debes priùs bonum certamen certare. (2. *Tim.* 4.) Utique militia est vita hominis super terram: (*Job.* 7.) positus es in medio hostium, undique inimici, etiam domestici: (*Matth.* 10.) sis Philippus, id est bellicosus, tanquam miles Christi prælia Domini debes præliari, (1. *Reg.* 18.) ita ut bravium accipias, (1. *Cor.* 9.) ita ut vincas, quia vincenti datur corona vitæ. (*Apoc.* 2.) Sis Jacobus id est supplantator supplantatoris tui dæmonis, & supplantantis te peccati; per frequentia examina conscientiæ, per firma proposita, per continuâ tui & maximè cordis custodiâ. Sis Jacobus luctator per orationis assiduæ luctam, (*Gen.* 32.) DEI adjutorium implorando, ut possis vocari Israel videns Deum: videns Filium Advocatum apud Patrem, videns Patrem luminum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit, (*Jac.* 1.) ut possis dicere cum Jacobo: (*Gen.* 32.) vidi Dominum facie ad faciem, & salva facta est anima mea. In visione enim Dei salus tua. Videtur frequenter Deus, Fratres mei, in bona oratione; per specialem ejus visitationem gustatur & videtur quàm dulcis est Dominus: (*Psalm.* 24.) & quandoque in meditatione exardescit ignis (*Psalm.* 38.) ille, qui semper ardet & nunquam extingvitur, (*Levit.* 6.) Deus ignis peccata consumens. (*Deut.* 4.) Pro singulari tamen peccatorum cautela servit novissimorum memoria dicente Ecclesiastico *cap.* 7.) Memorare novissima tua & in æternum non peccabis. Quomodo enim peccabo, si cogitavero me omni momento esse obnoxium morti; judicio Dei sistendum, pro malo opere mittendum ad ignem æternum, (*Matth.* 18.) pro bono opere ad cœlum assumendum?

Merita Christi — *Clavis Celi Pœnitentia.* — *Absolutio.* — *Justificationis bona.* — *Timor D.* — *Gratia Dei mecum.* — *Bonū certamē* — *Philippus quis ?* — *Jacobus.* — *Custodia cordis.* — *Lucta Orationis.* — *In visione Dei, salus.* — *Memorare novissima.*

Nonne

Nonne pro malo eligam bonũ, habens mortem & vitam in manu mea,(*Eccli.* 11.) possidens arbitrii libertatem, liberam tenens voluntatem, relictus à Deo in manu consilii mei ? (*Eccli.* 15.) nisi planè sim servus peccati ; (*Joan.* 1.) vel diaboli mancipium, quod Deus avertat. Quomodo peccabo in Deum mihi præsentem, me videntem, in quo vivo, moveor & sum, (*Act.* 17.) in cujus conspectu ambulo , (*Gen.* 24.) qui videt & vindicat peccata quandoq; in ipso peccati actu: qui animam potest mittere in gehennam ? (*Lucæ* 12.) Hoc sanè remedium est ad cavendum peccatum, præsentia Dei, ubi oculi Domini super justos, ut ipsis retribuat; vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. (*Ps.* 35.) Inde consurget timor Dei, qui expellit peccatum, (*Eccli.* 1.) optimus custos animæ nostræ, conscientiæ nostræ & cordis nostri ostiarius ; ipse faciet nos declinare à malo & facere bonum. (*Psalm.* 36.) Et hic est primus gradus, seu initium viæ ad Deum, ad vitam, ad salutem; puritatem cordis habere. Nonnisi enim mundo corde beati , quoniam ipsi Deum videbunt : (*Matth.* 5.) videbunt omnis puritatis Authorem, fontem & originem, Filium & Patrem; videbunt autem simul per puram & rectam intentionem ad Deum porrectam, ut quidquid agunt, cogitant, loqvuntur , id fiat ad augmentum honoris, laudis & gloriæ Divinæ, ad executionem voluntatis ejus, ex solo motivo amoris ipsius : idque offeratur ex affectu totius universitatis per cor Filii Dei Jesu, per cor Matris Dei , per corda omnium Sanctorum, in unione omnium operum meritoriorum Divinæ Majestati acceptorum. Hæc intentio perfectissima recto tramite tendit ad terminum , præservat à malo peccati, ducit ad omne bonum ; & semitam arctam & cœli angustam portam (*Matth.* 7.) reddit compendiosam, donec eundo de virtute in virtutem velut per quosdam gradus videatur Deus Deorum in Sion. (*Psalm.* 83) Oret ergò quisque nostrûm cum Propheta, ut hunc primum semitæ cœlestis gradum firmo gressu terere possit, frequenter suspirando & ingeminando : *Psalm.* 50.) Cor mundum crea in me Deus pro puritate cordis, & spiritum rectum innova semper in visceribus meis per purissimæ intentionis rectitudinem ac directionem.

Præsẽtia Dei.

Custos animæ cordis ostiarius Timor D.

Puritas cordis.

Puræ & rectæ intẽtionis norma & fructus.

Gradatim de virtute in virtutem.

Suspirium pro puritate cordis & intẽtionis.

Sermo in Inventione S. Crucis,

Et Tertius de secundo gradu, qui est Humiliatio sui ipsius.

Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit. Joan. 3.

VIator Christianus lucernam ardentem fidei gestans in manu sua , in fide nihil hæsitans , fide vivens, liber à peccato, mundo corde præditus, spe & amore alatus, ad solum Deum tendens, unicum Deum videns & respiciens, solius Dei honorem ac gloriam intendens , soli voluntati Divinæ attendens , declinans à malo peccati & faciens bonum (*Psalm.* 36.) justitiæ, lumine gratiæ Dei prælucente semitam cœlestis Patriæ graditur pede inoffenso : si ita dirigit cum Joanne viam Domini,

Prævia ad gradum secũdũ vita spiritualis.

Vallis Negligẽtiæ, Mons Superbiæ, Prava Ambitionis, Aspera Elationis. Vallis Humilitatis.

(*Joan.* 1.) ut omnis vallis negligentiæ per diligentiam impleatur & omnis mons superbiæ ac collis præsumptionis humilietur, (*Lucæ* 31.) sintq; prava ambitionis in directa, & aspera elationis in vias planas, (*Ibid.*) adeòque proculcatis æstimationis & amoris suiipsius arduis, planam humilitatis vallem eligat ad ambulandum. Noluit hâc viâ ire Rex super universos filios superbiæ, (*Job.* 41.) sed maluit alta sapere dicens: *Isaiæ* 14.) Ascendam, super astra exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti.

Lapsus Luciferi.

Infelix Lucifer, quàm meliùs priùs descendisses; nemo enim in cœlum ascendit nisi qui descendit, (*Joan.* 3.) humiliando se sub potenti manu Dei, (1. *Petri* 5.) & locum novissimum tenuisses, (*Lucæ* 14.) ut diceretur tibi: (*Ibid.*) ascende superiùs. Nunc decidisti de cœlo, (*Isaiæ* 14) nec adjicies ut resurgas. (*Psalm.* 40) Sed eheu! non solus cecidit tenebrio, verùm

Ruina Protoparentum.

etiam protoparentes nostros in eandem secum ruinam traxit, callidi serpentis formam indutus, svadens fructu interdictæ arboris præsumptuosam ambitionem, eritis sicut Dii; (*Gen.* 3.) & persvadens esum: in abyssum malorum per similem sui superbiam totum genus humanum præcipitavit; fecitque paradiso extorrem. Et sic homo privatus arboris vitæ fructu, per arborem scientiæ boni & mali (*Ibid.*) in mortem corruit, & ascendere volens ad similitudinem Dei, in regionem longinquam & dissimilitudinis descendit: (*Lucæ* 29.) & jacuisset perpetim, nisi Filius

Descensus Filij DEI.

Dei misericordiâ motus (*Lucæ* 10.) descendisset & humiliâsset se, obediens factus usque ad mortem crucis, (*Philip.* 2.) hanc novam vitæ arborem erigens & exaltans, per quam ad cœlum detur ascensus. Qui namque descendit ad inferos descendens de cœlis, ipse est & qui ascendit super omnes cœlos. (*Ephes.* 4.) Quod enim ascendit, quid est nisi quia & descendit; primùm in inferiores partes terræ. (*Ibid.*) Quandoquidem qui se humiliat, exaltabitur; (*Lucæ* 18.) adeoque nemo ascendit ad cœlum per gratiam & gloriam, nisi qui descendit per humilitatem. Sed quàm aptè in li-

Lignũ Crucis, Arbor Humilitatis.

gno crucis arborem humilitatis constituit, veram Patris sui plantationem: in quo ipse benedictus fructus & lignum vitæ, (*Prov.* 11.) nobis per mortem propriâ, vitam germinaret. Non potuit bona arbor humilitatis, nisi bonũ vitæ fructum facere, (*Matth.* 3.) sicuti mala superbiæ arbor pessimum mortis fructum progeneravit. Egressus est Christus Dominus velut flos ex radice Jesse, (*Isaiæ* 11.) id est Entis, flos planè; existens simul fructus ho-

Jesse quidē

noris & honestatis, (*Eccli* 24.) cujus Mater Virgo humillima & ipsa virga de radice Jesse (*Isaiæ* 11.) fructum hunc benedictum ventris sui producens. (*Lucæ* 1.) Et quæ radix nisi humilitas? Verè Ens, existens, essentiale ad

Radix Humilitas.

salutem & vitam æternam. Utique respexit Deus humilitatem Ancillæ suæ. (*Ibid.*) Radix in profundo est, abscondita, terrâ obruta: ita humilitas in imo, in infimo subsistit, obruta humo multiplicis humiliationis. Vultis genuinam humilitatis arborem videre? Gradus humilitatis à S. Le-

Gradus Humilitatis Reg. 8.

gislatore nostro descriptos respicite, & hoc quod pro primo gradu posuit, radicem sumite: quod in duodecimo gradu, summitates ramorum pensate.

ſate. Conſideremus ergò primum gradum, qui eſt timor Dei, ubique nobis præſentis, nos reſpicientis; & fuga ſeu evitatio peccati etiam in cogitationibus & malis deſideriis propter eandem Dei præſentiam nos ſemper & ubique intuentis. Cernite, quàm optimè hìc primus humilitatis gradus cum primo noſtro ſemitæ cœleſtis gradu conveniat. A timore enim Dei initium ſapientiæ Divinæ ſumendum, (*Eccli.* 1.) ſicut ab arbore ſcientiæ boni & mali (*Gen.* 3.), ſine timore Dei ruina noſtra manavit: & per timorem Dei expellendum peccatum, (*Eccli.* 1.) ut arboris noſtræ in abſcondito mundi cordis jaciantur fundamenta & radices figantur. Et quia origo peccati propria voluntas, quàm apprimè gradui primo ſuccedit alter, propriæ voluntatis extirpatio, & tertius procedit conſequenter, alienæ voluntatis per obedientiam executio. Nonne ipſe Filius DEI deſcendens de cœlo venit facere non voluntatem ſuam, ſed voluntatem ejus, á quo miſſus erat, Patris. (*Joan.* 6.) Siccine nos detrectabimus noſtras proprias frangere voluntates & Superiorum ſubdere beneplacito: ubi Filius Dei non tantùm Patris cœleſtis voluntati paruit, ſed etiam terrenis parentibus ſubditus eſſe voluit? (*Lucæ* 2.) *Intoleranda ſuperbia eſt*, ait mellifluus Pater noſter, *ubi Majeſtas ſumma humiliatur, ibi terræ vermiculus infletur & intumeſcat.* Exinanivit ſe Dominus Majeſtatis, adhucne exaltabit ſe pulvis, (*Gen.* 3.) inane, nihilum? (*Iſaiæ* 40.) Non eſt hæc plantatio DEI ſed diaboli, cui per ſuperbiam & inobedientiam homo fit conformis, qui per humilitatem & obedientiam eſt Deiformis. Et ne arbitremur obedientiam in levibus, facilibus & gratis debere exerceri, ita ut placentia nobis loquantur (*Iſaiæ* 30.) & imperent Superiores; additur quartus gradus: obedientia in duris & aſperis, difficilibus & ingratis: quæ ne nos ad impatientiam inducant, adjungit injuriarum tolerantiam, per quam arbor humilitatis velut palma preſſa creſcit & ſurgit in altum. Placet videre hæc in Filio Dei? Obediens usque ad agonem amariſſimæ Paſſionis, usque ad mortem ignominioſiſſimæ crucis, (*Philip.* 2.) quidni & ſummè patiens? & quæ comparatio cum noſtra obedientia & patientia? quàm procul diſtat? quantùm exaltantur cœli à terra. (*Iſaiæ* 55.) Tot jam gradibus fundata & elevata humilitatis arbor progreditur ultrà quinto loco ad revelationem conſcientiæ ſuæ Superiori & ſinceram confeſſionem. Hic jam rami majores extenduntur, hìc verè humilitas practicatur, hìc notabilis peragitur profectus. Nihil enim magis in nobis ſpiritus malignus affectat, quàm ut occultemus defectus noſtros, celemus in ſinu iniquitatem noſtram & abſcondamus tanquam aurum peccata noſtra: (*Job* 31.) ſciens quod ſi confiteamur adverſùm nos injuſtitiam noſtram, tunc remittitur impietas peccati noſtri. (*Pſalm.* 31.) Hoc maximè adverſarius noſter peroptat, ut malum ſit occultum, ne ipſi poſſit remedium adhiberi. Humilis autem Frater (*Jac.* 2.) fatetur ingenuè infirmitatem ſuam, & imperfectum ſuum agnoſcit: (*Pſ.* 50.) ac ideò Deus ipſi & Superior loco Dei ignoſcit. In hàc porrò agnitione ſui ſubſiſtens, aſcendit altiùs, quævis vilia & abjecta acceptando; ſeipſum

Timor DEI præſentis.

Nexus graduū.

Obedientia Chriſtiformis.

In duris obediendum.

Confeſſio ſincera, diabolo exoſa.

Humilis Frater.

Acceptatio viliorum.

ut jumentum & nihilum æſtimando. (*Pſalm.* 72.) Quàm pulcher hìc ramus noſtræ arboris! ſed & alter ex oppoſito, ſui infrà omnes abjectio, ſupra omnes humiliatio, amor contemptûs ſui dicendo: ego autem ſum vermis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis, quod Propheta de ipſo Dei Filio prædixit. (*Pſalm.* 21.) In octavo porrò gradu aperitur communis vitæ & regulæ obſervantia, ubi excluditur ſingularitas in veſtitu, in victu, in cubiculi ſplendore, in rerum abundantia vel ſatiùs ſuperfluitate. Humilis enim in communitate vivens, communibus contentus eſt; omnibus ſe accommodat: communitati ſe in omnibus conformat, omnimodam colens paupertatem. Ita planè Filius Dei vixit inter homines tanquam unus ex illis, converſatus cum hominibus, communi modo vivendo, legem in omnibus adimplendo, non ſolvendo; (*Matth.* 5.) & ſummam paupertatem præſeferendo. Accedunt ad hos ramos jam clariora germina, lingvæ coercitio per amorem ſilentii, viſûs proſcriptio per modeſtiam, & ſi neceſſe ſit loqui, ſermo tantùm ad ædificationem, (1. *Corinth.* 14.) prolatus in humilitate; denique exterior corporis compoſitio, ut ubique tam in geſtu & habitu, quàm in demiſſione oculorum clariſſima humilitatis virtus hiſce duodecim gradibus exaltata in altitudinem & amplitudinem florentium ramorum provehatur & eluceſcat: in ipſaque eorum ſummitate pateat effectus radicis abſconditæ humorem vitalem ramis ſubminiſtrantis. Poteſt enim juxta Eccleſiaſticum *cap.* 19.) aliquis etiam nequiter ſe humiliare exteriùs ad apparentiam hominum, interiora autem ejus poſſunt eſſe plena dolo. (*Ibid.*) Verus autem humilis non vult talis videri ſed eſſe, ac vilis ab omnibus reputari. En arbor vitæ, arbor humilitatis gradatim à radice ſua in altum tendens, & veræ virtutis virorem atque vigorem manifeſtans: ac velut radix omnium malorum eſt ſuperbia, (1. *Timoth.* 6.) ita humilitas per omnes virtutum gradus progrediens, eſt velut mater earundem, cunctas generans & in ſe complectens virtutes. Per hanc vir beatus erit tanquam lignum plantatum ſuper aquas (*Jerem.* 31.) Spiritûs Sancti. Hic enim ſuper neminem niſi ſuper humilem quieſcit, (*Eccli.* 43.) ad cujus gratiæ humorem mittit radices ſuas: (Humilibus enim Deus dat gratiam *Jacobi* 4.) & non timebit cùm venerit æſtus (*Jerem.* 31.) Judicii Divini, qui ſuperbis tantùm reſiſtit (*Jacobi* 4.) & demergit eos ad infernum usque. Conſcenſis igitur hujus vitalis arboris gradibus, ad fructum vitæ qui eſt charitas Dei, illa quæ perfecta foras mittit timorem (1. *Joan.* 4.) pervenietur. Quis non credet ſe in Paradiſo conſtitutum, per talem humilitatis ſtatum? Quis non verâ vitæ arbore ſe frui cenſebit, proſcriptâ arbore ſcientiæ boni & mali, (*Geneſ.* 3.) uti ſuperbiæ auctrice, fomite peccati, & mortiferæ perditionis fonte? Ex ſuperbia enim mors, ex humilitate vita, quam ſupremus humilitatis Magiſter Chriſtus diſcendam à ſe imperavit dicens: (*Matth.* 11.) diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde. Corde primariò, geſtu ultimariò. Digniſſimum Chriſtiano quidni Religioſo

Abjectio ſui infra omnes.

Vita cõmunis.

Amor Silentii.

Modeſtia.

Veræ humilitatis fructus.

Perfecta Charitas.

Magiſter humilitatis Chriſtus.

ligioso studium, studium humilitatis, per quod ad summum ascenditur perfectionis gradum. Nemo namque ascendit in cœlum, nisi qui descendit (*Joan.3.*) etiam usque ad inferos ipsis damnatis se æstimans indigniorem. Qui se ita summè humiliaverit, summè exaltabitur, adeoque sicut in cruce, humilitatis, ita in humilitate, est vera inventio crucis, quæ post secundum semitæ cœlestis gradum perfectissima est in tertio gradu, qui est abnegatio sui ipsius, de quo Deo dante aliàs. Nunc profectus & progressus noster, ascensio nostra, exaltatio nostra sit in crucis humilitate & humilitatis cruce cum Christo JESU Domino nostro instar serpentis ænei, (*Num. 21.*) utique prudentissimi & saluberrimi, quia venenum, malitiam & calliditatem serpentis igniti infernalis auferentis, in cruce exaltato.

Vera inventio Crucis in Humilitate.

Humilitas crucis & crux humilitatis.

Sermo in Ascensione Domini,

& Quartus de tertio gradu, qui est abnegatio sui ipsius.

Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. Marci 16.

A Summo cœlo egressio Domini nostri exultantis ut gigas, quia & Filius Altissimi, (*Lucæ 1.*) & ipse Altissimus est, (*Eccli.1.*) per descensum humilitatis ad currendam viam crucis, (*Psalm. 18.*) eâdem viâ nos ducentis usque ad mortem in cruce, post gloriosam resurrectionem; jam hodie per triumphalem ascensum & occursum usque ad summum cœli, nimirum ad dexteram Patris coronatur. Ecce præcursor ante nos, ante faciem nostram Christus Dominus & in viâ monstrando nobis ac ipsemet terendo iter vitæ, semitam salutis; & ad Patriam cœlestem trahendo nos, clamat ad nos; (*Matth.16.*) Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me usque huc. Videtur hoc ipsū Apostolis suis hodie dicere. (*Marci 16.*) Qui crediderit, hoc est qui venerit post me per fidem; & baptizatus fuerit, id est, abnegaverit semetipsum & crucem suam tulerit, salvus erit: sequetur me usque ad Patriam cœlestem. Primus enim baptismi actus est abrenuntiatio (nonne idem quod abnegatio?) Satanæ (*Eccles. in form. Bapt.*) tanquam capitalissimi hostis Divini & nostri, cum quo nobis colluctatio est, (*Eph.6.*) & perenne bellum; & omnium pomparum ejus; (*Eccles. in form. Bapt*) hæ sunt mundi vanitates, dignitates & divitiæ; & omnium operum ejus, (*Ibid.*) hæ sunt voluptates carnales & malitiæ actuales. Et ista sunt, quæ abnegare tenemur extra nos & in nobis ipsis, ut tertium semitæ cœlestis gradum conscendamus. Jam hìc ad prælium vocamur: tanquam milites Christi (*2.Tim.2.*) ad arma excitamur, ad arma lucis animamur: (*Rom.14.*) absque certamine enim gravi, nulla perfici potest vera nostri abnegatio. Sed quæ baptismi cum abnegatione connexio? Magna equidem: sicut enim per baptismum sordes animæ, quæ sunt peccata, abluuntur; ita per abnegationem immunditiæ mundanæ, terrenæ, & carnales, quæ sunt pec-

Descensus & ascensû præcursor Christus.

Vox Ascendentis.

Abnegatio sui, Baptismus.

catorum occasiones animam fœdantes, absterguntur & abjiciuntur. Primò igitur exteriora, per quæ tentamur à Satana; posteà interiora, quibus impellimur, sunt abneganda. Exteriora sunt; opes, honores, voluptates, nimirum ea, quæ in mundo sunt, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum & superbia vitæ. (*1. Joan.* 2.) Ab his cor mundum Deo soli intentum & verè humiliatum (*Psalm.* 50.) Viatoris Christiani tenetur abstinere, imò hæc missa facere & planè iis dare libellum repudii; hæc à se penitùs eliminare: ut per arctam viam & angustam portam (*Matth.* 7.) nullo onere præpeditus possit pertransire. Et sanè nonne hic omnia sunt transitoria, vana, caduca cum prætereunte figura mundi, (*1. Cor.* 7.) cum labente cursu vitæ, cum mortis articulo, in momento, in ictu oculi (1. *Cor.* 15.) pereuntia: onerantia magis hominem, quàm honorantia? Cur hisce perituris adhærendum vel innitendum, nisi fortassè ut fiat remora, retardatio progressûs viæ; imò occasio regressûs, apertaque ruina? Amore Creatoris omnis affectus ad creaturam est proscribendus, totum cor Deo dandum pro holocausto; aliàs si divisum erit inter Creatorem & creaturam: nunc, id est eodem momento, tunc interibit. (*Osee* 10.) Exemplo Apostoli *Gal.* 6.) mundus nobis crucifixus esse debet, & nos mundo. Maledictus enim, qui pendet in ligno (*Galat.* 3.) unde & nos maledictum mundo, & mundus nobis anathema sit (*Galat.* 1.) necesse est, per ejusmodi crucifixionem. Huic exteriori mundi abnegationi accedit proprii corporis & sensuum abdicatio, per quam oculos habendo non videamus, aures habendo non audiamus, nares habendo non odoremus, manus habendo non palpemus, palatum habendo non gustemus, lingvam habendo non loquamur, pedes habendo non ambulemus. (*Psalm.* 113.) Paradoxa hæc sunt, sed sancta ab ipso Divinæ Sapientiæ fonte manantia, quæ dicit. (*Joan.* 12.) Qui amat animam suam, perdet eam; & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Et alibi: *Matth.* 16.) qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. Paradoxa hæc explicat nobis præclarè Sanctus Ægidius socius Sancti Francisci Laicus dicens. *Si vis benè videre, erue oculos tuos & esto cæcus. Si vis benè audire, esto surdus. Si vis benè loqui, esto mutus. Si benè ambulare, abscinde tibi pedes. Si benè operari, mutila tibi manus. Si benè amare, habeas te odio. Si vis benè vivere, te mortifica.* Hoc ipsum est mortificare membra, quæ sunt super terram (*Coloss.* 3) & mortificationem Christi in corpore suo circumferre. (2. *Cor.* 4.) Major hæc est abnegatio, ubi non tantùm mundus sed & caro crucifigitur, (*Gal.* 5.) & hoc sonat mandatum Christi. (*Matth.* 16.) Abneget semetipsum, id est suas sensualitates, suas inclinationes, suas passiones, inter quas duæ potissimùm in nobis prædominantur, irascibilis & concupiscibilis; quibus remedium antiqui dedêre Philosophi illo Symbolo; *sustine & abstine.* Irascibilis abnegatur per sustinentiam injuriarum virtute mansvetudinis & patientiæ. Concupiscibilis per abstinentiam appetitûs carnalis virtute castitatis & pudicitiæ.

Abnegãda exteriora & interiora.

Motiva ad abneg. exteriorũ.

Abnegatio corporis & sensuũ

Paradoxa salutaria S. Ægidij.

Abnegatio vitiosarũ passionum.

Sustine Abstine.

A dicitiæ. Maxima autem abnegatio eſt proprii ſenſûs & propriæ voluntatis, & hoc verè eſt abnegare ſemetipſum in interioribus animæ, exire á ſeipſo, ut eatur in Deum. Quia *niſi quis á ſemetipſo deficiat*, inquit D. Gregorius Magnus, *ad eum qui ſupra ſeipſum eſt, non appropinquat: nec valet apprehendere, quod ultra ipſum eſt, ſi neſcierit mactare quod eſt.* Notemus verbum *mactare*, occidere nimirum in nobis veterem hominem, ut novus exoriatur. Mori debet vetus homo, ut novus reſurgat. Mortui enim eſtis, ait Apoſtolus *Coloſſ. 3.*) & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto crucifixo & per Chriſtum crucifixum; ac ideò jam non ego vivo, ſed vivit in me Chriſtus, (*Galat. 2.*) non alius niſi crucifixus. Neque aliud arbitratus ſum me ſcire inter vos, niſi JESUM & hunc crucifixum, inquit idem Vas electionis: 1. *Corinth. 2.*) & juremeritò, cùm etiam quicunque baptizati ſumus, Chriſtum induimus, (*Rom. 6.*) empti pretio magno glorificare ac portare ipſum tenemur (*1. Cor. 6.*) & in corpore noſtro, & in anima noſtra. Baptismo habeo baptizari, ait Chriſtus Dominus: *Lucæ 12.*) ubi Baptismum vocat ſuam paſſionem & mortem in cruce, in quam demergendus erat, juxta illud Prophetæ Regii: (*Pſalm. 68.*) infixus ſum in limo profundi & non eſt ſubſtantia, veni in altitudinem maris & tempeſtas demerſit me. Et quomodo coarctor, proſequitur Salvator noſter, (*Lucæ 12.*) usque dum perficiatur? Quantum deſiderium patiendi, moriendi, abnegandi ſe, corpus ſuum, & ſangvinem ac animam, nimirum vitam ponendi pro homine. Exemplum dedit nobis, ut & nos ita faciamus. (*Joan. 13.*) Deſiderio deſideremus (*Lucæ 22.*) baptismum pœnitentiæ, ut ſit velut mare contritio noſtra, (*Thren. 2.*) ut nos ſemper pœna teneat crucis Chriſti; compatiendo & paſſionis illius veſtigia ſequendo, crucifigendo carnem noſtram cum concupiſcentiis ſuis, (*Galat. 5.*) memoriam crucis & mortem ipſius continuam ſervando, ut totus nobis figatur in corde, qui totus nobis fixus fuit in cruce: ut etiam conſepulti ſimus ei in baptiſmo & in morte. (*Coloſſ. 2.*) De hoc baptismo interrogavit Dominus diſcipulos ſuos ambitioſos; (*Marci 10.*) utrum poterint baptismo, quo ipſe baptizabatur, baptizari; non alio ſanè niſi baptismo proprii ſangvinis, baptismo paſſionis & mortis in cruce. Et nos quicunq; baptizati ſumus, in morte ipſius baptizati ſumus. (*Rom. 6.*) De Iſraelitis, inquit Doctor gentium, (*1. Cor. 10.*) quòd omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari; & primus Eccleſiæ Paſtor ait: *Ep. 1. cap. 2.*) Omnes animas ſalvas eſſe factas per aquam. Quod & vos, proſequitur idem *cap. 3.*) nunc ſimilis formæ ſalvos facit baptisma: non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deo per Reſurrectionem JESU Chriſti, qui eſt in dextera Dei, deglutiens mortem, ut vitæ æternæ hæredes efficiamur. (*Ibid.*) En coronis baptismatis noſtri ſpiritualis per abnegationem, vita æterna: ſed quam mors ſpiritualis præcedat opus eſt; mors Pharaonis & Ægyptiorum in aquâ, in mari. (*Exodi 14.*) Quidquid Pharaonicum, Ægyptium in nobis eſt, abnegetur, demergatur

Abnegatio proprii ſenſûs & voluntatis.

Mactãdus vetus homo noſter.

Baptiſmus Crucis.

Amor Crucis.

Baptiſmus Pœnitentiæ.

Babtiſmus in Moyſe.

Aquæ usq; ad animam.

in profundum, in abyssum, & vivat tantùm Israeliticum, ut simus solum videntes Deum. Intraverunt aquæ usque ad animam meam (*Psalm. 68.*) utique aquæ tribulationum, quas ferre & nobis inferre debemus; aquæ lacrymarum, quibus baptizemur per pœnitentiam. Triplex est baptismus, fluminis, flaminis & sangvinis; & hi tres testimonium dant in terra, Spiritus, aqua & sanguis: (*1. Joan. 5.*) & hæc unum sunt. Baptismus aquæ vel fluminis in regeneratione nostra, quando facti sumus renati baptismate, absolutus est. Baptismus sangvinis nonnisi per martyrium vel carnale, vel spirituale peragitur. Spiritualis noster baptismus sangvinis, spirituale martyrium per veram abnegationem sui ipsius, & resignationem ad quævis patienda, ipsam quoque nostri mortificationem & crucifixionem adimpletur. Baptismus flaminis seu spiritûs ad idem tendit. Et quidem juxta Apostolum, (*1. Corinth. 12.*) omnes nos in uno spiritu in unum baptizati sumus. O utinam baptizet nos omnes Dominus JESUS, qui baptizat in Spiritu Sancto, (*Joan. 1.*) & igniat baptismo Spiritus sui ignei, quem venit mittere in terram! & quid vult nisi ut ardeat? (*Lucæ 12.*) hoc igniente Spiritu nos inflammet ad plenam non tantùm abnegationem nostri, sed consumptionem & annihilationem, ut nihil nostri in nobis vivat: sed totum Dei, totum ipsiusmet JESU Christi crucifixi. Nihil hìc quæramus, nihil faciamus, nihil appetamus, quod est super terram, (*Coloss. 3.*) tam hanc formalem, quàm istam materialem carnem nostram. Recedamus totaliter à terra, bonum certamen certantes, fidem servantes, (*2. Tim. 4.*) (Qui crediderit) abnegantes nosmetipsos, (*Matth. 16.*) (& baptisatus fuerit,) ad salutem æternam anhelantes, (salvus erit. *Marci 16.*) Sequamur præeuntem in cœlum Salvatorem nostrum, ita ut conversatio nostra tantùm in cœlis sit, (*Philip. 3.*) ac tandem fiat in consummatione cursûs (*2. Timoth. 4.*) beata cœlorum apprehensio cum utroque Statu Ecclesiastico & Politico, cum Sacro Ordine & Monasterio nostro, cum animabus in agone & igne purgatorio constitutis, & optata in cœlis habitatio in vitam æternam.

Baptismus fluminis. Baptismus sangvinis. Abnegat. Martyrium. Baptismi Flaminis desiderium. Abnegationis sui typus. Caro terra.

Sermo in festo Pentecostes,

& Quintus de quarto gradu, qui est Amor DEI super omnia propter semetipsum & proximi sicut sui ipsius propter Deum.

Si quis diligit me, sermonem meum servabit. Joan. 14.

Corpus aggravat animã ad terrenorum amorem.

HOmo quoad corpus è terra, quoad animam è cœlo originem ducens, peccati ex carne orti pondere pressus, spiritu plenus animali, adeò deorsùm ad terram fertur, ut & venter ejus adhæreat terræ, & mens terrena sapiat; (*Philip. 3.*) nec ad cœlum oculos, multominùs sursùm cor possit levare, & animam queat ad cœlestia reducere: nisi magnâ spiritus Divini ac cœlestis vehementiâ & violentiâ trahatur, à terra abstrahatur, ad cœlum attrahatur. Ita planè corpus hoc quod corrumpitur, aggra-

aggravat animam & terrena inhabitatio ſenſum cœleſtia cogitantem ita deprimit; (*Sapient.* 9.) ut cogatur anima exclamare: (*Rom.* 7.) Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Hìc ſanè neceſſe habet homo ponere in pulvere pœnitentiæ os ſuum, ſi fortè ſit ſpes liberationis; (*Thren.* 3.) & infixus in limo profundi (*Pſ.* 68.) de profundis (*Pſ.* 129.) poſſit adjicere, ut reſurgat (*Pſ.* 40.) per ſpiritũ contribulatum, per cor contritũ & humiliatum. (*Pſ.* 50.) Inde à terra reductus puſillum, incipit abyſſum ingredi nihili ſui ad humiliandum ſe magìs in conſpectu Dei: (*Jacobi* 4.) agnoſcit ſe vallatum abyſſo (*Jonæ* 2.) peccatorum, donec abyſſus miſeriæ ipſius, invocet abyſſum (*Pſalm.* 41.) miſericordiæ Divinæ, per quam eripitur anima ex inferno, nec datur Sanctus per gratiam Dei videre corruptionem (*Pſal.* 15.) peccati. Notas facit ipſe Deus vias vitæ, (*Ibid.*) deducitque illum ſuper ſemitas juſtitiæ, (*Pſalm.* 22.) adeoque ab elemento terreno & aqueo ad ſublimius, nimirum aereum abnegationis ſui elevat elementum, ut jam liber à peccato, inter mortuos liber, (*Pſalm.* 87.) incipiat gaudere ſpiritûs libertate: (2. *Corinth.* 3.) donec à terra, à mundo, à ſeipſo abſtractus evolet ad libertatem filiorum Dei: (*Rom.* 8.) animaque erepta de laqueo venantium (*Pſalm.* 90.) convertatur ad requiem ſuam, (*Pſalm.* 114.) quæ eſt Deus, per charitatem. Et hæc eſt quartus ac ultimus gradus viæ & vitæ ſpiritualis: hoc ultimum ac ſupremum elementum quod eſt ignis. Deus porrò ignis eſt, (*Deut.* 4 & *Hebr.* 12.) Deus charitas eſt, (1. *Joan.* 4.) ac ideò qui charitate ignitus eſt, jam non tantùm Deo proximus, ſed etiam Deo unitus eſt, & fit Deiformis ac Deo conformis. Hic eſt Spiritus Sanctus, qui in linguis igneis apparuit hodie, (*Act.* 2.) per quem charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris. (*Rom.* 5.) Ipſe qui eſt nexus Divinitatis per amorem, per eundem hominem Deo innectit, ita ut homo adhærens Deo per charitatem, unus ſpiritus ſit cum eo. (1. *Corinth.* 6.) Jam probatio veræ dilectionis, exhibitio eſt operis. Si diligitis me, ait ipſa Veritas Chriſtus: *Joan.* 14.) mandata mea ſervate. Et hodie; ſi quis diligit me, mandata mea ſervabit. (*Ibid.*) Confirmat idipſum dilectus JESU diſcipulus: Qui ſervat verbum ejus, inquit *Ep.* 1. *cap.* 2.) verè in hoc charitas Dei perfecta eſt. Omninò qui habet mandata Dei & ſervat ea, hic eſt qui diligit Deum. (*Joan.* 14.) Sed quæ ſunt mandata ejus? Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, totâ animâ, tota mente, ex omnibus viribus tuis; hoc eſt primum & maximum mandatum; (*Matth.* 22.) ſecundum autem huic ſimile eſt: diliges proximum tuum ſicut teipſum: in his duobus mandatis univerſa lex pendet & Prophetæ. (*Ibid.*) Denique finis præcepti eſt charitas. (1. *Timoth.* 1.) Ergò quando ita diligo Deum & proximum uti præcepit mihi Deus, ſermonem ejus ſervavi, mandatum cuſtodivi, verbum ejus & legem totam implevi. Videte Fratres mei, culmen vitæ ſpiritualis, cernite ſupremum vitæ terminum; advertite coronam, coronidem & conſummationem omnium virtutum, charitatem nempe Dei, & proximi amorem. Charitas equidem omnium virtutum

Humilis ad Deũ recurſus.

Libertas ſpiritûs.

Requies animæ Deus per charitatem.

Charitas Ignis.

Probatio veræ dilectionis.

Mandata Dei.

Culmen vitæ ſpiritualis charitas.

Major virtutū Charitas.

tum excellentissima est, quia Deum attingit, ut in ipso sistat; & si proximum diligit, non diligit eum, nisi propter Deum. Charitas omnium virtutum forma est perfectissima, quia per ipsam omnium virtutum actus ad debitum & ultimum finem Deum diriguntur, nec potest absque illa ulla virtus simpliciter vera esse; nec pœnitentia sive contritio puritatem cordis vel intentionis inducens sine charitatis Dei motivo valida; nec humiliatio sui vel abnegatio charitate Dei carens proficua seu efficax est. Unde ante omnia, super omnia, in omnibus hæc unicè curanda, hæc intimè est requirenda. Sed qualisnam charitas, ista esse debet? sit unica, ut solus Deus; sit intensissima, ut toto animæ affectu; sit appretians, ut super omnia; sit intentissima, ut propter ipsummet Deum Deus diligatur. Hæ sunt quatuor rotæ Amoris: in istis rotis est spiritus vitæ, quæ, ubi est impetus spiritûs, illuc gradiuntur. (*Ezech.* 1.) Si spiritu DEI vivendum; charitate vivendum est: quia spiritus DEI charitas est. (1 *Joan.* 4.) Quanta felicitas ejus, qui manet in charitate, quia in Deo manet & DEUS in eo! (*Ibid.*) Ita planè Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. (*Joan.* 14.) Missus enim Spiritus Filii Dei in corda nostra clamat: (*Galat.* 4.) Abba Pater, ut simus Filii DEI (*Rom.* 8.) cum ipso Patrem invocantes, Patrem amantes. Sicut enim patrum ergà filios, ita filiorum ergà patres maximus amor esse debet per reciprocationem. Porrò motivum Amoris Dei ipse Deus est, tanquam unicum sum̄um & perfectissimum Bonū, fons & origo tam Boni quàm Amoris. Modus autem amandi Deum est sine modo, sine mensura, sine fine diligere: quia charitas nunquam excidit: (1. *Corinth.* 13.) & in via & in patria manebit in æternum. Quis non agnoscet in hoc quarto gradu se terminum viæ attigisse, in Patriam appulisse; cœlum ipsum conscendisse: ubi civitatem Dei amor Dei facit? Beatitudo enim cœlestis in visione Dei, & amore ejus consistit, & exinde plenitudine & perfectione gaudii coronatur. Sed fortassè dicet aliquis; si solus Deus amandus, quomodo cum Deo proximus diligendus? Omninò compatiuntur se isti amores, ita ut unus sine alio esse nequeat; imò unum idemque sit uterque Amor. Proximus enim tanquam frater, tanquam alter homo, tanquam nos ipsi amandus est in DEO propter Deum: velut Dei imago & similitudo, Dei redemptio, Dei sanctificatio, templum Spiritus Sancti, (1. *Thessal.* 4.) gratiæ Divinæ gazophylatium, gloriæ Divinæ Sanctuarium. Si quis diligit me, sermonem meum servabit, ait æterna Sapientia. *Joan.* 14.) Atquì sermo ejus est; (*Joan.* 6.) *hoc est mandatum meum, ut vos diligatis invicem*: si nos diligimus invicem, asserit ejusdem Sapientiæ Cancellarius, (*Epist.* 1. *cap.* 4.) Deus in nobis manet, & charitas ejus in nobis perfecta est. Et hoc mandatum habemus á Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. (*Ibid.*) Ergò si quis dixerit: diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. (*Ibid.*) Inseparabilis est charitas & una est, Deum ac proximum diligere; quæ tantò major, tantò altior, tantò similior & gratior

Charitatis qualitates.

Quatuor Rotæ Amoris.

Fructus Charitatis.

Motivū Amoris Dei, Deus; modus, sinè modo.

Amoris DEI & proximi nexus.

Deo eſt, ſi tendat & extendat ſe etiam ad inimicos. Et hoc eſt præceptum Domini. (*Matth.5.*) Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos; orate pro perſequentibus vos, ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cœlis eſt. Unde ſi quis diligit Deum, & hunc ſermonem ſervabit. (*Joan.14.*) Quàm difficilis, quàm ardua virtus inimicorum dilectio! & tamen in hac eſt ſumma perfectio & filiatio Dei, eſt imitatio Dei & ſequela Chriſti. Qui dicit ſe in ipſo manere, debet ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare. (*1. Joan.2.*) Hoc igitur ſit Pentecoſte noſtrum, aſcenſus in montem Sinai; hic per ſemitas deſerti recurſus ad terram promiſſionis; hoc ſit Jubileum noſtrum, ſemper Divini Amoris jubilum canere, Spiritu Sancto agi, ardere charitate, igne Amoris Divini inextingvibili ſuper altari cordis noſtri æſtuare, & ſic breve compendium vitæ noſtræ ſpiritualis perficere in charitate. Ignis Amoris, qui ſemper ardes in Deo & nunquam extingveris; (*Lev.6.*) veni Sancte Spiritus, Ignis Charitas, accende corda Chriſtianorum in utroque ſtatu tam Politico quàm Eccleſiaſtico; inflamma corda Religioſorum ſigillatim in Ordine & Monaſterio noſtro, ut omnes verum ignem charitatis in ſe gerant ſemper, ac per illum ſermonem DEI cuſtodiant. Præſta, ut & Animæ agonizantes & purgantes ſalvæ fiant per hunc ignem charitatis Dei æternæ.

Amor Inimicorum facit filios Dei.

Pẽtecoſte myſticum, & Jubilæum.

Aſpiratio ad Spiritũ S. pro dilectionis fervore.

Sermo in feſto SS. Trinitatis,

& Sextus de prima Devotione, quæ eſt ergà Deum Trinum & Unum.

DEO gratias, P. R. F. D. DEO gratias iterùm, & iterùm dico DEO gratias, in honorem Sanctiſſimæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritûs Sancti, quæ eſt Unus DEUS noſter & Dominus. Ille verus DEUS, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, (*1. Cor. 8.*) cui ſoli ante omnia, omnis debetur cultus, potiſſimùm latriæ, imperante ipſo DEO: (*Matth. 4.*) Dominum Deum tuum adorabis & illi ſoli ſervies. Jam verò Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare. (*Joan. 4.*) Veri ergò adoratores ſpirituales ſint neceſſe eſt, ut ſpiritu vivant, ſpiritu ambulent, (*Gal. 5.*) ſpiritu agant, adeoque ipſi Deo ſe conforment per vitam ſpiritualem, quæ prima pars eſt brevis Compendii noſtri demonſtrata per quatuor gradus; ubi cognovimus, quæ ſit via bona & ſemita recta ac perfecta ad vitam æternam. Reſtat pars altera explicans nobis, qualisnam in hac vita debeat eſſe principalis devotio noſtra, & ad quos, ubi primò & primariò SS. Trinitatis Dei noſtri cultus patet propoſitus, isque nullus alius quàm Latriæ, id eſt ſervitutis, euſebiæ, pietatis, & veræ Religionis: quæ fit per adorationes, proſtrationes, orationes, oblationes, ſacrificia, ac potiſſimùm fidei proteſtationes. Hujus fidei tanquam primæ virtutis Theologicæ & fundamentalis Actus frequentiſſimè eliciendi ſunt; Juſtus enim ex fide vivit, (*Galat.3.*) & ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. (*Hebr. 11.*) Idque vel maximè ideò, quòd magna

Dei O. M. prædicata.

Spiritualiter vivendũ Deo.

Cultus Latriæ & Euſebiæ ſoli DEO.

Fidei actus frequentandi.

pars orbis Ethnici & Judaici SS. Triadem minimè agnoſcat & confiteatur, quòd plurimæ hæreſes fuerint & exiſtant Myſterium SS. Trinitatis impugnantes; & ut ſic noſtris actibus fidei & hæreſum infidelitas & Paganorum Saracenorũ nec non Judæorum perfidia ſuppleatur. Actus ſpei non minùs frequentandi, qui miſericordiam Dei infinitam reſpiciunt. Super omnia autem charitatis exercitio & amoris Divini motivis omnis devotio noſtra ad SS. Triadem excolenda. Nonne hæc Trias virtutum Theologicarum optimè Divinæ Trinitati correſpondet? Nonne ex illa reliqui virtutum internarum Actus, qui integri ſunt in Opuſculo expreſſi, velut ex fonte originem ducunt? Qui enim credit, qui ſperat, qui amat DEUM Uni-Trinum, ſemper reſpiciet illum, ubique ſibi præſentem habebit, nunquam à laude ejus ceſſabit, continuum honorem ipſi exhibebit, gloriam ejus prædicabit, omne refugium ſuum ad illum faciet, adjutorium ipſius in omnibus poſtulabit; denique continuorum beneficiorum memor, quæ à Deo omni momento percipit, gratiarum actionis holocauſtum nunquam non immolabit. Et quidem Apoſtolus obſecrat: 1. *Tim.* 2.) primùm omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, ut non tantùm pro nobis, ſed & pro aliis oremus & Deo gratias agamus. Deinde nihil ſolicitos nos eſſe debere aſſerit, (*Philip.* 4.) ſed ut in omni oratione & obſecratione cum gratiarum actione petitiones noſtræ innoteſcant apud Deum. Et quidem ipſemet hunc cultum gratitudinis ſæpiùs exercet; jam dicens: *Philip.* 1.) gratias ago Deo meo in omni memoria veſtri: jam affirmans; (*Epheſ.* 1.) non ceſſo gratias agere pro vobis memoriam veſtri faciens in orationibus meis: ſed & alios jam admonet: (*Coloſſ.* 4.) orationi inſtate vigilantes in ea in gratiarum actione: gratias agentes ſemper pro omnibus in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Deo & Patri. Jam exhortatur: (*Coloſſ.* 3.) Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti facite gratias agentes Deo & Patri per ipſum. Denique alibi ſubinfert: 1. *Theſſal.* 5.) In omnibus gratias agite; hæc eſt enim voluntas Dei in Chriſto Jeſu in omnibus vobis. Creditur ipſa Mater Dei Virgo nihil frequentiùs quàm hoc gratitudinis ſignum DEO GRATIAS ingeminâſſe. Idem de Tobia refert Scriptura: *cap.* 2.) quòd in timore DEI permanſerit agens gratias Deo omnibus diebus vitæ ſuæ. Hoc Eccleſia orat in hymno: flagrans & in laudem Dei grates rependat debitas. Quin etiam in cœlo Canticum principale continet in medio gratiarum actionem, videlicet benedictio & claritas & ſapientia & gratiarum actio, honor, virtus & fortitudo Deo noſtro in ſæcula ſæculorum: (*Apoc.* 7.) verè digniſſimum Canticum à nobis quoque hìc in terra ſæpiùs iterandum. Unde & alibi in Apocal. inclamat *cap.* 11.) Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens, qui es, qui eras & qui venturus es reſpectu temporis præſentis, præteriti & futuri, Divinam Trinitatem recolentes per Verbum DEI incarnatum, manifeſtatum, & manifeſtandum. Imò in illa cœleſti Jeruſalem, quid

Actus Spei.

Actus Charitatis.

Cultus Trinitatis, & invocatio.

Gratitudo.

Canticũ Gratiarũ actionis.

A quid erit nisi gaudium & lætitia invenientur in ea juxta Isaiam *cap.* 51.) gratiarum actio & vox laudis. Et ideò docet Vas electionis, (*Ephes.* 5.) ut in ore nostro non resonet turpitudo aut stultiloquium, aut scurrilitas, quod ad rem non pertinet, magìs autem gratiarum actio ; ut semper & corde & ore præferamus Deo gratias : illi Deo, à quo omnes gratiæ profluunt & derivantur, á quo omne datum optimum & omne donum perfectum, (*Jacobi* 1.) quö nullum majus, Dei gratiâ. Qui proinde vult Dei gratiam adipisci, semper dicat Deo gratias , ut possit à Deo gratiam pro gratia (*Joan.* 1.) promereri : ut gratia abundans juxta Apostolum 2. *Cor.* 4.) per multos in gratiarum actione abundet in gloriam Dei. Uni & soli gratiarum
B actioni multiformis gratia Dei (1. *Petri* 4.) confertur. Neque multiplicitas magna actuum requiritur in cultu Divino per virtutes , quandoquidem idem Doctor Gentium testatur; (2. *Corinth.* 9.) quòd potens sit Deus omnem gratiam abundare facere in nobis : & paulò infra , *v.* 10.) quòd multiplicabit semen nostrum & augebit incrementa frugum justitiæ nostræ, ut in omnibus locupletati abundemus in omnem simplicitatem (non multiplicitatem) Qualem ? talem, inquit, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo. Quoniam ministerium hujus officii (liberalitatem in pauperes sic nominat) non solùm supplet ea, quæ desunt sanctis, sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino. Ubi ipsemet con-
C cludit *v.* 15.) Gratias Deo super inenarrabili dono ejus. Gratiarum actio porrò fieri debet SS. Trinitati, in qua vivimus, movemur, & sumus, (*Act.* 17.) & quæ nobis adest per essentiam, præsentiam & potentiam ; tribus digitis omnipotentiæ , sapientiæ & bonitatis suæ appendens molem terræ : (*Isaiæ* 40.) ut semper, ubique & in omnibus Deo gratiæ persolvantur; quandoquidem semper, ubique & in omnibus gratiæ à DEO percipiuntur. Hæc gratitudo nostra ergà Deum trahit secum aliarum omnium virtutum concentus, potissimùm autem amorem, honorem , laudem, & gloriam quam Deus alteri non dat, (*Isaiæ* 48.) sibi soli reservat in vero Latriæ cultu. Hæc gratitudo aperit thesauros gratiarum, tangit viscera miseri-
D cordiæ Dei, fontem Divinæ bonitatis sugit, divitias gratiæ ejus (*Eph.* 1.) adipiscitur. Ita sanè qui Deo Patri & Filio & Spiritui Sancto gratias refert sigillatim, speciatim quoquè à Deo Patre & Filio & Spiritu Sancto gratiis repletur. Inde hujus numeri ternarii Mystici singularis ratio habenda, ut in actionibus nostris practicè per virtutum eluceat specimina, SS. Trinitatis memoria ; & in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti fiant omnia ad gloriam earundem Trium Personarum augendam & ad voluntatem illarum exequendam : quæ uti unius Dei nomine terminantur, ita unius gloriæ earum incremento, & unius voluntatis ipsarum adimpletione coronentur. Fidelis igitur quisque fide vivens & per breve mundi & recti, humiliati & abnegati ac Deum Uni-Trinum amantis cordis semitam progrediens non Pharisaico (quod absit) supercilio Deo gratias agat , quòd non sit sicut cæteri hominum, (*Lucæ* 18.) sed spiritu Apostolico, gratitudine Christi-

Simplicitas.

SS. Trinitati debetur omnia

Gratitudo aperit thesauros Gratiæ.

Observantia mystici ternarij.

Qualis debet esse gratiarum actio.

Christianâ, religioso cultu debitam Deo reddat gratiarum actionem dicens cum Propheta. (*Psalm.* 115.) Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, nimirum, in hostiam pro gratiarum actione, in sacrificium laudis me ipsum illi immolabo, & nomen Domini Trisagium Sanctus Sanctus Sanctus invocabo; (*Ibid.*) & licet a. a. a. Domine Deus nescio loqui, (*Jerem.* 1.) væ tamen mihi si tacuero. (*Isaiæ* 6.) Clamantibus omnibus DEO GRATIAS, clamabo & ego nec cessabo; quasi tuba exaltabo vocem meam. (*Isaiæ* 58.) Cantabo SS. Triadi Deo meo nunc & in æternum (cui Oliva specialiter dedicata) hostiam vociferationis: (*Ps.* 26.) cantabo, & canticum DEO GRATIAS semper dicam. (*Ibid.*) Benedicam Dominum in omni tempore: (*Psalm.* 33.) cantabo Domino in vita mea, (*Psalm.* 145.) psallam Deo meo Uni-Trino quamdiu fuero; (*Ibid.*) dicens semper DEO GRATIAS.

Trisagium.

Sermo in festo SS. Corporis Christi,

Et Septimus de secundâ Devotione, quæ est ergà JESUM Incarnatum, Crucifixum, & in SS. Sacramento Eucharistiæ constitutum.

Hoc facite in meam commemorationem. Lucæ 22.

Summa bonitas Dei, Incarnatio Filij DEI.

POst mysterium SS. Trinitatis, cui nos oportet esse devotos, primarium obtinet locum mysterium Incarnationis Filii Dei, in qua summa Dei ergá hominem elucet bonitas & charitas immensa. Sic enim DEUS dilexit mundum; (*Joan.* 3.) Quem mundum? Num hunc, qui cœlum & terram complectitur? Minimè. Non hunc magnum mundum sed parvum nempè hominem, qui non minùs corpore terram, animâ cœlum præsefert, dilexit: qui tamen huic mundo immundo adhærebat & totus mundanus, vanus, omnibusque mundanæ vitæ vitiis repletus erat. Nihilominùs etiam talem hominem sic dilexit, ut Filium suum Unigenitum daret. (*Joan* 3.) Sed & Filius Dei sic dilexit inimicum hominem, imò ejus dilectione majorem nemo habuit, nec habet, ut animam suam poneret, (*Joan.* 15.) & in mortem traderet non pro amicis, sed adversariis suis. Ad quid enim dedit Deus Pater Unigenitum suum? Nonne ad passionem crucis? Quin & ipse Filius Dei humiliavit & exinanivit semetipsum factus obediens Patri usque ad mortem crucis. (*Philip.* 2.) Hoc equidem nobis summè memorandum, continuò recolendum, & ardentissimâ venerandum est devotione. Jesus crucifixus, serpens exaltatus in deserto (*Num.* 21.) semper ante oculos mentis nostræ versetur, ut á serpentibus ignitis, nimirum concupiscentiarum nostrarum stimulis, qui in hoc mundi deserto ex fomite peccati innato orti, in nobis dominantur, perpetuo Filii hominis in cruce exaltati aspectu liberemur. Quis mihi dabit pennas sicut columbæ & volabo (*Psalm.* 54.) alis compassionis & amoris, & requiescam in vulneribus Domini mei, in foraminibus petræ, (*Cant.* 2.) ut sugam mel devotionis de petra, (*Deut.* 32.) pascar cibo solido, & ciber

JESUS Crucifixus.

Serpens exaltatus.

Alæ compassionis & amoris

ber ex adipe frumenti, (*Pſalm. 80.*) in qua habeam refugium in neceſſitate, refrigerium in æſtu, ſecuritatem in periculis, ſolatium in tribulatione, remedium in infirmitate, præſidium in adverſitate, aſylum in perſecutione, robur in fragilitate; ubi reperiam ex doloribus, anxietatibus & amaritudinibus Domini mei, ablutionem ſceleris, levamen doloris, abſterſionem mæroris, contagionis amuletum, fontem ſanitatis, plenitudinem ſatietatis. Hic accipio armaturam Dei, ut poſſim reſiſtere in die malo, & in omnibus perfectus ſtare. (*Eph. 6.*) Hìc induo loricam juſtitiæ, (*Ibid.*) hìc ſumo ſcutum fidei ad omnia tela nequiſſimi ignea extingvenda; galeam ſalutis & gladium ſpiritûs; (*Ibid.*) hìc teneo ſpei firmamentum & omnis fiduciæ reclinatorium. In hoc nidulo vivam & moriar, & quaſi palma preſſa non oppreſſa multiplicabo dies. (*Job. 29.*) Hìc compati Redemptori meo, concrucifigi Salvatori & commori Vivificatori meo teneor, unde manant fluenta gratiæ, ubi reconditi meritorum theſauri, ubi copioſæ pretium redemptionis, unicum propitiationis medium, ac inexhauſtum ſatisfactionis gazophylacium; denique omnis ſcientiæ & ſapientiæ abyſſus: ſi tamen nihil judicem me ſcire, nihil ſapere niſi Jeſum & hunc crucifixum. (*1. Corinth. 2.*) Hic eſt hæreditas mea, poſſeſſio mea, felicitas mea, jucunditas mea, gaudium meum & unica beatitudo. Si qua ergò conſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium charitatis, ſi qua ſocietas ſpiritûs, ſi quæ viſcera miſerationis, in Jeſu crucifixo impleatur gaudium noſtrum, (*Philip. 2.*) & vitam noſtram in ipſo fundemus: exinde enim veræ contritionis fluit motivum; hinc oritur puritas cordis & intentionis; hic radix firmatur humilitatis, hìc abnegationis rami expanduntur, hìc amoris tam ergà Deum quàm ergà proximum exardeſcunt incentiva, ut jure-meritò hìc faſciculus myrrhæ dilectus noſter Jeſus crucifixus inter ubera intellectûs & affectûs noſtri perpetuò commoretur. (*Cant. 1.*) Sed videte, ubinam horum omnium memoriale repoſuerit. Non alibi niſi in SS. Sacramento, in quo per teſtamentum nobis corpus ſuum & ſangvinem conſecravit, adjiciens hæc: (*Luc. 22.*) Hoc facite in meam commemorationem. Idem imperat Apoſtolus: (*1. Cor. 11.*) Quotiescunq; manducabitis panẽ hunc, vel calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis. Enimverò nonne hìc eſt Agnus paſchalis absque macula (*Exodi 12.*) igne paſſionis & morte crucis aſſatus, tollens peccata mundi? (*1. Joan. 1.*) cujus ſangvine poſtes animæ noſtræ liniendi ſunt, (*Exodi 12.*) imò in cujus cruore tingi & mergi corda noſtra neceſſe eſt: ut liberi ſimus ab exterminatore (*1. Corinth. 10.*) peccato, quod cauſat æternum animæ noſtræ exterminium; ab exterminatore diabolo circumeunte & quærente quem devoret: (*1. Petri 5.*) ab exterminatrice carne, quæ nos lactat in deſideriis voluptatis; (*Prov. 1.*) ab exterminatore mundo, qui nobis vanâ ſpecie illudit per concupiſcentiam carnis, concupiſcentiã oculorũ & ſuperbiã vitæ faſcinum oculis obtendens. Nonne hoc eſt ſacrificiũ incruentũ cruenti memoriam repræſentans? ubi Jeſus crucifixus

Chriſti vulnera, refugia.

Fôtes ſalutis.

Incentiva virtutum.

Memoriale Paſſionis Chriſti, Eucharistia.

Agnus Paſchalis.

Fructo Eucharistiæ.

Sacrificium incruentum.

fixus est oblatio munda, hostia pro peccatis, (*Hebr.* 10.) panis propositionis, (*Levit.* 21.) calix benedictionis; (1. *Cor.* 10.) amoris holocaustum, Sacerdos & sacrificium, Ille qui offert; Ille cui offertur: Ille quod offertur. Nonne hìc est Arca fœderis non tantùm legem sed & ipsum Legislatorem continens, (*Num.* 10.) Virgam Aaronis germinantem, (*Num.* 17.) lignum crucis Summi Pontificis nostri arborem decoram & floridam referens, necnon Manna absconditum de cœlo datum, (*Apoc.* 2.) panem Angelorum (*Psalm.* 77.) illum vivum, qui de cœlo descendit & dat vitam mundo; (*Joan.* 6.) panem planè supersubstantialem, (*Matth.* 6.) frumentum electorum ac vinum germinans virgines, (*Zach.* 9.) nectar cœleste & ambrosiam Divinam in se complectens, in qua & omne delectamentum saporis (*Sapient.* 16.) & substantiæ nobis contulit Deus, ac dulcedinem suam ergà nos demonstravit? Equidem juremeritò inclamandum nobis cum veris Israelitis: (*Exodi* 16.) Manhu, quid est hoc? verè cum admiratione & æstimatione repetendum sæpiùs: Quid est hoc, quòd Deus ipse venit & salvat nos, (*Isaiæ* 35.) Deus ipse patitur pro nobis, moritur pro nobis in cruce? Quid est hoc, quòd moriturus, tam stupendum & tam inæstimabile testamentum nobis consignat, seipsum nobis in cibum donando; seipso nos satiando, corpore & sangvine suo pretiosissimo esuriem & sitim nostram insatiabilem explendo? Quanta reverentia! quanta observantia! quanta devotio, huic sumo Sacramento debetur, in quo reconditur Deus, absconditus Deus Israel Salvator, (*Isa.* 45.) isq; tanta passùs, ita cruciatus, adeò crudeli & ignominiosâ morte crucis occisus! Quomodo nos totos ei non consecremus, qui se totum cum Divinitate & humanitate, cum corpore & anima, cum infinito sui sangvinis pretio, & immenso meritorum thesauro nobis exinanivit? Et quid requiris à nobis Bone Jesu? Nihil aliud nisi Tui memoriam. Si oblitus fuero Tui in corde meo O liberalissime Redemptor, oblivioni detur dextera mea, (*Psalm.* 136.) nihil habeam felicitatis, nihil boni possideam. Adhæreat lingva mea faucibus meis, si non meminero Tui in ore meo, si non proposuero te in omni opere meo, ut sis principium lætitiæ meæ: (*Ibidem.*) sicut ablactatus est à matre sua, ita retributio fiat in anima mea. (*Psal.* 130.) Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis sine Tui memoria; donec inveniam locum Tibi (*Psal.* 31.) Domino & Salvatori meo, nulla sit mihi requies: nulla enim vera est nisi in Te, de Te, & per Te. Locus Tuus est inter ubera memoriæ & intellectûs; ut semper Te recogitem; est in corde inter ubera compassionis & amoris, ut diligam Te, qui es virtus mea, (*Ps.* 45.) firmamentum meum, refugium meum, & liberator meus; (*Psalm.* 17.) Dominus adjutor meus, sine quo nihil possum facere. (*Joan.* 15.) Locus Tuus est in manu, quam mittere debeo ad fortia, (*Proverb.* 31.) tollens crucem meam & sequens te (*Matth.* 16.) inter ubera actionis & passionis. Locus Tuus est in tota vita mea inter ubera

Arca Fœderis.

Mãna absconditum.

Manhu?

Reverẽtia SS. Sacramenti.

Devotissima ad JESUM aspiratio.

Locus Domino.

ubera activorum & contemplativorum exercitiorum. Locus Tuus eſt in me toto, ut me totum Tibi tradam, qui Te mihi totum evacuâſti; aut ſatiùs locus meus eſt in Teipſo, quia ſum membrum Tuum, de Te & in Te vivens: utinam ſemper vivum Tuo honori, Tuæ laudi, Tuæ gloriæ, Tuo Amori ſemper dedicatum! Devotio ergò noſtra poſt Deum Uni-Trinum ſit Filius Dei propter nos & propter noſtram ſalutem Filius hominis factus, pro nobis paſſus, crucifixus, mortuus & ſub ſpeciebus panis & vini in Sanctiſſimo Sacramento nobis in eſcam datus. Tota vita Salvatoris debet in ſingulari memoria apud nos verſari. Et quidem amabilis valdè eſt nobis Parvulus in præſepio, jacens in ſinu Matris, ſugens ubera ejus; gratioſus, creſcens & proficiens ætate ac ſapientiâ: (*Lucæ* 2.) deſiderabilis, faciens mirabilia, (*Pſalm.* 85.) docens de Regno Dei, prædicans Evangelium; (*Actor.* 28.) ſpecioſi enim pedes ejus evangelizantis pacem: (*Roman.* 10.) ſed nusquam amabilior, nusquam gratioſior, nusquam deſiderabilior Ille deſideratus cunctis gentibus, (*Agg.* 2.) quàm quando deſiderio deſiderans Paſcha manducare nobiſcum, (*Lucæ* 22.) ſe moriens in pretium, conveſcens in edulium, ſe per utrumque in gratiæ & gloriæ præmium nobis profuſiſſimè dedit ac donavit. Agnus aſſatur in paſſionis myſterio, manducatur in Altaris Sacramento. Hæc meditari dixi Sapientiam, in his morari perfectionem ſcientiæ, hiſce delectari beatitudinem vitæ. Quò nobis multitudinem victimarum? (*Iſaiæ* 1.) ſufficit hæc ſola victima crucis, victima Altaris, recogitata ſemper, quæ talem pro nobis ſuſtinuit contradictionem, (*Hebr.* 12.) imò & nunc ſuſtinet per Ethnicos, Judæos, Hæreticos crucis Chriſti inimicos, (*Philip.* 3.) quibus durus eſt ſermo (*Joan.* 6.) paſſionis & manducationis; ſed maximè malos Catholicos, qui inſtar Judæ proditoris in judicium mortis panem hunc vitæ manducant. O mi JESU! quanti nunc Judæ ſunt inter Chriſtianos, qui immemores beneficiorum Tuorum, imò ingratiſſimi Tibi bono Paſtori, Patri, Magiſtro, Doctori ſuo perditum Te volunt, qui cum concilio malignantium (*Pſalm.* 21.) conſpirant & dicunt: *Jerem.* 11) eradamus eum de terra viventium, nomen ejus non memoretur ampliùs; & Tu Teipſis tradis, qui ſunt traditores Tui, Teipſum illis eviſceras & ſacrificas Teipſum? Juremeritò poſt buccellam in cor ingratum, in cor perverſum, cor malignum Judæ; poſt buccellam, poſt beneficium porrectum, poſt oblationem acceptam introivit Satanas, (*Lucæ* 22.) qui ante jam erat; ſed redit, ut poſteriora ejus fiant pejora prioribus. (*Lucæ* 11.) Hi ſunt Judæ, qui corde alieno & averſo à fratribus ſuis, à proximis ſuis, à Superioribus ſuis audent hanc hoſtiam pacificam, hoc pacis ſymbolum, hoc munus unionis ſumere, quod unanimes in uno corpore, unius moris in domo facit habitare, (*Pſ.* 67.) & de uno pane unitatem charitatis participare. (2. *Cor.* 10.) Iſti autem ſcindunt unionem in congregatione, faciunt ſectas & ſchismata & adverſùm Superiores ſuos exercent ſupplantationes. Procul à nobis tales Judæ, abeant in malam crucem, utinam ſuſpendantur

Totus deſiderabilis JESUS in Euchariſtia & Cruce amabiliſſimus.

Excellētia Sacrificij Crucis & Altaris.

Quanta multorum ingratitudo!

Qui Judæ traditores?

tur & crepant, si nolunt converti & vivere, ne gregem Christi contaminent. Nos autem Fratres, servemus unitatem in vinculo pacis, *Ephes. 4.*) Christo compatientes, Christo confixi cruci (*Gal. 2.*) & commortui ipsi, facti concorporei & consangvinei, in quo est salus, vita, & resurrectio nostra. Ac ideò absit à nobis gloriari nisi in JESU Christo crucifixo, (*Galat. 6.*) ejusque SS. Corporis Sacramento.

Sermo in festo S. Joannis Baptistæ.

Vox clamantis in deserto. Joan. 1.

D. Joan. Bapt. prædicata.

DIvus Præcursor Domini Joannes quantumvis varia in Scriptura Sacra haberet de se prædicata; jamque homo missus à Deo dicatur, (*Joan. 1.*) imò Angelus præcedens faciem Domini, (*Matth. 11.*) jam Propheta Altissimi vocetur, (*Lucæ 1.*) imò plus quàm Propheta, (*Lucæ 7.*) jam testis Luminis venientis nominetur, (*Joan. 1.*) imò lucerna ardens & lucens, (*Joan. 5.*) jam spiritu & virtute Elias declaretur, (*Lucæ 1.*) nihilominùs nullum magis sibi appropriavit nomen, dum interrogaretur: (*Joan. 1.*) Quis es tu? præterquam Vocis clamantis. Ego Vox clamantis in deserto, ait ipse de se. (*Ibid.*) Utique non sine mysterio; siquidem Præcursoris officium gerere debuit, ideò jure meritò præcedens Verbum DEI Vox voluit appellari. Sed cur clamantis? Nonne satis erat vocem Verbi dicentis seu loquentis; sic enim in veteri Testamento legitur: dixit Dominus, locutus est Dominus: nec habetur, clamavit Dominus. Num clamor hic novo reservabatur Testamento, ut Verbum DEI resonantiùs in vociferatione audiretur? sed utique apud Prophetam Isaiam dicit Deus, *cap. 42.*) Ecce servus meus, electus meus, complacuit sibi in illo anima mea, ille nimirum Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui; hunc ipsum audite. (*Matth. 17.*) Qualiter loquentem? non clamabit nec accipiet personam, nec audietur vox ejus foris, dicit Prophetia Isaiæ *cap 42.*) Quomodo ergò Vox est clamantis? Imò legimus sæpiùs ipsummet Dominum clamâsse. Et hæc dicens clamabat: (*Lucæ 8.*) Qui habet aures audiendi, audiat. Fortasse datur & silentium in clamore, & clamor in silentio. Et quidem Regius Vates dum canit: (*Ps. 64.*) Te decet hymnus Deus in Sion; alii legunt Te decet silentium. Potest ergò & vox clamosa esse silentiosa, potest & silentiosa esse clamosa. Tacebat Moyses, quando populus murmurabat super defectum aquarum, & tamen Dominus ait: *Exodi 14.*) Quid clamas ad me? Non audiebatur ulla vox post mortem Abelis, Deus tamen inquit ad Cain; ((*Gen. 4.*) Ecce vox sangvinis fratris tui Abel clamat ad me de terra. Clamat ergò per vocem suam Dominus, clamat per verbum, clamat etiam per silentium, & taciturnitatem. Sed quare clamat? Quia sibilo serpentis antiqui aures hominum reperit obturatas & obduratas. Insusurravit callidus anguis auribus primorum parentum; (*Gen. 3.*) Cur præcepit vobis Dominus? quæstio non necessaria, inquirere in vias Domini. Replevit ipsis aures

Vox clamantis.

Cur clamãtis?

Clamor silens & silentium clamans.

Surditas Originalis.

res

res vanis investigationibus; ita ut non daretur ampliùs in eis locus Verbo Divino, præcepta Domini erant proscripta; clamor eapropter erat necessarius, ut auscultarent præcepta Magistri, vocem clamantis audirent, & affectum scilicet pii Patris faciliùs exciperent. Ast unde clamor? haud dubiè ex pectore, à corde, & ideò ex amore. Ubi patris clamor, ibi amor. Nonne Joannes in spiritu & virtute Eliæ venire debuerat? (*Lucæ* 1.) Zelo zelatus sum pro Domino exercituum, (3. *Reg.* 19.) & zelus Eliæ in voce clamantis. Clamat amor, clamat zelus. Sed audiamus, quid clamat vox nostra Joannes. Progenies viperarum quis demonstravit vobis fugere à ventura ira? (*Matth.* 3.) facite ergò fructum dignum pœnitentiæ. (*Ibid.*) Quid ais Joannes? Siccine in ira furoris loqueris, (*Psalm.* 2.) nec vereris Principes populi & Scribas genimina viperarum appellare? Non timeo à facie eorum, (*Jerem.* 1.) respondet Joannes; posuit enim Dominus os meum ut gladium acutum. (*Isaiæ* 49.) Utique ipsum Verbum Domini est gladius spiritûs, (*Eph.* 16.) vivus est sermo Dei & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ & spiritûs, discretor cogitationum & intentionum cordis. (*Hebr.* 4.) Verbum est veritatis; mihi incumbit testimonium perhibere de lumine veritatis: (*Joan.* 1.) omnis qui est ex veritate, audit vocem meam. (*Joan.* 18.) Sed ô Vox liceat mihi adhuc semel te interpellare. (*Joan.* 6.) Durus est hic sermo, veritatis clamantis, dicere; *Matth.* 3.) Progenies viperarum: excitabit in audientibus te iram, odium & aversionem. Vox Joannis est vox gratiæ, debet esse gratiosa: molle verbum, eloquium dulce, fortè efficacius esset. Acuent & illi contra te lingvam suam sicut serpentis, venenum aspidum sub labiis eorum; (*Ps.* 139.) sed Joannes respondet. Talia talibus, dura duris, eloquia Domini ignita. (*Psalm.* 118.) Dominus misit me, ut evellam & dissipem, & disperdam & ædificem, & plantem. (*Jerem.* 1.) Hunc arguere, illum obsecrare, alium increpare necesse est, (2. *Timoth.* 4.) pro qualitate objecti & subjecti. Clama ne cesses, imperat Deus; (*Isaiæ* 58.) quasi tuba exalta vocem tuam, annuncia populo meo scelera eorum: me etenim de die in diem quærunt & scire vias meas volunt, rogant me judicia justitiæ quasi gens quæ justitiam fecerit, & judicium Dei sui non dereliquerit. Vox ergò dicentis, clama: & quid clamabo? Omnis caro fœnum, & gloria ejus quasi flos fæni. (*Isaiæ* 40.) Hæc est vox clamantis, (*Matth.* 3.) pœnitentiam agite; quæ fuerunt in carne gloriosa & speciosa, sint in fæno pœnitentiæ humilia & abjecta. Et forsitan ideò Vox clamantis in deserto, (*Joan.* 1.) quia caro deserenda, mundus deserendus, voluntas propria relinquenda per pœnitentiæ solitudinem. Sed & ideò in deserto, quia à Deo desertos reperit homines, à gratia Dei derelictos; denique totus orbis sine Deo erat desertum. (*Isaiæ* 14.) Jam igitur vidimus Joannem clamantem, solitarium planè Monachum in solitudine, Eremicolam in eremo. Nunc videamus prodeuntem in publicum, factum Herodis Regis aulicum. Joannes quid tibi cum aula? Multùm equidem. Nonne Herodes

Clamor Amor.

Vocis clamãtis zelus.

Gladius verbi D.

Dura duris.

Pœnitentiam agite.

Deserendus mundus.

Deserti à Deo.

Monachus Aulicus.

des, me libenter audit? nonne me audito multa facit? Vox sum clamantis, eat vocis meæ clamor in aulam quoque. Sed Dive Præcursor an nescis, quid te maneat ibi? Herodias te persequens sicut Eliam Jezabel, (*3. Reg. 19.*) carcer te expectat, lictor gladium acuit ad amputandum caput tuum. Hæc pro gratia erit merces tua. Et quæ Herodias? quæ Jezabel? Nonne invidia, nonne concupiscentia, quæ ex mente Aurei Oris, *duplex est, corporum & pecuniarum.* Non deterrent hæc Joannem ab aula, in qua coronam martyrii erat adepturus. Ad omnia quæ mittit illum Dominus vadit, & quæ mandavit Deus, loquitur. (*Jerem. 1.*) Non licet, inquit, non licet. (*Matth. 14.*) Ubique arguens Herodem Joannes, ubiq; increpans. Reges videbant & consurgebant Principes: (*Isaiæ 49.*) loquebatur Joannes de testimoniis Dei in conspectu Regum & non confundebatur. (*Psalm. 118.*) Sed quid de auditoribus ipsius dicit ipsa Veritas? (*Matth. 11.*) Cui similem æstimabo generationem istam? similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus dicunt: Cecinimus vobis & non saltâstis, lamentavimus & non planxistis. (*Ibid.*) Hic erat fructus prædicantis Joannis, Vocis clamantis: sed & idem ipsius Verbi Divini facientis & docentis fuit. Venit Joannes neque manducans neque bibens, & dicunt, dæmoniũ habet: venit Filius hominis, manducans & bibens; & ecce homo vorax & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus reputatur. Adeoque sic justificata est Sapientia à filiis suis. (*Ibid.*) Benè monet Apostolus: (*Gal. 1.*) Si hominibus placerem, Dei servus non essem. Et quis omnibus placere potest? Nec Joannes placuit, nec Vox clamantis efficax fuit: & tamen clamabat usque ad mortem. Si etenim & ille tacuisset, lapides de pariete clamâssent, (*Hab. 2.*) cùm potens sit DEUS etiam de lapidibus suscitare filios Abrahæ: (*Matth. 3.*) filios credentium, qui fidem ex auditu (*Rom. 10.*) susciperent. P. R. F. D. simus & nos voces clamantis Dei in nobis & per nos; in silentio clamemus, & in clamore sileamus. Iste pauper clamavit, & Dominus exaudivit eum, asserit Propheta: *Psalm. 33.*) Verè paupertatis vox, quæ est aliena non appetere, propria largiri; clamat in cœlum, & meretur divitias Regni cœlorum. Spiritus anxius in pœnitentiâ clamat ad Deum, & impetrat gratiam. (*Bar. 3.*) Videntes, scilicet Prophetæ (nos quoque videntes Deum per fidem) clamabunt foris, (*Isaiæ 33.*) videlicet per pietatem; per misericordiam, per eleemosynas, per bona opera, per sancta exempla. Seraphim clamant alter ad alterum: (*Isaiæ 6.*) mutua charitas ardens Seraphico amoris igne clamat, Sanctus, Sanctus, Sanctus, (*Ibid.*) & testimonium perhibet in se Divinæ Sanctitatis. Laus Deo, non accepimus spiritum servitutis in timore, sed accepimus spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus; Abba Pater: (*Rom. 8.*) clamemus cum Eliseo ad Eliam nostrum Joannem; (*4. Reg. 2.*) Pater mi, Pater mi, regenerans nos per baptismum pœnitentiæ; currus Israel & auriga ejus, parans viam Domino, (*Lucæ 3.*) meritis tuis & exemplis, ac precibus, præpara nos Domino plebem perfectam (*Lucæ 1.*) in gratia ejus & charitate.

Herodias & Iezabel. Concupiscentia corporum & pecuniarum.

Auditor incorrigibilis.

Pravis omnia prava.

Deo placere facilius est, quàm hominibus.

Vocis clamantis imitatio.

Vox paupertatis & bonorum operum.

Clamor Seraphicus charitatis.

Sermo in festo SS. Petri & Pauli Apostolorum.

Quid sunt duæ Olivæ istæ? Zach. 4.

PRimus Apostolorum Petrus, & novissimus Apostolorum Paulus, evangelizantes pacē, evangelizantes bona, (*Rom.* 10.) quidni fuerunt verè duæ Olivæ, quæ apud omnes sunt symbolum pacis? sive duo filii olei splendoris, assistentes Dominatori universæ terræ? (*Zach.* 4.) Utique filii Messiæ, illius Justi, qui ut splendor ortus fuit, (*Isaiæ* 62.) illius uncti oleo lætitiæ præ participibus suis, (*Hebr.* 1.) qui Princeps pacis (*Isaiæ* 9.) & nascens pacem hominibus in terra publicavit, (*Lucæ* 2.) & resurgens eandem pacem secum tulit Ecclesiæ, (*Act.* 9.) quam etiam testamento legavit discipulis suis dicens: (*Joan.* 14.) pacem relinquo vobis, pacem do vobis. In diebus enim Ipsius oriri debebat justitia & abundantia pacis, (*Psalm.* 71.) cujus non esset finis, (*Isaiæ* 9.) quam Angeli pacis, Apostoli sed potissimùm hodierni, ubique circumferebant. (*Lucæ* 2.) Quid enim aliud in Epistolarum suarum initio, contextu & fine præleferebant nisi pacem? In utraque sua Epistola Petrus intonat; in 1. *cap.* 2.) Gratia vobis & pax multiplicetur: in 2. *c.* 1.) gratia vobis & pax adimpleatur. Ubique Paulus resonat; Gratia vobis & pax à Deo. (*Rom.* 1.) Ubique ad pacem animat, pacem habeamus ad Deum. (*Rom.* 5.) Cum omnibus hominibus pacem habeatis. (*Rom.* 12.) Quæ pacis sunt sectemini, (*Rom.* 14.) idem sapite, pacem habete, (2. *Cor.* 13.) servantes unitatem spiritûs in vinculo pacis, (*Eph.* 4.) & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum. (*Phil.* 4.) Non enim est dissensionis Deus sed pacis, (1. *Cor.* 14.) qui in pace redemit animas nostras, (*Psalm.* 54.) qui in pace vocavit nos per nuncios pacis Apostolos. (1. *Cor.* 7.) Ipsis quoque imperavit, (*Lucæ* 10.) ut in quamcunque domum intraverint, primùm dicant; pax huic domui. Sed quid est hoc, quod dicit Ipse qui est pax nostra: (*Eph.* 2) non veni pacem mittere sed gladium? (*Matth.* 10.) Nonne gladius signum belli? Ita planè non est pax impiis, dicit Dominus: (*Isaiæ* 48.) pax justis, bellum injustis. Est enim & perversa pax, sicut illius prævaricatricis Jerusalem, quando tunc erant ea, quæ ad pacem illi, (*Isaiæ* 52.) & hæc disciplina pacis ejus erat super Dominum nostrum, virum dolorum. (*Isaiæ* 53.) In tali pace amaritudo nostra verè amarissima, (*Isaiæ* 38.) quia hæc pax est inimica Deo: cui qui restitit, quis pacem habuit? (*Job.* 9.) Est pax iniqua uti illius fortis, cui in pace sunt ea quæ possidet: (*Lucæ* 11.) uti & illorum, qui in magno inscientiæ bello tot & tam magna mala pacem appellârunt. (*Sap.* 14.) Non est pax universæ carni. (*Jer.* 12.) Qui carnem, qui terrena sapiunt, (*Phil.* 3.) viam veræ pacis nec sciverunt, nec cognoverunt. (*Rom.* 13.) Non est pax ossibus eorum, à facie peccatorum ipsorum. (*Psal.* 37.) Lamentatur Propheta Jeremias super hac pace *cap.* 14.)

Primus & novissimus Apostolorum Duæ Olivæ pacis.

Apostolica pacis commendatio.

Pax justis non impiis.

Pax non pax.

Expectavimus pacem & non eſt bonum; & tempus curationis, & ecce turbatio. Et alibi *cap.6.*) Curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia dicentes; pax, pax, & non erat pax. Et tales quoque ſunt, qui loqvuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus eorum. (*Pſalm.27.*) Homines pacis noſtræ, manducantes nobiſcum panem & magnificantes ſupplantationem. (*Pſalm.40*) Ergoné gladius ad hanc pacem ſcindendam requiritur Domine? Ita eſt: gladius ſpiritûs, quod eſt Verbum Dei ſuper iniquos. (*Eph.6*) Hoc gladio armati Apoſtoli pacem falſam & iniquam rumpebant, zelabant pacem peccatorum videntes, (*Pſalm.78.*) pacem veram & rectam ſtatuebant, loquentes pacem gentibus, (*Zach.9.*) ponentes pacem in finibus terræ. (*Pſalm.147.*) Sed quomodo? Verbum Dei in juſtitia & veritate prædicantes, (*Actor.13.*) ut in ſanctitate, juſtitia & veritate eſſent omnes coram Deo omnibus diebus vitæ ipſorum. (*Lucæ* 1.) Opus enim juſtitiæ pax. (*Iſaiæ 32.*) Utique juſtitia & pax oſculatæ ſunt, ſed & miſericordia & veritas obviaverunt ſibi: (*Pſ.84.*) quando Dominus cogitabat cogitationes pacis & non afflictionis, (*Jer.29.*) ut ſederet populus ejus in pulchritudine pacis & in tabernaculis fiduciæ & in requie opulenta. (*Iſaiæ 32.*) Ita & per Apoſtolos ſanctos pax diſſeminabatur, in juſtitia, veritate & miſericordia, quia erant veræ duæ Olivæ (*Zach.4.*) non ſolùm oleum pacis, ſed & miſerationis pingvedinem ſtillantes, ut eſſent ſimul Viri miſericordiæ, quorum pietates non defuerunt, pulchritudinis ſtudium habentes, (*Eccli.44.*) in pace & æquitate ambulantes, (*Malach.2.*) pacificantes in domibus ſuis, (*Eccli.44.*) viſcera miſericordiæ omnibus exhibentes; (*Coloſſ.3.*) & quod ſummum, etiam anathema cupientes eſſe à Chriſto pro fratribus ſuis. (*Rom.9*) Verùm dicet aliquis: Quæ pax erat inter Apoſtolos? Nonne facta erat inter ipſos contentio, quis eorum videretur major? (*Lucæ 22.*) Nonne facta contentio inter Paulum & Barnabam, ut quoque ab invicem ſepararentur? (*Act.15.*) Nonne inter ipſos hodiernos Apoſtolos fuit ſenſûs diviſio, & in proprio ſenſu abundantia (*Rom.14.*) quoad circumciſionem? (*Galat.2.*) Itané Dive Paule auſus es Principem Apoſtolorum redarguere in eo, quod ipſe feciſti? In quo alium judicâſti, te ipſum condemnâſti. (*Roman.2.*) Nonne & tu cum Judæis judaizabas in gratiam eorum circumcidendo Timotheum gentilem? (*Act.16.*) Itane in faciem ei reſtitiſti, quia videbatur tibi reprehenſibilis? (*Gal.2.*) Ego ſanè magìs miror tolerantiam Petri, quàm reſolutionem Pauli. Nihilominùs & hæc omnia licet infirmitatis humanæ erant indicia in Apoſtolis, ad bonum pacis tendebant; quia conſilium pacis erat ſuper eos, (*Zach.6.*) veritatem & pacem diligebant, judicium pacis judicabant, (*Zach.8.*) pax juſtitiæ & honor pietatis in eis relucebat, (*Bar.5.*) diſciplinam in pace conſervabant. (*Eccli.41.*) Quod tamen credimus eſſe fundamentum pacis? Mihi equidem non aliud occurrit, niſi Divus Petrus, & Divus Paulus. Petrus vocabatur Simon, (*Matth.10.*) & Saulus qui & Paulus dictus erat; (*Act.13.*)

Gladius Spiritûs S.

Opus Juſtitiæ Pax.

Oleum Miſericordiæ.

Contentio inter Apoſtolos, cum Pace.

Fundamentum Pacis, Obedientia & Humilitas.

ille obedientiam, hic humilitatem nomine suo indigetantes. Legistis revelationem ab Angelo factam Cornelio viro Religioso & timenti Deum. Mitte, inquit *Act.* 10.) Angelum & accersi Simonem qui cognominatur Petrus, hic dicet tibi quid te oporteat facere. Simon obediens, Petrus ut petra firmus & constans in eadem obedientia, docet nos quid debeamus facere, videlicet constanter obedire, in obedientia perseverare usque ad mortem. Paulus sive pusillus humilitatis formam indicans & ex græco quietum significans, profectò pacis statuit testamentum. (*Eccli.* 45.) Obedientia & humilitas quomodo reluxerit in Divis hisce Ecclesiæ luminibus, quis non videt? Petrus vocatus à Christo protinùs relictis retibus sequitur eum; (*Marci* 1.) Paulus à cœlo reprehensus mox ait; (*Act.* 9.) Domine quid me vis facere? Nonne hic prompta & cæca planè obedientia? Petrus dicit; (*Lucæ* 5.) Domine exi à me, quia homo peccator sum. Paulus abortivum (1. *Corinth.* 15.) & maximum peccatorem se æstimat. (*Roman.* 3.) Nonne hic profundissima humilitas? Habuit tamen uterque magna humiliandi se motiva. Petrus abnegat Christum, (*Matth.* 26.) Paulus persequitur Christum, ejusq; Ecclesiam: (1. *Cor.* 15.) nihilominùs uterque Caput S. Ecclesiæ creatus. Quid tristaris Dive Petre, quando tertiò à Domino interrogaris? (*Joan.* 21.) Petre amas me? Siccine oblitus es te Dominum ter abnegâsse? (*Matth.* 26.) Jure meritò ternâ Amoris confessione, ternam abnegationis maculam abluere teneris; ut ita ritè ad pascendos agnos & oves ordineris. Sed nunquid tales in ovili tuo duntaxat habebas? Nonne & arietes & hirci poterant reperiri? Haud dubiè; omnes tamen in agnos & oves convertebas, ipsemet priùs ad Dominum per pœnitentiam conversus. Quid cadis Dive Paule & lumine oculorum privaris? (*Actor.* 26.) Nonne ut major resurgas, & clariùs lumen Dei videas, futurus Vas electionis Christi ad portandum nomen ejus coram Regibus & Principibus, & populis terræ, (*Actor.* 9.) & sis unà cum Divo Petro, sicut filius olei splendoris, (*Zach.* 4.) sicut Oliva fructifera in domo Dei. (*Psalm.* 51.) Jam ergò tibi crux pro baculo Pastorali, ô Dive Petre; tibi gladius ô Dive Paule pro virga cessit; virga hæc, & baculus hic, ipsa me consolata sunt: (*Psalm.* 22.) his Dominus regit me & in loco pascuæ me collocavit. (*Ibid.*) Hæ sunt laureæ vestræ, hæc trophæa in cœlis. Per hæc rogate, quæ ad pacem sunt Hierusalem (*Ps.* 121.) totius Ecclesiæ in utroque Statu constitutæ: ut sit vera visio pacis, ut Deus pacis conterat Satanam sub pedibus ejus, (*Rom.* 16.) inimicum pacis nostræ, authorem omnis dissensionis. Quis enim est qui nobis noceat, si boni æmulatores fuerimus, (1. *Petri* 3.) in pace, justitia, veritate, misericordia, obedientia & humilitate? Rogate etiam ea, quæ pacis sunt (*Lucæ* 14.) pro nostra Oliva, ut sit vera rectæ pacis Oliva cum Deo, inter se, & cum omnibus. Fiat pax & veritas in diebus nostris, (*Isaiæ* 39.) ut fructus justitiæ in pace seminetur facientibus pacem. (*Jacobi* 3) Loquimini pacem in plebem vestram, (*Psalm.* 84.) ut sit fructus labiorum vestrorum pax: (*Isaiæ*

Simon Petrus Obediẽs cõstãs

Paulus pusillus quietus.

Exempla Apostolica obedientiæ & humilitatis.

Motivum humilitatis.

Hircorum & Arietũ in Agnos & Oves conversio.

Conversio Pauli.

Crux pro baculo pastorali, Gladius pro virga.

Ad SS. Apostolos peroratio pro pace.

(*Isaiæ 57.*) reperiatis hìc filios pacis, & non revertatur ad vos pax (*Matth. 10.*) quam datis, sed maneat nobiscum in æterna charitate.

Sermo in festo Assumptionis B. M. V.

Et Octavus de tertia Devotione, quæ est ergà Matrem DEI,

Unum est necessarium. Lucæ 10.

Vita nostra plena distractionũ ut necessitatum.

VIta nostra P. R. F. D. eò quòd sit plena necessitatum variarum, plena quoque est turbationum & distractionum. Indigemus quoad corpus victu & amictu; inde fit quòd soliciti simus, quid manducemus, quid bibamus, & quo operiamur. (*Matth. 6.*) Et tamen fideles redarguit Dominus desuper, & dicit gentes hæc inquirere. (*Ibid.*) Nihilominùs victum & amictum habentes, nonne his contenti esse debemus juxta Apostolum? (*1. Timoth. 6.*) In his tamen necessitatibus corporis & angustiamur, & tribulamur, & turbamur ergà plurima. Jam verò necessitates animæ quis edisseret? quantis adjutoriis memoria egeat, quantis illuminationibus intellectus, quantis impulsibus voluntas, ita ut jure meritò oret Deum Regius Vates: (*Psalm. 30.*) salva de necessitatibus animam meam. His omnibus si accedant necessitates officiorum variorum, quis non agnoscet hominem planè variis obrutum esse necessitatibus? Nonne & mihi necessitas evangelizandi incumbit? Væ enim mihi si non evangelizavero. (*1. Corinth. 9.*) Marthæ solicitudo erat ministrare corpori necessaria: Christi solicitudo prædicare & ministrare Verbum Dei: Mariæ solicitudo sedere & audire Verbum Dei. Felices Mariæ, animæ Religiosæ & devotæ, quæ sedendo quiescitis, & quiescendo Verbum Dei audire eique obedire satagitis. Nos Marthæ, nos Christi pedissequi pleni necessitatum, & corpori & animæ, & vobis & nobis cogimur ministrare. Sed non despondeamus animum, ecce supremus Magister, ipsa Sapientia Dei increata ac incarnata docet nos omnes necessitates nostras ad unum reducere necessarium. Quod illud? Unus est DEUS & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis, inquit Apostolus: (*Eph. 4.*) & alibi. (*1. Corinth. 8.*) Unus Deus Pater, ex quo omnia & nos in illo; Hunc unum Deum habentes in uno omnia possidemus. Jam Deus est Pater, Filius & Spiritus Sanctus: & hi tres unum sunt in se; (*1 Joan. 5*) & respectu nostri sunt unum nostrum necessarium. Cultum hujus Dei Unitrini jam aliàs innui. Nunc addit Apostolus, (*1. Cor. 8.*) & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia & nos per ipsum; & hìc est unus mediator Dei & hominum, Deus & Homo Christus Jesus. (*1. Tim. 2.*) Verè unum nostrum necessarium; qui de se ait: (*Joan. 10.*) Ego & Pater unum sumus. Hic est Adam verus, qui non quasi sed reverà unus ex nobis factus est, (*Gen. 3.*) ut nos unum secum & cum Patre faceret, & faceret utraque unum. (*Eph. 2.*) Unus est Legislator & Judex, (*Jacobi 4.*) unus novus homo, qui finem imposuit necessitatibus

Obligatio Abbatis.

Maria secus pedes D. subditi Monachi. Martha Superior cum Officialibus.

Unum necessarium, Deus.

Verus Adam Christus ĩ quo unũ sumus.

tatibus

tatibus nostris, (*Sap.* 18.) qui fecit cænam magnam (*Lucæ* 14.) nos uno pane corporis sui pascens, & uno calice sangvinis sui potans, ut omnes simus unus panis, unum corpus, qui de uno pane participamus; (1. *Corinth.* 10.) unum planè simus in Christo Jesu, (*Galat* 3.) qui est unus Dominus & Magister noster, à quo una fides, unum baptisma, (*Eph.* 4.) sanctificati ex uno omnes: (*Hebr.* 2.) cui sigillatim crucifixo & in speciebus Sanctissimi Sacramenti velato tanquam uni necessario quis debeatur cultus, satis prolixè antehàc explicui. Restat nobis nunc adhuc unum necessarium; cultus Matris Dei Virginis Mariæ. *Cultus Deiparæ.* Nonne hæc est illa, de qua Sponsus canit. (*Cant.* 6.) Una est Columba mea, sine felle omnis peccati; *Una est Columba.* immaculata, ab omni culpæ macula, intacta & incontaminata. Perfecta mea, ait; & quid perfectius Dei Matre, quæ est omnis perfectionis compendium? Una matri suæ Synagogæ, ex qua prodiit; electa Genitrici suæ (*Ibid.*) Ecclesiæ, quam in prole sua genuit, *B. V. Mater Ecclesiæ.* quæ *nec primam similem visa est, nec habere sequentem: gaudia matris habens cum virginitatis honore.* Unica planè electa & præelecta ante omnes creaturas. (*Eccli.* 24.) Quid nos multa quærimus Fratres? Hæc una pro multis imò omnibus sufficit nobis. Ecce Mater tua, inquit Veritas in cruce *Ecce Mater tua.* pendens ad Joannem, & in Joanne loquitur nobis. Et ad Matrem: ecce filius tuus, nos indigetans. (*Joan.* 19.) Quò ibimus filii? Nonne ad Matrem? Matrem gratiæ, Matrem vitæ, Matrem misericordiæ? & hæc ipsa est Mater Dei, Mater unigeniti Filii Dei. Si colimus Deum, colimus Filium Dei, Matrem quoque ejus colamus necesse est, quia hoc quoque est unum nostrum necessarium, maximè nunc quando per assumptionem corporis & animæ Deo & Filio Dei suoque in æternum conjuncta est. Hic in terris unita Deo per gratiam, nunc in cœlis unita Deo per gloriam. Verus Mariæ cultus & primarius, est ejus imitatio. Sed unde incipiemus? *Imitatio B. V.* infinita sunt quæ imitari deberemus; unum tamen necessarium accipiamus, quod pro posse imitemur. Unum hoc non aliud est nisi perpetua cum Deo unio: ô quàm summè omni creaturæ rationali necessarium? *B. V. prædicata* Mariam ab æterno ordinatam, (*Prov.* 8.) ab omni contagione peccati liberam, omni virtutum decore ornatam velut Sponsam monilibus suis, (*Isaiæ* 61.) totam pulchram, (*Cant.* 4.) à cunctis filiabus Sion & ab omnibus generationibus beatissimam prædicatam, (*Cant.* 6.) Filio DEI præparatam, Matrem ejus, Patris filiam, Spiritus Sancti Sponsam, Templum SS. Trinitatis augustissimum, gratiâ plenam, (*Lucæ* 1.) inter omnes mulieres benedictam, (*Ibid.*) quis audebit asserere, semper Deo unitam *Unio cum Deo.* non fuisse? Nunquam sine Deo Maria, à primo conceptionis suæ momento, Creator omnium qui creavit eam, requievit in tabernaculo ejus, (*Eccli.* 24.) & mansit cum illa ad ultimum mortis instans, & manet nunc, & semper, & in æternum. Filius Dei incarnatus ante mortem orans Patrem hoc potissimùm pro suis expetiit Apostolis, & pro iis qui credituri erant per verbum eorum; ut omnes unum sint: sicut tu Pater in me (ait) & ego

ego in te; ut & ipsi in nobis sint unum. (*Joan.* 17.) Ad quid hæc repetitio ô summa Dei Sapientia? imò idipsum iteratò replicat: ut sint unum sicut & nos unum sumus. Ego in eis & Tu in me, ut sint consummati in unum. (*Ibid.*) Equidem nec jota unum, nec unus apex in Sacra Scriptura exstat, (*Matth.* 5.) qui in se Verbi Dei non complectatur mysteria. Cur eandem orationem iterans, bis unitatem orat? Fortassè præter DEI unionem, est adhuc aliqua altera unio. Ita est; unio cum proximo. Nonne primum maximum mandatum est diligere Deum; (*Matth.* 22.) id est uniri Deo per amorem? Nonne alterum simile huic, diligere proximum, (*Ibid.*) & hoc est uniri proximo per charitatem? Sed hæ duæ uniones unum sunt. Unio enim cum proximo debet fieri propter Deum. Omnis alia unio quæ Deum non includit, non est unio, sed ruina, est perditio. Matris Dei unio ergà nos proximos ejus indignos ô quanta est? Et quæ est Advocata nostra, Adjutrix nostra in opportunitatibus, in necessitatibus, nisi Maria? Nonne defectus nostros Ipsa suâ resarcit & compensat intercessione? Quæ est oratio Mariæ ad Deum Filium suum pro nobis? Vinum non habent. (*Joan.* 2.) Deest vinum gratiæ, fervor devotionis tepescit, refrigescit charitas; cujus patrocinio, præterquam Mariæ incalescit, exardescit, inflammatur? Hæc sunt Matris ubera, hæc misericordiæ viscera, hi fontes gratiarum. Et quis hæc non requirat? quis ad hæc non confugiat? quis in his non moretur? *Totis ergò medullis cordium, totis præcordiorum affectibus & votis omnibus Mariam hanc*, Matrem omnis boni illius videlicet summi Boni nobis necessarii invocemus & *veneremur*, in qua totius boni plenitudo posita est per eum, *qui totos nos habere voluit per Mariam.* (S. Bern.)

Unio fraterna.

Unio nobiscum B. V.

Vinũ nõ habẽt.

Adhortatio ad cultum B. V.

Sermo in festo SS. Angelorum Custodum, post Visitationem Reverendissimi Domini Commissarii,

Et Nonus de quarta Devotione, quæ est ergà SS. Angelos.

BEnedictus Dominus DEUS Israel populi sui & hæreditatis suæ, quales nos sumus P. R. F. D. quia visitavit nos Oriens ex alto (*Lucæ* 1.) in persona Reverend. Domini Commissarii non ad aliud, nisi ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. (*Ibid.*) Jam laus Deo post nubilum rediit serenum, post turbidum quies, post dissensiones pax & concordia. Caveamus nunc, ne verificetur de nobis, & in nobis illud Prophetæ Jeremiæ *c.* 4.) Expectavimus pacem & non est bonum; & tempus curationis & ecce turbatio. Cautè agamus & solicitè vigilemus, ne inimicus homo redeat & super pacis sementem superseminet zizania (*Matth.* 13.) discordiarum. Cogitemus Deum esse Deum pacis & non dissensionis, (1. *Cor.* 14.) & qui in Deo vult esse, in pace debet in idipsum requiescere. (*Psalm.* 4.) Si verò ad nos (quod absit) rediret zelus & contentio, (1. *Cor.* 3.) *zelus* ille juxta Divi Legislatoris nostri mentem *amaritudinis*, *malus*

Visitationis finis Pax.

Zelus malus.

malus qui separat à DEO, & ducit ad infernum; ex quo prodiit ab illo productus, qui tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, (*1. Petri 5.*) quandoque transfigurans se in Angelum lucis, (2. *Cor.* 11.) & similes sibi devoratores associat in lingva dolosa, (*Psalm.108.*) in labiis veneno aspidum infectis, (*Psalm.* 13.) susurro serpentum repletis, in ore mendacii, detractionis, simulationis, maledictionis, solicitos de aliorum festuca in oculo, incurios trabis suæ; (*Matth.* 7.) in aliis excolantes culices, in se glutientes camelos. (*Matth.23.*) Nonne non tantùm carnales, non tantùm homines, utique mali veteris hominis genimina erimus; sed in ipsos transformabimur diabolos, quod est, calumniatores inferni incolas, ubi nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat? (*Job.10.*) Vultis scire zelum bonum, qui separat à vitiis & ducit ad Deum? audite Divum Patrem docentem nos in Regula sancta. *Zelus bonus est, honore se invicem prævenire; zelus bonus est, infirmitates aliorum sive corporis sive morum patientissimè tolerare; zelus bonus est, obedientiam sibi, quantò magis Superioribus certatim impendere? zelus bonus est, non quòd sibi velle judicat sequi, sed quod magìs alii. Zelus bonus est, charitatem fraternitatis casto omnibus impendere amore. Zelus denique bonus est, Abbatem suum sincerâ & humili charitate diligere, Christo omninò nihil præponere, sed Deum timere. Iste est verus zelus bonus*, quem dicit Sanctus Patriarcha noster, *ferventissimo amore exerceant Monachi. Talis zelus est legitimus & optimus fructus ordinatæ*, juxta Regulam Sanctam, *visitationis.* Zelus bonus.

Sed absolutâ Visitatione, nullane ampliùs jam requiretur? quinimò. Fratres mei: peracta est à Reverend. Domino Commissario & Vicario Generali annua vel triennalis Visitatio, ad me autem spectat continua visitatio. O quantum onus! quàm ingens pondus! quàm grave jugum humeris meis impositum! Mihi loquitur Sanctus Legislator: *meminisse debet semper Abbas quod dicitur & scire; quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur; sciatque quàm difficilem & arduam rem suscepit, regere animas & multorum servire moribus.* Me monet Regula. *Sciatque quia suscepit animas regendas, & præparet se ad rationem reddendam, & quantum sub cura sua fratrum se habere sciverit numerum, agnoscat pro certò, quia in die judicii ipsarum omnium animarum redditurus est Domino rationem, sine dubio additâ & suæ animæ.* Mihi intonat textus Regulæ sanctæ: *Sciatque Abbas culpæ Pastoris incumbere, quidquid in ovibus Paterfamilias utilitatis minùs poterit invenire.* Nonne ad hæc omnia requiritur assidua & sedula visitatio, omnium in generali, & singulorum in particulari, quorum animas invisibiles visibiliter regere, pro quibus DEO Judici Supremo respondere, rationem reddere, denique pro quibus pati necesse est? Ignoscite Fratres, si hactenùs langvida fuit manus rectrix vestri: non vitio vertite, si in futurum accedet rigorosior, si exactiùs & diligentiùs exigam à vobis hoc, quod in illo districti Judicii examine à me exigetur, in quo conscientia mea oneratur, si *dissimulabo peccata delin-* Abbatis est, continuæ Visitationis onus.

quentium juxta mandatum Sancti Patris nostri, *sed curabo in recenti ea radicitùs amputare.* Et quidem strictiorem Regulæ Sanctæ observantiam cum Diffinitionum & Statutorum ordinatione juxta Brevis Alexandri VII explicationem & Chartarum Charitatis dispositionem pressè tenere & mihi & vobis ex ratione votorum incumbit. Evigilemus igitur, excutiamus veternum, in quo jacuimus. Hora est nos à somno negligentiæ & tepiditatis consurgere. (*Rom.13.*) Novâ Charitatis Chartâ excitati & animati, in novitate vitæ religiosæ ambulemus. (*Rom. 6.*) Agamus ferventiùs, curramus velociùs, attendamus diligentiùs iis omnibus, ad quæ obligamur; ut vota quæ distinxerunt labia nostra, (*Psalm. 65.*) sub hoc svavi Ordinis jugo perfectissimè reddamus: in paupertate viventes, castimoniam servantes, Deo & hominibus, quos Deus imposuit super capita nostra, (*Ibid.*) obedientes. Et quia Angelorum nostrorum Custodum memoriam hodié recolimus; utique ex mente sancti Patris nostri Melliflui Doctoris, *Actorum & Tutorum à Patre positorum & præpositorum nobis in hac continua Angelorum custodia & visitatione, in hac aßidua cum Angelis conversatione, Angelicam vitam imbibamus.* Nonne in conspectu eorum quotidie psallimus, adeoque cœlicum ipsorum officium adimplemus? Angelicè idcircò canamus. Nonne Angeli deferunt orationes nostras ante Deum? Utinam ascendat semper fumus aromatum, quæ sunt orationes Sanctorum, sanctarum devotionum nostrarum incensum de manibus Angelorum nostrorum Custodum in conspectu Dei! (*Apoc.5.*) Nonne ipsi custodiunt nos in omnibus viis nostris? Faxit Deus, ut per ipsorum custodiam pedem nostrum non offendamus unquam ad lapidem (*Psalm. 90.*) occasionis peccaminosæ. Si occurrit talis lapis offensionis vel petra scandali, (*1. Petri 2.*) tollatur, revolvatur hic lapis magnus valdè, pravi habitus ab ostio monumenti, (*Matth.27.*) in quo mortui peccatis occludimur. Eruatur oculus, abscindatur manus, vel pes scandalizans nos, (*Matth.5.*) & trahens nos ad interitum. Ad hoc quoque requiritur frequens visitatio nostri, ut exerceamus & scopemus spiritum nostrum, (*Ps.76.*) ut per examina conscientiæ etiam horaria, non tantùm quotidiana, matutina, meridiana, & vespertina nos visitemus. Si nos dijudicaverimus, utique non judicabimur: (*1. Cor. 11.*) si nos visitaverimus nos ipsi, utique alienâ minimè indigebimus revisione, & perenni Angelorum gaudebimus visitatione. Hæc memoria Angelica refricat mihi continuandam recommendationem Brevis Compendii nostri, ubi post devotionem Reginæ Angelorum, cultus sequitur Angelicus. Ille optimè colit Angelos, qui Angelice vivit, qui Angelicam puritatem sectatur, qui Angelorum in Deo laudando fervorem imitatur, qui cum Angelis semper videt faciem Patris cœlestis, (*Matth. 18.*) continuam Dei præsentiam ob oculos habendo, & ne Deum offendat præsentem, cavendo. Hic sanè Angelorum assistentiam & patrocinium semper & ubique merebitur. Non tamen in ultimo Angelorum Choro subsistendum nobis est: insistere debemus pro-

Strict. observātia Reg. S.

Charta charitatis.

Angeli Custodes.

Psalmodia.

Lapis offensionis peccandi occasio.

Scandala.

Examen conscientiæ.

Angelorū cultus imitatio.

Dei præsentia.

Angelorū hierarchiæ assimilatio per

progressui & profectui continuo, ut ad summum Cherubinorum & Seraphinorum apicem eundo de virtute in virtutem (*Psalm.* 83.) pertingere valeamus. Qui munditiem cordis liberi à peccato habet, inter Angelos censebitur faciem Dei videntes. Qui zelum majorem honoris Divini & humiliationis sui possederit, ad Archangelos accedet. Inter Virtutes computabitur; qui vario virtutum excellet genere. Cum Potestatibus stabit, qui mundum & terrena calcaverit. Inter Principatus principem occupabit locum; qui primariam animæ suæ velut principalis curam tenuerit, carnis desideria ei subjugando, abnegando semetipsum, & crucem ferendo cum Christo. Dominationum Chorum attinget, qui animi sui passionibus, & voluntatibus sciverit dominari. Thronus Dei fiet, qui totus Divinæ voluntati se subjecerit & resignaverit. Inter Cherubinos elucescet, qui absque intermissione memoriâ & intellectu suo, illum qui sedet super Cherubim, (*Psal.* 98.) speculatus fuerit ac contemplatus. Cum Seraphinis Sanctus, Sanctus, Sanctus Deus Exercituum clamabit, (*Isaiæ* 6.) qui Dei Unitrini solius & unici super omnia propter semetipsum amore arserit, & propter Deum proximum uti seipsum dilexerit. (*Matth.* 22.) Ecce quomodo ascensiones ex hac valle lachrymarum sunt disponendæ (*Psalm.* 83.) usque ad supremum culmen Angelorum. Oremus Deum, ut cum præterita visitatione generali, & cum futura nostra speciali, visitet nos in salutari gratiæ suæ ad videndum in bonitate Electorum ipsius; ad lætandum in lætitia gentis suæ Angelicæ; ut laudetur semper cum hæreditate sua (*Psalm.* 105.) quæ nos sumus, & populo appropinquante sibi (*Psalm.* 148.) per continuam orationem. Visitet Dominus incessanter habitationem hanc nostram, Olivam, ne producat amurcæ germina, nec unquam mentiatur opus olivæ, (*Hab.* 3.) sed sit arbor bona faciens fructus bonos: (*Matth.* 7.) & ut Angeli sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant, in concordia, unanimitate & charitate.

Profectū spirituálem. Puritas. Zelus humilitatis. Studium virtutum. Contemptus mundi. Cura animæ per abnegationem sui. Moderatio passionum. Resignatio. Contemplatio. Charitas. Amor orationis. Oliva.

Sermo in festo Omnium Sanctorum & Decimus de quinta Devotione ergà Sanctos jam est impressus in Tractatu secundo Fol. 77.

Sermo in Anniversario die Animarum,

ubi sexta Devotio pro Animabus agonizantibus recommendatur.

Qui certat in agone, non coronabitur nisi qui legitimè certaverit. 2. Timoth. 2.

QUamdiu hic mortaliter vivimus P.R.F.D. in continuo agone sumus; inimicos undique habemus, intùs & foris hostibus circumdamur: nunquam non certandum nobis est velut in agone. Vita nostra planè agon est, sed ultimum vitæ momentum à quo pendet æternitas, supremus & summus agon est dicendus. Ad hunc scopum tendimus, ad hunc terminum currimus, ad hoc punctum per omnem totius vitæ decursum collimamus. Et quis hunc sibi non optat beatum? Qui hoc desi-

Agon vitæ. Agon mortis.

desiderat, necesse est, ut omnes lineas vitæ suæ ad hoc centrum ducat. Nulla dies, nulla hora, imò nullum momentum sit sine linea ad hoc momentum extremum directè deducta, in quo situm est maximum æternitatis momentum, ubi hostis omnes exerit vires tentationum ad perdendum hominem. Si unquam expeteremus adjutorium, tunc certè super omnia in illa lucta postrema juvari vel maximè posceremus. Hoc igitur quod nobis fieri vellemus, aliis in hac suprema ultimi agonis necessitate constitutis faciamus. Et quidem non est momentum, quo non aliquis Christianorum in tanta Catholicæ Ecclesiæ per totum Orbem distributæ universitate animam agat positus in fine vitæ; agonizans jamjam exhalet spiritum: inde omni momento cum ope auxilii nostri parati esse deberemus. Et quis tanto sufficeret labori? Quid medii, quid remedii; ut illis opem & operam nostram possimus impertiri? Adjutorium nostrum ex nobis infirmum est, sed ex fontibus Salvatoris, ex meritis Christi, ex cruento agoniæ ejus sudore, ex suspirio agonizantis crucifixi, potens auxilium, adjutorium firmum, & redemptio poterit suppetere copiosa. Hauriamus ex prædictis vulnerum fontibus in gaudio aquas salutis: (*Isaiæ* 12.) medicinam salutarem ex pretiosis meritorum ejus apothecis petamus. Agoniæ & agonis ejus angores applicemus agonizantibus animabus, ut in angustia illa mortalitatis refocillentur, in æstu dolorum refrigerentur; in langvore & deliquio corporis, tum & animæ extasi resuscitentur, ad fortiter dimicandum, ad legitimè bonum certamen certandum, ad cursum vitæ consummandum, ut repositâ sibi à justo Judice in illo die coronâ justitiæ coronentur. (2. *Timoth.* 2.) Qui enim certat in agone, nisi legitimè certaverit, non coronabitur. (*Ibid.*) Sed quodnam est legitimum certamen? Nihil concedere adversario, in nihilo cedere hosti, resistere ipsi etiam ad sangvinem, ut fugiat à nobis; (*Jacobi* 4.) parvulos quoque cogitatus allidere ad petram quæ Christus est, (*Psalm.* 136.) animam servare, (*Eccli.* 10.) seipsum tueri, in foraminibus ejusdem petræ, in cavernis maceriæ. (*Cant.* 2.) Dum anxiaretur cor meum, ait Propheta: *Psalm.* 60.) quod maximè fit in agone, in petra exaltâsti me. Nulli vulneri dare locum, inimicum cædere & occidere, hoc est legitimè certare. Sed quibus armis in hoc singulari certamine Goliathus iste vincitur? Non aliis equidem nisi quinque lapidibus ex funda jactis: (1. *Reg.* 17.) quinque lapides num quinque vulnera Christi? num quinque virtutes crucifixi? Haud dubiè optimum armamentarium Christus crucifixus. Turris fortitudinis à facie inimici, (*Psalm.* 60.) urbs fortitudinis nostræ Sion, (*Isaiæ.* 26.) acervus dicitur lapidum Sion, (*Isaiæ* 17.) imò in lapide angulari Christo JESU, (*Eph.* 2.) in lapide vivo, probato, electo, pretioso, in fundamento Sion à Deo misso & fundato, (*Isaiæ* 28.) vero adjutorii lapide: (1. *Reg.* 4. & 7.) Salvator enim planè positus in Sion murus & antemurale, (*Isaiæ* 26.) lapis erectus in titulum & vocatus aula DEI: (*Gen.* 28.) lapis quem reprobaverunt ædificantes, factus in caput anguli. (*Psalm.* 117.)

Momentū undè pendet Æternitas.

Iuvandi agonizantes motivū & modi.

Merita Christi.

Certamen legitimum.

Arma contra Goliath lapides 5. alleg.

In hac urbe refugii, in hac Sion omnis lapis pretiosus (*Ezech.* 28) contra lapidem offensionis diabolicæ, contra petram scandali ejus, (1. *Petri* 2.) contra effrontem Goliathi frontem, contra illius lucifugi in medio ignitorum lapidum olim ambulantis, (*Ezech.* 28.) nunc in lapide caliginis (*Job.* 28.) & umbra mortis hærentis conatus furibundos. Limpidissimi tamen lapides (1 *Reg.* 17.) torrentis illius, de quo in via bibit exaltatus caput (*Psalm.* 109) Redemptor noster; torrentis, inquam, amarissimæ Passionis, quinque fuerunt selecti, qui maximè in crucis altari, quod etiam non ex sectis sed lectis lapidibus fieri debebat, (*Exodi* 20.) elucescunt. Primus lapis humilitas usque ad exinanitionem suimetipsius, & secundus lapis obedientia usque ad mortem crucis, (*Philip.* 2.) infimæ & supremæ parti crucis optimè correspondentes. Tertius & quartus lapis nonne extrema paupertas usque ad nuditatem, & summa patientia usque ad obmutescentiam latera duo crucis efformantes? Jam quintus & ille est unus lapis, quo Goliath trucidatus, infixus in fronte ejus, (1. *Reg.* 17.) charitas DEI & proximi, ipse Jesus Christus crucifixus in medio crucis, planè vita ante nos pendens. (*Deut.* 28) His lapidibus armata agonizans anima, his armis induta velut miles Christi, (2. *Timoth.* 2) utique legitimum certamen faciet, utique fortem illum invasorem custodientem atrium suum cum hoc Fortiori omnium fortissimo superveniente superabit inimicum, (*Lucæ* 11.) victoriam reportabit, ut sic vincenti detur corona vitæ æternæ. (*Apoc.* 2.) Gratias Deo, qui nobis dat victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum & hunc crucifixum. (1. *Cor.* 15.) Eja milites Christi abjectis operibus tenebrarum, induimini armis lucis, inclamat Apostolus. (*Rom.* 13.) Cernitis illum lapidem abscissum de monte sine manibus descendentem de coelo, de sinu Patris, de Regalibus sedibus venientem, (*Sap.* 18.) quomodo percutit statuam illam Heteroclitam, (*Dan.* 2.) mundum hunc ejusque superbiam humilitate suâ, ita ut conterantur omnia & redigantur in favillam? mundus enim transit, id est perit, & concupiscentia ejus. (1. *Joan.* 2.) Ultrò igitur abdicandus, abnegandus, renunciandus, ne ullum ejus desiderium in corde hæreat. Qui in agone contendit, ait magnus Athleta Christi Paulus, (1. *Cor.* 9.) ab omnibus se abstinet. Omnia relinquenda agonizanti animæ, omnia arbitranda ut stercora, ut lucrifaciat Christum crucifixum. (*Phil.* 3.) Per obedientiam verò totam se abneget à voluntatibus suis se avertendo, (*Eccl.* 18.) propriam voluntatem eliminando, & Divinæ voluntati se subjiciendo, eamq; solam faciendo. Hinc procedet paupertas nuda nudum Christum sequendo cum nudo corpore nata, nudo corpore in terram pergens, (*Job* 1.) omnibus terrenis & temporalibus denudata. Hinc prodibit & patientia crucem suam post Christum tollendo. Denique amor omnia vincens eriget vexillum crucis; charitas quæ nunquam excidere debet (1. *Cor.* 13.) ergà Deum & proximum diffusa in corde, (*Rom.* 5.) quidni triumphabit? Quis enim separabit animam talem à Charitate Dei, quæ est in Christo JESU? Neque mors, neque vita, ne-

Goliath satbā.

Torrens Passionis.

Humilitas & Obedientia.

Paupertas & Patientia.

Charitas.

Adhortatio ad bonum certamen.

Lapis statuam percutiens.

Abnegatio mundi & sui.

que instantia, neque futura, nec creatura alia poterit separare (*Rom.* 8.) animam sic agonizantem, quæ tamen in justitia & sanctitate coram Deo vivens omnibus diebus suis, (*Lucæ* 1.) hoc ultimi agonis momento sic legitimè certaverit. Ergò pro justitia, monet Ecclesiasticus *cap.* 4.) agonizare pro anima tua, certa usque ad mortem pro justitia justitiæque corona; non confundere cùm loquêris inimicis tuis in porta mortis, (*Psal.* 126.) imò Deus pro te expugnabit inimicos tuos (*Eccl.* 4.) : cùm placuerint tibi prædicti lapides torrentis, quos ex funda tuæ voluntatis jacies contra inimicum, prodibit sicut torrens gloria tua, ponetur super caput tuum corona de lapide pretioso. (*Psalm.* 20.) Sed quò deveni? Dicere debueram de adjutorio animabus in agone constitutis impertiendo, & ecce differui; quomodo nos ad agonem bonum disponere debeamus. Neque sic malè: in tali enim statu positi faciliùs & efficaciùs animabus illis opitulabimur. Redeo igitur ad prius & concludo suspiriis ardentibus Jesu in agonia horti & in agone crucis langvido, animas agonizantes debere commendari. Quidquid intereà Sacrificiorum, Communionum, orationum, mortificationum, jejuniorum, eleemosynarum cum meritis Passionis Christi offerre possumus, illis in adjutorium offeramus invocando assistentiam Angelorum & Sanctorum ac maximè Reginæ eorum, ut per illam protegantur ab hoste, & à Jesu in hora mortis suscipiantur ad requiem æternam.

Non potest malè mori qui benè vixit.

Funda voluntas.

Melior meliùs juvat agonizantes.

Compendium auxilij agonizantium.

Septima Devotio pro Animabus in Purgatorio detentis in Tractatu tertio reperitur commendata Fol. 157. & in sequentibus Tractatibus invenietur.

Sermo in festo Sancti Martini,

Et Undecimus de Via Compendiosissima ad salutem, quæ est Conformitas voluntatis humanæ cum Divina.

Fiat voluntas Tua, alloquitur DEUM Oratio Dominica; (*Matth.* 6.) orat usque tertiò Christus in horto ante passionem: precatur Sanctus Martinus ante mortem. Jam Brevis Compendii pro vita Spirituali & Devota rectas emensi semitas, rectis callibus justi ad ambulandum superatis, (*Isaiæ* 26.) portum ultimi tenemus testamenti: sed liceat nobis illud antevertere; ut & Breve Compendium magis adhuc abbreviemus, & omnes semitas ad compendiosissimam ac consummatissimam viam reducamus. Et hæc non est alia nisi conformitas humanæ voluntatis cum Divinâ. Quod credimus primum fuisse hominis delictum? Num gulam? Ita est. Num superbiam? Et hæc sanè fuit. Num curiositatem sciendi bonum & malum? Ista quoq; adfuit. Num Divinitatis ambitionem? Neq; hæc abfuit. Studiumne complacendi mulieri? Nec hoc defuit. Quid tamen erat primarium? Divinæ voluntatis per inobedientiam prævaricatio. O scelus nefandum! ô crimen detestandum! quod hominem Deo rebellem, paradiso extorrem, vitâ privum, mortis captivum, servum peccati, (*Joan.* 1.) diaboli mancipium, æternæ reum damnationis effecit. O ho-

Orationis & vitæ spiritualis summa.

Peccatum primi hominis.

Inobedientiæ malignitas.

O homo si sapis, sequere monitum Ecclesiastici *cap.* 18.) à voluntatibus *Ob cõformitatem cum D. voluntate.*
tuis avertere, & ad Divinam voluntatem convertere. Unde Noe fuit
vir justus & perfectus? (*Gen.* 6.) Quia cum Deo ambulavit: Dei vo- *Noë perfectus.*
luntati obsequebatur. Quid Abrahamum fecit Patrem credentium; *Abraham protoparens filij Dei.*
(*Rom.* 4.) imò ipsius Filii DEI protoparentem? Quia fecit, quod Deus
imperavit. Ambulabat primùm coram Deo, (*Gen.* 17.) id est ad nutum
Divinæ voluntatis egrediens de terra & de cognatione sua, progrediebatur.
(*Gen.* 12.) Deinde volenti DEO, ut Filium suum unigenitum, quem diligebat,
Isaac à Deo sibi promissum & datum immolaret, obtemperavit;
(*Gen.* 22.) unde benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus &
testamentum suum super caput ipsius confirmavit. (*Eccli.* 44.) Quid
Saulem primùm à Deo electum Israelitarum Regem (1. *Reg.* 9.) Regno *Saulem perdidit voluntas propria.*
depulit, nisi voluntatis Divinæ in delendo Amalec transgressio? (1. *Reg.* 15.)
Quasi peccatum ariolandi erat ei, repugnare, & quasi scelus idololatriæ
nolle acquiescere. (*Ibid.*) Sed cujus idoli cultus fuit iste? Propriæ vo- *Scelus idololatriæ inobedientia.*
luntatis. Abominandum simulachrum propria voluntas. Melior fuisset
ipsi obedientia, quàm victimæ, & auscultare magis quàm offerre adipem
arietum. (*Ibid.*) Contrà quid Davidem ad Regnum extulit? Quia erat *David Rex.*
Vir secundùm cor DEI, qui omnes DEI faciebat voluntates.
(*Actor.* 13.) Paratum cor meum Deus, psallit Sanctus Vates, (*Psalm.* 107.)
paratum cor meum. Paratum ad prospera; paratum ad adversa; paratum
exequi voluntatem Tuam, paratum obsequi voluntati Tuæ. Dupliciter
enim nos tangit & nobis se pandit voluntas Dei: per signa mandato- *Signa mandatorũ beneplacita judiciorũ.*
rum suorum; & per beneplacita Judiciorum suorum. In illis docemur fa-
cere quod vult DEUS, in istis pati quod vult Deus. Et sanè voluntate Dei *Motiva conformitatis.*
creata sunt omnia, quidni homo? Omnia quæcunque voluit Dominus, fe-
cit in cœlo & in terra; (*Psalm.* 113.) & propter voluntatem suam creavit
Deus omnia. (*Apoc.* 4.) Quidni consilium meum stabit, ait Deus apud
Isaiam *cap.* 46.? & omnis voluntas mea fiet. Sed per quem? Vocans
ab Oriente justum, prosequitur Deus *Ibid.*) & de terra longinqua virum *Vir voluntatis Dei.*
voluntatis meæ. (*Psal.* 1.) Illum planè qui dicit. (*Psalm.* 29.) In capite
libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem Tuam, Deus meus volui;
& legem Tuam in medio cordis mei. Lex Domini voluntas ejus. Non
enim veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit
me: (*Joan.* 5.) obediens factus usque ad mortem crucis, (*Phil.* 2.) obla-
tus in ea quia ipse voluit, (*Isaiæ* 53.) hoc quod voluit Pater. Et quid à
nobis requirit Deus? Nonne ut faciamus voluntatem ejus tàm activè
quàm passivè? Activè voluntatem Dei in omnibus ad effectum dedu- *Obedientia activa & passiva.*
cendo; passivè de manu voluntatis ejus omnia acceptando? Hæc est
perfectio nostra, hæc quies, hæc beatitudo. Sic stemus pleni in omni vo- *Voluntatis D. prædicatâ.*
luntate Dei, (*Coloss.* 4.) quæ est basis fidei, anchora spei, charitatis cen-
trum, vinculum, & ultimus finis. Intereà probare debemus, quæ sit vo-
luntas Dei bona, beneplacens & perfecta. (*Rom.* 12.) Bona in præceptis

Voluntas D. bona, beneplacens perfecta. ejus; beneplacens in judiciis ejus, perfecta in utroque. Per bonam declinamus à malo & facimus bonum, (*Pſalm.36.*) omnemque legem Christi adimplemus. (*Galat.6.*) Per beneplacentem ſuſtinemus malum, appetitum ſub nos ſubjugamus, (*Gen. 4.*) paſſionibus noſtris dominamur. Per perfectam utrumque complectimur: & agimus & patimur, quod vult Deus. Beata anima, quæ cum Sponſa dicere poteſt: (*Cant. 2.*) *S. Martini imitatio.* Dilectus meus mihi & ego illi. Ita S. Martinus nec mori timuit, nec vivere octuagenarius recuſavit, Deo fidenter dicens: Fiat voluntas Tua. Exemplum propriæ voluntatis Scriptura Sacra nobis in Jona Propheta *Voluntatem propriam luit Jonas repugnans Deo.* repræſentat. Mandat DEUS Jonæ: (*cap. 1.*) Vade in Ninive civitatem grandem, & prædica in ea: Jonas verò abiit ut fugeret in Tharſis à facie Domini. En rebellio contra voluntatem Divinam, en propriæ voluntatis ſequela. Quid ampliùs? facta eſt tempeſtas magna in mari: Jonas dormit ſopore gravi; quia voluntatem ſuam fieri videbat. Id quomodo? DEUS habere voluit Jonam inſtrumentum voluntatis ſuæ in converſione Ninivitarum; Jonas voluit pati detrimentum vitæ, ut periret. Tollite me & mittite me in mare; nautis imperat. Ad quid? ut moriar & peream, & non fiat hoc quod DEUS vult; ſed quod ego volo. Salvat DEUS Jonam, (*cap. 2.*) iterat mandatum: (*cap. 3.*) tandem obedit Jonas, vadit, prædicat pænitentiam, aſcendit montem; aſpectat & expectat Ninive ſubverſionem. Deus voluit ſalvam Niniven, Jonas voluit perditam Niniven. Miſeretur Deus urbis pænitentiam agentis nec perdit eam. (*Ibid.*) Quid Jonas? Petivit animæ ſuæ ut moreretur, quia non factum eſt ſicut *Fructus conformitatis cum D. voluntate.* ipſe voluit. (*Jonæ. 4.*) Verè homo propriæ voluntatis animæ ſuæ mortem cauſat: homo bonæ voluntatis id eſt Divinæ (nemo enim bonus niſi ſolus DEUS *Lucæ. 18.* animam ſuam ſalvat; denique pax eſt ei. Ita equidem nemo magìs eſt in pace & quiete, quàm vir voluntatis Divinæ, (*Iſaiæ. 46.*) qui Deum ſemper orat: Dirige Domine DEUS meus in conſpectu Tuo viam meam, (*Pſalm. 5.*) doce me facere voluntatem Tuam, (*Pſalm. 142.*) da mihi perſeverantem in voluntate Tua famulatum; (*Eccl. in Col.*) denique in vita & morte dicit continuò cum Chriſto, cum Sancto Martino; non mea fiat voluntas, ſed Tua DEUS meus (*Lucæ. 22.*) nunc & in æternum.

Sermo in feſto Conceptionis B. M. V.

Dantiſci coram Sodalibus Marianis in Collegio PP. Societatis JESU prædicatus.

Immaculatam V. nemo dignè laudare, poteſt. CONceptio eſt hodie ſanctæ Mariæ Virginis Dei Genitricis, canit Sancta Mater Eccleſia, de qua immaculata immaculatè concepta, quid ego plenus macularum & in iniquitatibus conceptus (*Pſalm 50.*) audebo concipere? de qua libera ab originalis peccati labe, quid præſumam proferre ego funibus peccatorum circumplexus, (*Pſalm. 118.*) & quem in peccatis concepit mater? (*Pſalm. 50.*) de qua mundiſſima omnis

mun-

munditiei fonte, quid ego de immundo conceptus semine (*Job* 14.) ore immundo tentabo eloqui? Nonne enim hæc est, in qua de Spiritu Sancto virtute Altissimi obumbrante conceptus, & de qua natus est JESUS Filius DEI vivi, qui vocatur Christus? (*Matth.* 1.) Concipiam nihilominùs, quantumuis non sit speciosa laus in ore peccatoris; (*Eccli* 15.) proferam & eloquar non pro ipsa gloriosæ Conceptionis dignitate, quam pro meæ tenuitatis possibilitate, & conceptam in utero S. Matris Annæ Matrem DEI semper Virginem, Diluculum Gratiæ Divinæ Orbi attulisse manifestabo. *Diluculũ Gratiæ D. Deiparæ* Tu ipsa Mater Verbi Divini in utero tuo per conceptionem abbreviati da cordi meo breve verbum & bonum, (*Psalm.* 44.) da sermonem benè sonantem in os meum, & licet Infans, jam tamen anima tua magnificans DEUM, dignare gratiam addere labiis meis; (*Prov.* 16.) gratiam fandi, quæ linguas infantium facis disertas, (*Sap.* 10.) ad infantiam gratiæ Divinæ in Tua Conceptione exorientem patefaciendam. Vos Mariophili Sodales loquenti favete auribus, loquelam cordibus fovete. *Mariophili Sodales.* Quid enim? *Conceptio est hodie Sanctæ Mariæ Virginis*: prima simul est Conceptio Divinæ Gratiæ per eam homini peccatori illucescentis. Nox peccati erat in hac regione umbræ mortis, (*Isaiæ* 9.) caligo culpæ omnes occupans & amaritudine involvens, (*Job* 3.) terram inanem & gratiâ Divinâ vacuam (*Gen.* 1.) occupaverat; planè tenebræ erant super faciem universi, super faciem abyssi (*Ibid.*) æternæ damnationis, in quam se primus homo absque spe salutis adipiscendæ præcipitaverat. *Nox peccati.* Jure meritò maledicit illi nocti Rex terræ Hus Job inquiens; *cap.* 3.) pereat nox, in qua dictum est; conceptus est homo: tota nimirum massa generis humani in protoparente concepta, & à diabolo principe & rectore tenebrarum (*Eph.* 6.) decepta, capta, & captivata; per cujus invidiam, teste Apostolo: *Rom.* 5.) mors intravit in Orbem terrarum. Abyssus erat peccati tenebrosa, (*Gen.* 15.) quæ abyssum gratiæ Divinæ luminosam invocabat. (*Psalm.* 41.) Expectabat Lucem Christum & non videbat, nec ortum surgentis Auroræ (*Job* 3.) Mariæ. *Lux Christus.* Ultra quinquaginta transierant secula, quibus homines naturâ filii iræ nascebantur, (*Eph.* 2.) & non tantùm concepti à prima matre Eva verâ morientium matre, cum multiplicitate ærumnarum & conceptuum ejus, sed & nati non videbant veram lucem, quæ illuminat omnem hominem in hunc mundum venientem. (*Joan.* 1.) Fiebat unicuique mater sepulchrum, & vulva conceptus æternus, (*Jer.* 20.) ad mortem, non ad vitam; ad iram, non ad gratiam. Sicut quæ concipit, cùm appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus suis, sic facti eramus à facie tua Domine; ait Propheta Isaias *cap.* 26.) Ubique ira Domini justa dominabatur; ubique mortis imago videbatur. Ita nox præcessit (*Rom.* 13.) peccaminosa, mortifera, ærumnosa, donec veniret plenitudo temporis, (*Gal.* 4.) tempus acceptabile ac dies salutis appropinquaret, (2. *Cor.* 6.) Anna Mariam, Gratia (*nam hoc sonat Annæ vocabulum*, ait Divus Joannes Damascenus) Illuminatricem (quod nomen Mariæ denotat) vel Stellam maris, Stellam matu- *Anna Gratia, Maria Illuminatrix.*

tinam exoptatæ diei nunciam, Auroram concepit, & ideò Conceptio est hodie Sanctæ Mariæ Virginis in Sancta Anna. Nonne hodie per Mariam conceptam, nox nostra facta fuit illuminatio in deliciis (*Psalm.138.*) gratiæ Divinæ? imò sicut dies illuminata fuit. (*Ibid.*) Illuxit in nocte diluculum gratiæ per Mariam, sed non ex nocte. Origo Mariæ cælestis est, Divina est; licet originem carnis traxerit ab Adamo & Eva in nocte peccati constitutis, nullam tamen noctis maculam contraxit, quæ plena gratiâ (*Lucæ* 1.) priùs sibi plenum gratiæ diem, postea nobis gratiæ diluculum in se per se & secum aperiret. Neque enim locus iræ DEI esse debuit, unde origo gratiæ manaret. Audite ipsammet in Proverbiis loquentem *cap.* 8.) Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram. Quæ abyssi? Utique abyssi peccati, abyssi pænæ mortis, abyssi iræ DEI, hominem prævaricatorem vallantes. (*Jonæ* 2.) Nondum erant hæ abyssi; & jam Maria lucis, vitæ, gratiæ Mater futura in mente Divina concepta, (*Prov.* 8.) electa erat & præelecta. DEUS lux est, ait castissimus Discipulus, quem diligebat JESUS: *Ep. 1. cap. 1.*) Lux est & tenebræ in eo non sunt ullæ. Si Maria cùm esset parvula, placuit Altissimo, si apud Deum jam concepta erat; erat ante peccati abyssos, erat absque tenebris, erat in luce electa ut Sol, (*Cant.* 6.) in hodierna Conceptione sua immaculata, progrediens velut Aurora consurgens; (*Ibid.*) in unione animæ intaminatæ cum corpore incoinquinato, pulchra ut Luna (*Ibid.*) plena, à Sole Divinæ gratiæ totaliter illustrata. Quam enim ipsa puritas DEUS, & omnis fons puritatis inhabitare, & de qua propter salvandum ex abysso peccati hominem, originem humanitatis suæ assumere debebat, decebat omnem absque omni macula puritatem in se continere. Non meus tantùm hic, sed Divi Anselmi Archiepiscopi de Matre DEI semper Virgine sensus asserentis: *Decens erat, ut eâ puritate, quâ major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, quæ Deum erat paritura.* Nunquid non Filia DEI Patris Maria? Nunquid non Filii DEI Mater? Nunquid non Spiritus Sancti Sponsa? Quid ergò Ipsi potuit defuisse; quæ hodie quidem concepta, ab æterno tamen ordinata, & antequam terra fieret (*Prov.* 8.) maledicta; quominùs tam ex omnipotentia Patris, quàm ex Sapientia Filii, quàm ex bonitate Spiritus Sancti, lucem à luce, vitam à vita, gratiam à Summo Bono participaret? Quàm pulchra es, alloquitur eam Sponsus Spiritus S. in Epithalamio: *cap.* 4.) quàm pulchra es, repetit *Ibid.*) videlicet & in anima & in corpore pulchra, & macula non est in te, quia semper Immaculata. (*Cant.* 4.) Pulchritudo non cernitur in tenebris sed in luce; pulchritudo ex puritate & gratia cognoscitur. Tota pulchra es, subinfert *Ibid.*) Tota omninò Maria pulchra in luce, in puritate & gratia; tota pulchra in conceptionis ortu, & gratiæ diluculo. Ante Conceptionē Mariæ, homo concipiebat laborē ac dolorē, & pariebat iniquitatē. (*Isaiæ* 59.) Fatetur id Propheta Isaias dicens; *cap.* 26.) concepimus & quasi parturivimus & peperimus spiritū. Qualē? vanitatis, non veritatis. Proculdubiò, quia salutes non fecimus in terra. *Ibid.*) Sed quid?

Nox illuminatio.

Cælestis origo B. V. & præservatio à peccato.

Abyssi peccati.

Sol Luna Aurora.

Mater purissima.

Tota Pulchra.

Conceptiones humanæ.

Con-

Concepimus & locuti sumus de corde verba mendacii per patrē mendacii seducti. (*Isaiæ 59.*) Ipse Deus hoc enunciat hominibus per Prophetam Isaiā *cap. 33.*) Concipietis ardorem & parietis stipulas, spiritus vester ut ignis vorabit vos. Qualis spiritus? spiritus concupiscentiæ, qui in hominibus regnabat. Hæc cùm concipit, parit peccatum, juxta Apostoli Jacobi testimonium. *cap. 1.*) Sed in concepta Virgine intacta ex Patre sene & effæto, in Matre sterili & infæcundâ, Dei planè miraculo, virtute Altissimi operante, abest concupiscentiæ, exulat fomes peccati, abest & ipsum peccatum ex concupiscentia oriri, utpote è cujus purissimo sanguine & Virgineâ carne Verbum Caro factum, (*Joan. 1.*) Deus homo factus, & concupiscentiæ tollere & peccatum delere in carne veniebat. Abest, inquam, in concepta Virgine peccatum, adest gratia; abest nox, adest lux: abest mors, adest vita. Et hæc est, quæ homini in nocte peccati & mortis abysso demerso, gratiæ lucis & vitæ primordia per suam attulit conceptionem, gaudium annunciavit mundo universo. Ecquis non impensè gauderet è tenebris educi in lucem, ex morte protrahi ad vitam, ex peccati & pœnæ profundo prodire in gratiam? Maria igitur gaudium est generis humani propter gratiæ diluculum. Conceptio Mariæ Virginis, est conceptio Divinæ gratiæ in homine. Prima Maria ex progenie humana, teste Archangelo cælesti Nuncio, invenit gratiam apud Deum, (*Lucæ 1.*) apud quem jam concepta erat plena gratiâ; *invenit pro nobis, ut sibi plena, nobis esset superplena*, juxta Melliflui Doctoris nostri effatum: ut nobis diluculum gratiæ apportaret. Deus erat vocans ab Oriente justum; (*Isaiæ 46.*) Ecce vir, Oriens nomen ejus. (*Zach. 6.*) Sed Maria mulier circumdans virum; (*Jerem. 31.*) Oriens Orientis: Oriens gratiæ DEI; illa planè quæ fecit oriri in cælis lumen indeficiens. (*Eccli. 24.*) Luctabatur genus humanum in persona Jacob Patriarchæ tota nocte (*Gen. 32.*) lumen gratiæ poscens à Deo, sed non impetravit nisi mane diluculo, ubi Deus in persona Angeli infert: *Ibid.*) Dimitte me, cessa luctari; jam enim aurora est, in Oriente est Oriens Aurora Maria; ecce diluculum gratiæ coruscans. *Maria filia Sanctæ Annæ id est gratiæ*, (*Anna Mariam, gratia Dominam parit*, ait Sanctus Damianus.) Dominam utique gratiæ, Gratiæ Divinæ Dispensatricem. Verè fide & ipsa Diva Anna velut Sara sterilis virtutem in conceptione seminis Sancti (loquente Apostolo *Hebr. 11.* de Sara) accepit præter tempus ætatis, hoc est semen benedictum, in quo omnium gentium promissa erat benedictio. Semen nequam erat totum genus humanum: semen bonum cæpit in Maria hodie conceptâ, ex quâ tanquam plenâ gratiâ prodiit semen Divinum, semen illud quod est Verbum DEI, (*Lucæ 8.*) multò magis plenum gratiæ & veritatis. (*Joan. 1.*) Num frustrà inimicitiæ à Deo positæ inter mulierem (*Gen. 3.*) benedictam in mulieribus, (*Lucæ 1.*) & serpentem ac inter semen utriusque? (*Gen. 3.*) Ab effectu patet; utpote quòd ipsa esset haud dubiè virtute seminis caput contritura serpentis. (*Ibid.*) Ecquod caput? Nullum equidem

Genealogia peccati.

Prima, de posteris Adæ, in Gratia D. cōcepta B. V.

Gratia plena sibi & nobis.

Oriēs Oriētis.

Lucta Jacob.

Maria Domina

Ex meritis Christi prævisis præservatio

nisi capitale originis peccatum; immunis ab eo, quod est caput omnium peccatorum. Jam ergò Beatissima Inventrix gratiæ, genitrix vitæ, mater salutis, nunquid non concepisti Tu omnem hanc multitudinem hominum vera Mater viventium? (*Gen. 3.*) imò genuisti eam in verbo gratiæ & veritatis. (*Jacobi 1.*) Liceat mihi obsecrare Te, & supplicare Tibi. Porta nos in sinu Tuo portata hodie in sinu S. Annæ Matris Tuæ, porta in sinu gratiæ. Porta sicut portare solet nutrix infantulum, (*Num. 11.*) mater prolem, & defer in terram promissionis, ad patriam cælestem, ut gratiam & gloriam des nobis Domina, quæ es Janua cæli, Porta paradisi. Nos verò Sodales Parthenii sub titulo Immaculatæ Conceptionis curemus esse immaculati, esse sine peccato in conspectu DEI, ut simus absque tenebris in luce, absque morte in vita, absque ira DEI in gratia; & ex consilio Sancti Bernardi lacte Virginis pasti, *quæramus semper gratiam apud Deum, & per Mariam quæramus apud eum, qui totos nos habere voluit per Mariam*; quæ non tantùm est Divinæ gratiæ diluculum, sed & luminis gratiæ plenitudo; quatenùs etiam in nobis *Conceptio Sanctæ Mariæ Virginis* hodie verificetur.

Caput omnium peccatorum originale.

Ad Matrē Viventium aspiratio.

Imitatio Immaculatæ V. & cultus.

Sermo in fine Anni,

Et Duodecimus De Testamento Christiani Hominis Spiritualis ac Devoti, quod est octava Devotio pro felici morte.

Et vos estote parati, quia quâ hora non putatis, filius hominis veniet. Luc. 12.

Finis venit, venit finis (*Ezech. 7.*) anni hujus ad extrema sua defluentis, jamque momentis suis, quibus durat, transvolantibus in agone positus nos excitat, quatenùs non expectemus ipsam mortis extremitatem, finis vitæ hujus mortalis & novissimorum nostrorum memores; sed agonem ejus semper in agone contendentes præveniamus. Veniet finis universæ carnis, (*Gen. 6.*) quando terrena hæc habitatio dissolvetur & miserum hoc corpusculum nostrum reddetur terræ, anima verò redibit ad Creatorem, receptura mercedem, prout gessit sive bonum sive malū. (*2. Cor. 5.*) Parati ergò esse debemus ad adventum Domini postremam nescientes horam; præparatio autem hæc nostra in bono consistit testamento. Quid quod ipse Deus hominibus tam in lege veteri quàm in nova suum reliquit testamentum? Ac in veteri quidem lege dedit fideli Abrahæ testamentum Circumcisionis, juxta eloquium Divi Stephani Protomartyris, (*Act. 7.*) & per Moysen tabulas illas testamenti, (*Heb. 9.*) quibus testatus est Deus hoc quod ab hominibus fieri volebat, quæ etiam cum mannâ & virgâ Aaron frondente in Arca testamenti aurea asservabantur. (*Ibid.*) Denique ab eodem Moyse lecto omni mandato legis universo populo, teste Apostolo, accipiente sangvinem vitulorum & hircorum cum aqua & lana coccinea & hyssopo eoque aspergente librum ad omnem populum dicebatur. Hic sangvis testamenti, quod mandavit ad vos Deus. (*Ibid.*)

Finis anni finis vitæ.

Autor testamētorum Deus, & Christus.

(*Ibid.*) In lege autem nova, ubi Christus Dominus novi & melioris testamenti in melioribus repromissionibus sanciti Mediator, auctor, & institutor, testamentum baptismi in remissionem peccatorum statuens, (*Lucæ 3.*) testamentum maximi & primi mandati de dilectione DEI & proximi, in quo universa lex pendet & Prophetæ (*Matth.* 22.) renovans & explicans; postremò seipsum nobis in testamentum consignans, corpus in cibum, sanguinem in potum offerens morte suâ novum firmavit testamentum. Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris, testatur Vas electionis Christi. (*Galat. 9.*) Testamentum namque in mortuis confirmatum est, alioquin nondum valet dum vivit, qui testatus est: unde nec primum sine sanguine dedicatum est, inquit idem Doctor gentium *Ibid.*) nec sine morte vitulorum & hircorum, nec novum sine sanguine & morte Redemptoris. Et nos quid? nonne unusquisque nostrûm dicere potest? Quotidie morior & magna pars mei jam sentit libitinam. Semper aliquid de vita nobis decedit, & annos quos computamus præteritos, morti destinatos arbitremur. Omnia vitæ momenta mors abripit continua, ipsamque vitam cum morte dividimus. Ac proinde ad ultimum illud momentum vitæ & mortis nobis ignotum quamdiu vivimus, paremus nos; ut cùm venerit Dominus, (*Matth.* 25.) inveniat paratos. Præparatio hæc, uti dixi, legitimum semper à nobis requirit testamentum. Sed quid inopes & pauperes facti, (*Psalm.* 78.) qui nihil habemus, pro testamento locare possumus? Quid enim habemus, quod non accepimus? (1. *Cor.* 4.) Hoc ipsum tamen quod accepimus à Domino, Domino reddere tenemur. Quid tamen retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? (*Psalm.* 115.) Duo talenta corpus & animam tradidisti mihi, (*Matth.* 25.) hæc ipsa duplicata utinam restituam tibi; utinam non fodiam in terram, terræ huic inhians, terrena duntaxat cogitans & amplectens, adeoque absque fructu abscondam in terra pecuniam Domini mei! Quam pecuniam? meipsum: qui emptus sum pretio magno, (1. *Cor.* 6.) redemptus sanguine Redemptoris, qui glorificare & portare teneor Deum in corpore meo; (*Ibid.*) quidni in anima ad imaginem & similitudinem ejus creatâ (*Gen.* 3.) & ob drachmam perditam ac per ipsum inventam recuperatâ, (*Lucæ* 15.) ut reddam quæ sunt DEI Deo? (*Matth.* 22.) Et illa mulier à Domino laudata, nonnisi duo minuta misit in corbonam, (*Lucæ* 21.) & ego eadem duo in corpore & anima repræsentata quò reponam, nisi in gazophylacio redemptionis: ut sic recipiam duplicata, participium habens gratiæ & meritorum ejus? Sed implantari debeo passioni ejus & morti, ut sim socius passionis, (2. *Cor.* 1.) confixus cruci ejus, (*Gal.* 2.) eoque in carne passo eâdem quoque ego armer cogitatione (1. *Pet.* 4.) tollens crucē meam, (*Matth.* 16.) abnegans memetipsum ac sequens Jesum & hunc Crucifixum. (*Ibid.*) Pro confusione hac duplici & rubore passionis tam in corpore quàm in anima, duplicia in terra mea, non illâ maledictâ primi Adæ spinas & tribulos germinante,

Testamenti requisitum mors

Quotidie morimur.

Estote parati.

Testamentum pauperum.

Duo talenta corpus & anima.

Pecunia Domini ipse homo.

Duo minuta in gazophylacium redemptionis.

Vita Christiformis.

Confessio duplex

Terra Benedicta B. V.

nante, (*Gen.* 3.) sed benedictâ Secundi Adæ, illâ quæ germinavit ipsum Salvatorem, (*Isaiæ* 45.) & dedit fructum (*Psalm.* 66.) salutis æternæ, possidebo. (*Isaiæ* 61.) Illius enim Mulieris fortis, nimirum Sapientiæ Dei (liceat sic dicere) increatæ & incarnatæ omnes domestici vestiti sunt duplicibus; (*Prov.* 31.) gratiam enim & gloriam dabit Dominus: (*Psalm.* 83.) nonne duplum & centuplum gratiæ hìc accipere & ibi vitam æternam possidere? (*Matth.* 19.) Lucrum ergò meum duplicatum, Jesus est in morte crucis & in vita Resurrectionis. Ibi meriti & gratiæ, hìc præmii & gloriæ percipio communionem. Et hoc est testamentum, quod facere possumus, non existimando nos aliquid esse, cùm nihil simus, (*Gal.* 6.) humiliando nos, annihilando nos, testando quòd omnis sufficientia nostra ex Deo sit. (2. *Cor.* 3.) Per ipsum remissio peccatorum, per ipsum meritorum & gratiæ Dei acquisitio; in ipso salus, vita & resurrectio nostra, ac ideò cum ipso omnis nostra sit conversatio. Calicem salutaris, calicem passionis accipiamus, (hic calix novum testamentum est in sanguine ejus, 1. *Cor.* 11.) & nomen ejus invocemus (*Psalm.* 115.) testamento baptismi renovati, pænitentiæ lavacro semper regenerati: assumamus testamentum ejus per os nostrum, (*Psalm.* 49.) ac potissimùm testamentum dilectionis DEI & proximi corde & opere exequentes; panem vitæ manducemus; (*Joan.* 5.) ut crescamus in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, (*Eph.* 4.) vitæ ejus conformes facti; quidni parati erimus in illa hora, in illo momento, quando veniet Dominus, si cum ipso & in ipso semper tali modo fuerimus? Quod ut fiat, quotidie moriendo temporaliter, quotidie moriamur spiritualiter, moriamur mundo, moriamur carni, moriamur terræ, moriamur nobis ipsis, id est internis nostris passionibus, aversi à pravis voluntatibus nostris, (*Eccli.* 18.) ad solam voluntatem DEI conversi; demùm in conscientiis nostris emundati per sanguinem testamenti ejus ab operibus mortuis ad serviendum ipsi Deo viventi, (*Hebr.* 9.) ut tali legitimo ac novo semper testamento provisi non tantùm pessimam peccatorum mortem effugiamus, sed potiùs pretiosam in Christo Jesu mortem Sanctorum (*Psalm.* 115.) adipiscamur canentes cum Propheta Isaia *cap.* 61.) Ego autem gaudebo in Domino & exultabo in Deo Jesu meo: Deus Dominus fortitudo mea (*Psalm.* 17.) in brevi compendio vitæ spiritualis & devotæ exequendo, & in morte mea ponet pedes meos quasi cervorum & super excelsa cælorum deducet me victor, (*Ibid.*) ubi memor ero in seculum testamenti (*Psalm.* 104.) gratiæ ejus, per quam saluatus sum. (*Eph.* 2.) Et sic in fine Anni hujus finientes discursum *brevis Compendii nostri*, additamenta pro nobis Religiosis annexa recolentes & finem annorum nostrorum recogitemus, annos æternos in mente habeamus, (*Psalm.* 76.) ut Deus coronæ anni benignitatis suæ, (*Psalm.* 64.) quâ nos ad se in fine recipiet, sine fine benedicat.

Vestiti duplicibus.

Per Gratiam ad Gloriam.

Testamentum Humilitatis.

Testamentum Pænitentiæ.

Testamentum Charitatis.

Quotidie moriendum pro salute.

Testamenti & vitæ spiritualis ac devotæ fructus.

SER

SERMONES DIVERSI

In Diverſis Occurrentiis habiti.

Exhortatio Fratrum Sacerdotio initiandorum.

Sacerdotii ſanctitas & dignitas.

DIxit Dominus ad Moyſen: *Levit.* 21.) Loquere ad Sacerdotes filios Aaron & dices ad eos: Sancti erunt Deo ſuo & non polluent nomen ejus: incenſum enim Domini & panes Dei ſui offerunt & ideò ſancti erunt. Si tanta ſanctitas à Deo requirebatur in Sacerdotibus veteris Teſtamenti incenſum & panes offerentibus, quantam creditis requiri in Sacerdotibus novi Teſtamenti ipſum Filium DEI incarnatum, Agnum illum immaculatum DEO ſacrificantibus? Equidem tanta eſt differentia inter Sacerdotes utriusque Teſtamenti, quanta inter ipſa Teſtamenta; quanta eſt inter umbram & lucem, inter figuram & veritatem, inter legem & gratiam. Juremeritò ſupereminentem Sacerdotii dignitatem exinde quisque conſiderare tenetur, quòd ad DEI ſanctitatem per illam elevetur; & ideò reciprocè ad culmen ſanctitatis aſpirare debet, qui tantæ dignitatis Sacerdotio cupit initiari. Honor ſacerdotalis eſt ex primis honoribus, Regiæ dignitati æquiparandus. Regale ſacerdotium, vocat Princeps Eccleſiæ Petrus *Ep.* 1. *cap.* 2.) & quemadmodùm unctio ſpectat ad Reges, ita & ad ſacerdotes: uterque unctus Domini, (1.*Reg.* 10.) uterque Chriſtus Domini (1. *Reg.* 24.) appellandus. Utraque hæc dignitas in Chriſto Domino reperitur, qui eſt Rex Regum, (*Apoc.* 19.) & Summus Pontifex in æternum ſecundùm Ordinem Melchiſedech (*Hebr.* 11.) creditur & agnoſcitur. Eapropter Sacerdos quiſque Chriſti vices in terris agere, Chriſti perſonam referre, Chriſti officium perficere cenſendus eſt. Officium Sacerdotis eſt plusquàm Angelicum, eſt Divinum. Neque enim Angelis ea poteſtas data eſt corpus & ſanguinem Domini ſub ſpeciebus panis & vini conſecrare. Quid dico Angelis? Ipſi puriſſimæ Virgini, Sanctiſſimæ Matri Dei, munus hoc minimè collatum eſt: ubi nova in dies & horas Chriſti quaſi regeneratio fit per Sacerdotes; ſolo verbo filium Dei è cælo evocando & ſub ſpecies panis & vini huc in terram ducendo & quodammodo cogendo? In hoc quanta patrentur miracula, quis ediſſeret? Scientibus Theologiam loquor, & ideò non moror. Hoc tantùm adnecto, quod officium Sacerdotale, ipſis Angelicis humeris formidandum cum magno timore & tremore ſit ſuſcipiendum. Miniſterium eſt DEI Altiſſimi, illius Terribilis, qui aufert ſpiritum principum; (*Pſalm.* 75.) Sacrificium eſt, in quo myſterium myſteriorum celebratur Unigeniti Filii Dei, illius qui judicaturus eſt vivos & mortuos: (2. *Timoth.* 4.) oblatio illa munda & immaculata (*Jacobi* 1.) Virginei Filii, Agni illius abſque macula (*Exodi* 12.) qui tollit peccata mundi; (*Joan.* 1.) ac idcircò mundo corde, mundo

Sacerdotij legalis à noſtrate differentia.

Regale Sacerdotium.

Ordo negatus Angelis & B. V.

Officii Sacerdotale terribile.

Puritas.

mundo ore, mundis manibus eſt tractanda. Arca hæc Dei omnipotentis, propitiatorium Altiſſimi, (*Exodi 31.*) non temerè contingenda, ne mors ſubitanea, qualis fuit Ozæ Sacerdotis ſubſequatur: (2. *Reg.* 6.) nec temerario quidem oculo reſpicienda, ne plaga Domini cadat, uti accidit ſuper Bethſamitas. Quis enim poterit ſtare ante conſpectum Domini DEI Sancti hujus, (*Ibidem*) quis, niſi & ipſe Sanctus ſit? Verè hic Deus eſt abſconditus, Deus Iſrael Salvator, *Iſaiæ.* 45.) quem in manibus tuis geſtas ô Sacerdos, ſed & Judex tuus eſt, qui ſcrutatur renes & corda, (*Pſalm.* 7.) qui interiora tua novit. Nihil eſt opertum (*Lucæ* 12.) neque abſconditum in oculis ejus, omnia ipſi nuda, & aperta ſunt, (*Hebr.* 4.) vide, ne quid in te reperiat, quod oculos poſſit offendere Majeſtatis. Nonne peccata populi debet manducare Sacerdos? Et quomodo? ſi non prætuleras pænitentiam. Inter lepram & lepram debes cognoſcere: (*Deut.* 17.) & qualiter? niſi agnoſcas te ipſum & ſcias te benè dijudicare, ne & tu ipſe leproſus ſis. Unde labia tua cuſtodire tenentur ſcientiam; (*Malach.* 2.) à cujus ore lex DEI requiritur. Nonne Sacerdos eſt medius inter Deum & hominem? debet igitur ita mediatorem agere, ut & ad Deum ſciat condignè approximare & proximo noverit congruè condeſcendere: ante omnia autem gratiam DEI addiſcat pro ſe & aliis aucupari. Sacramentum hoc magnum eſt (*Eph.* 5.) Euchariſtia, id eſt bona gratia; hinc in gratia Dei recipienda. Confert & auget gratiam, ſed iis qui ſunt in gratiâ. Nam qui eſt in peccato, judicium ſibi graviſſimum manducat & bibit (1. *Cor.* 11.) & veluti in Judam ſic in ipſum poſt buccellam ſatanas introibit. (*Joan.* 13.) Sacramentum hoc magnum eſt memoriale Paſſionis Dominicæ; unde Chriſto paſſo in carne eâdem quoque Sacerdotes cogitatione armari neceſſe eſt, (1. *Pet.* 4.) ut adimpleant ea, quæ deſunt Paſſionum Chriſti in carne ſua: (*Coloſſ.* 1.) Chriſto confixi cruci, (*Galat.* 2.) ſtigmata ejus in corpore ſuo circumferentes. (*Galat.* 6.) Sacramentum hoc magnum eſt, panis de cælo deſcendens eſt, (*Joan.* 6.) panis Angelorum, (*Pſalm.* 77.) in quem ſemper deſiderant Angeli proſpicere; (1. *Pet.* 1.) ac proinde converſationem Sacerdotum in cælis eſſe decet, (*Philip.* 3.) cæleſtis & Angelica vita ducenda eſt à Sacerdotibus, qui panem conſecrant & manducant, eum qui dat vitam mundo, (*Joan.* 6.) ut & Sacerdotes cum ipſo, per ipſum, in ipſo, imò ipſi ſoli vivant nunc & in æternum.

Reverentia. — *Peccata populi comedetis.* — *Euchariſtia Sacramentum vivorum.* — *Memoriale Paſſionis D.* — *Converſatio in cælis.*

Sermo in Anniverſario die Reverend. Domini Ditthardi Primi Abbatis Olivæ.

Olivæ genealogia.

MEmoria Primi Abbatis noſtri Ditthardi Profeſſi Monaſterii Colbacenſis Matris noſtræ Olivæ, in compoſitione odoris (*Eccli.* 49.) nardini planè ex Claravalle Proavia Olivenſi à Sancto Patre Bernardo velut Bonâ Nardo derivati, facta eſt nobis poſteris ejus: quandoquidem veneranda antiquitas hoc nobis reliquit in monumento ipſius memoran-

morandum, quòd fuerit *redolens ut florida Nardus.* In illo enim primo rigore & fervore Ordinis, qui omnimodè erat bonus odor Christi in omni loco (2. *Cor.* 9.) orbis terrarum, ad quem per tot diversas propagines deducebatur; & hic primus Pater noster ad has extremas Balthici maris oras delatus, haud dubiè dum esset Rex in accubitu suo (*Cant.* 1.) Dominus nimirum Majestatis, (*Psalm.* 28.) Trinus & Unus, Rex Regum & Dominus Dominantium, (*Apoc.* 19.) cui Oliva dedicabatur; hic quasi accumberet per singularem patrocinii sui accessum: utique Nardus nostra Abbas Ditthardus dedit odorem suum. (*Cant.* 1.) Et sanè si quem odorem spirabat Ordo noster à principio, non alium profectò, nisi nardinum humilitatis nimirum & austeritatis, quarum virtutum specimen in se nardus præsefert. Hinc quemadmodùm Christus Dominus tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis, (*Eph.* 5.) ita obsecrat nos per misericordiam DEI Apostolus, (*Rom.* 12.) ut exhibeamus corpora nostra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem. Et quod sacrificium gratius Deo? quàm cordis contriti per austeritatem, & spiritûs humiliati per pænitentiam. *Ego me obtuli sacrificium Deo in odorem suavitatis*, ait de se Martyr Laurentius; utique per martyrium: & de Sancto Patre nostro Bernardo inquit Summus Pontifex, *quòd in afflictione corporis sui usque adeò sibi mundum seque mundo reddidit crucifixum, ut confidamus Martyrum quoque eum merita obtinere Sanctorum, quem confessionis ordine & parsimoniâ vitæ tam longum constat duxisse Martyrium.* Christus ergò Crucifixus mitis & humilis corde, (*Matth.* 11.) hostia odorifera est Deo Patri. Vita Christiani humiliantis se sub potenti manu DEI, (1. *Petri* 5.) mundo crucifixa, (*Gal.* 6.) & Christo confixa cruci (*Gal.* 2.) per austeritatem, est sacrificium & martyrium, ubi odoratur Deus odorem suavitatis. (*Gen.* 8.) Porrexit quoque noster Proto-Abbas manum suam in libationem altaris, (*Eccli.* 50.) sacrificans se ipsum Deo per austeritatem sobrietatis & castitatis: *fuit enim*, ait antiquitas nostra, *sobrius & castus*; obtulit semetipsum hostiam *non solo vestitu Monachali, sed solidis moribus & floribus & rebus virtutum*; proculdubiò per observantiam tunc florentissimam disciplinæ Regularis, in rigore & humilitate crucifixus, & de sanguine uvæ in torculari (*Eccli.* 50.) passionis positæ, nempe mortificatione carnis suæ effudit odorem Divinum excelso Principi (*Ibid.*) Deo Trino & Uni: nobis dans exemplum, ut primi Patris nostri vestigia sequamur. (1. *Pet.* 2.) Si enim tunc in diebus carnis suæ *curavit rebus*, id est realiter, *ut in hoc claustro Fratrum grex Christo serviret*, & nunc sanè defunctus per monumentum suum hortatur nos suos Successores & quasi è sepulchro alloquitur nos, ut idipsum faciamus, Christo videlicet impensè serviamus, Christo passo in carne nos eâdem cogitatione armemur; (1. *Pet.* 4.) & primum Ordinis rigorem & in rigore vigorem tam in victu quàm vestitu reassumamus: currentes in odorem (*Cant.* 1.) nardi spicati, pretiosi, pistici, (*Marci* 14.) non tantùm domum nostram odo-

Primorū Patrū bonus odor

Olivæ patrocinium.

Nardus humilitatis & austeritatis.

Sacrificij spiritualis odor.

S. P. Bernardi Martyrium.

Proto-Abbas Olivæ prototypō virtutum.

Curæ Abbatiales.

Odor vitæ & bonij exempli. odore tam ſuavi impleamus, (*Joan. 12.*) ſed etiam eos qui foris ſunt, odore bonæ vitæ, religioſæ exemplaritatis, & regularis obſervantiæ ad Deum Trinum & unum, cui in hoc loco conſecrati ſumus, pertrahamus. Creditisne abſque ſingulari SS. Trinitatis providentiâ, abſque ſpeciali meritorum per eos, qui hîc ſepulti ſunt, inter quos primarium locum tenet Primus Abbas noſter, cujus oſſa ſingulariter muro incluſa; particulari, inquam, *Deus conſervator Olivæ.* meritorùm exigentiâ & protectione Oliva noſtra poſt ſex incendiorum & multarum devaſtationum ruinas in medio inimicorum fidei & Religioſæ vitæ Hæreticorum poſita, ſit præſens aduſque tempus conſervata? Non equidem. Niſi enim Dominus ædificâſſet & cuſtodîſſet domum *Corpora SS.* noſtram, fruſtrà vigilâſſet Ordo cuſtodiens eam: (*Pſalm. 126.*) niſi cuſtodia Corporum Sanctorũ hic quieſcentium acceſſiſſet, in vanum laborâſſent reæ- *Colbaci & Eſronis deſolat.* dificantes eam. (*Ibid.*) Conſiderate Statum Matris noſtræ Colbaci in Pomerania, Aviæ noſtræ Eſronis in Dania: periit memoria, (*Pſalm. 9.*) vix rudera reſtant: nomen tantùm, prætereaq; nihil. Nec dubitemus unum è Principalibus loci hujus Patronis primum Patrem noſtrum Ditthardum *Opinio Sanctitatis.* eſſe, quem adeò extollit veneranda antiquitas, ut illum jam quaſi canonizet dicendo; quòd *in cœlis laudes canat iſte fidelis*; quòd etiam in altiorem muri locum elevatio manifeſtat. Quantos autem hîc labores exantlaverit pius Pater veniens in hanc regionem longinquam, (*Lucæ 15.*) re- *Ab Abbate Colbacenſi baptiſatus Fũdator Olivæ. Chriſtianus P. O. Epiſcopus.* gionem diſſimilitudinis; Paganiſmum, à quo ipſe Fundator noſter per baptiſmum ab Abbate Colbacenſi perceptum fuit liberatus, quis ediſſeret? exercuit hic planè Apoſtolatum Abbas Ditthardus, cujus proles Divus Chriſtianus Profeſſus noſter primus Epiſcopus Culmenſis eundem, per partes Pruſſiæ convertendo gentes, continuavit. Neque nobis deeſt Apoſtolicæ miſſionis labor, dummodò nos habiles ad id reddamus, & fortè ideò manſimus uſque in hæc tempora à Deo ſervati, ut tam ruditatem populorum, quàm perverſitatem Sectariorum & vitæ bonæ exemplo, & doctrinæ Sanctæ lumine illuſtremus, quod utinam fiat per merita Sanctorum quiete fruentium in hoc loco, ut Oliva noſtra inſtar Ditthardi ſit florida Nardus, dans ubique odorem ſuavitatis. (*Eccli. 24.*)

ORATIO in fine Studiorum Theologicorum.

TRanſacto jam feliciter per triennium curſu Theologico, quidni in portu conſtitutis liceat exclamare illud vulgare: *Attigimus portum*, videlicet ad optatum Curſûs Theologici terminum pervenimus, immenſum ſtudiorum ſuperavimus æquor: jam procul hinc ſyrtes, ſcylla atque charybdis difficultatum præterlapſa; jam *mare Sapientiæ* enavigatum, jam unicuique patent Athenæ, jam cunctis licet adire Corynthum. Quidni etiam liceat gratulari de tam fortunatâ abſque omni naufragio navigatione? Quinimò & Deo laudes, & Magiſtro gratiæ, & vobis debentur plauſus de termino ſtudii Theologici apprehenſo. Sed quid reſtat? num

otium

otium in quiete terendum? Minimè. Discretorum animalium more agendum, ut hoc quod hactenùs in ventriculo intellectûs & memoriæ depositum est, frequenti ruminatione masticetur; & exinde perceptus fructus tam sibi quàm aliis communicetur. Quid enim juvaret scientia inflans, nisi adesset charitas ædificans? Quid prodesset scire, si non sequeretur facere? Vera enim Theologia non tam docet facienda scire, quàm scita operibus demonstrare. Et hæc erit felicitas vera cursûs nostri Theologici, si non sistatur in portu, sed ulteriùs curratur, donec ipsum Theologiæ Objectum DEUS apprehendatur. Quod dum vobis & mihi exopto, cum Doctore gentium exhortor: (1. *Cor.* 9.) Sic quiescite in portu, ut curratis; sic currite, ut comprehendatis.

Salutaris usus scientiæ.

Vera Theologia est scire facienda, & scita facere.

Finis Theologiæ Deus.

Sermo in festo S. Stephani Tertij Abbatis Cistercii,

Et Susceptione duorum fratrum ad Novitiatum.

Quid petitis? misericordiam DEI & Ordinis.

NOn postremæ scientiæ opus est, scire quid petatur; non parvum virtutis specimen, benè petere, ut impetretur, quod petitur; magnæ felicitatis coronis est, hoc quod petitur, impetrare. Et quidem ipsum petere, signum est indigentiæ & necessitatis. Sed quis ita dives, ut nullo indigeat? Quis adeò provisus & plenus, ut omni careat necessitate? Omnes igitur egeni sumus, inopes sumus; sumus indigentes ante atrium Domini universorum, beneficia ejus implorantes. Hic jam interest, ut sciamus quid & quomodo petamus, ne nobis dicatur uti filiis Zebedæi, id est fluxûs vehementis, nescitis quid petatis. (*Matth.* 20.) Fecit mater conventum cum filiis suis, & statuerunt petere à Domino præeminentiam ante alios, idque unus ad dexteram, alter ad sinistram. O vanam! ô frivolam! ô erroneam petitionem! Verè nesciebant quid peterent. Itanè divisionem in Regno DEI statuitis? Itanè ignoratis dexteram esse ovium, sinistram hædorum? (*Matth.* 25.) Ergonè quietem sessionis requiritis ad labores nati, (*Job* 5.) ad currendum in via DEI, ad currendam viam mandatorum Domini ordinati? (*Psalm.* 118.) Quàm benè reducit nos Veritas. Sedere ad dextram vel sinistram non est meum dare vobis ambitiosis, vobis præsumptuosis, vobis importuna petentibus; sed quibus paratum est à Patre. (*Matth.* 20.) Ad Patrem eos revocat, paternum affectum filios postulare debere docet. Scit Pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis eum; dicit Divina Veritas. *Matth.* 6.) Denique ad dexteram Patris petendam eos manuducit. Non quæ super terram sapere, non terrena appetere, sed quæ surfùm sunt sectari, monet, (*Coloss.* 3.) ubi est Ipse in dextera Patris sedens. (*Ibid.*) Nesciebant ergò, quid peterent. Petivit Elias, (3. *Reg.* 19.) petivit Jonas animæ suæ ut moreretur: *cap.* 4.) neuter eorum scivit, quid esset petendum. Primus quasi per desperatio-

Petitio scita, bona, efficax.

Petax necessitas.

Zebedæus quid?

Nescitis quid petatis.

Petitio Eliæ & Jonæ imprudens.

nem ob Jezabel persecutionem; alter propter præsumptionem nolens videre Prophetiam suam de subversione Ninives non verificari, sed immutari per conversionem Ninivitarum & pœnitentiam. Nesciebant quid peterent; Elias enim mortem petebat, cui Deus destinaverat vitam usque ad diem Judicii supremi. Jonas quoque mortem optabat; qui vitam &

Varii vana petunt.

sibi & Ninivitis in pœnitentia reviviscentibus debuerat postulare. Judæi signa petunt, inquit Apostolus 1. *Cor.* 1.) & Græci sapientiam quærunt, non veram DEI, sed illam falsam mundi & carnis. Nec isti sciebant, quid peterent. Nos autem, ait idem Doctor gentium *Ibid.*) prædicamus Christum Crucifixum. Ecce & hìc signum admirandum vexillum crucis, &

Christus Crucifixus petitionis scopus.

hìc vera Sapientia DEI, & tamen Jesus Crucifixus est Judæis scandalum, gentibus stultitia: (*Ibid.*) nobis verò unicus salutaris petitionis scopus, est Jesus Crucifixus, in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ sunt reconditi, (*Coloss.* 1.) ubi omnes misericordiæ abyssi sunt patentes, unde omnes miserationum fontes ac torrentes sunt profluentes. Nolo insanam filiæ He-

Petitio Heusdiadis & Judæorũ impia.

rodiadis petitionem, & execrandam Herodis oblationem cum dimidio Regni sui hìc adtexere, ubi protinùs sibi dari in disco caput Joannis Baptistæ petivit; (*Marci* 6.) utique perversa & malitiæ plena nescivit, quid peteret. Nec meretur detestanda Judæorum rabies commemorationem; ubi in conventu malignantium pro Salvatore Jesu, Barabbam latronem tradi

Petitio digna Salomone.

sibi postulabant. (*Matth.* 27.) Malo pacifici Salomonis petitionem hìc referre, qui expetiit sapientiam, ideoque impetravit eam à Deo dicente sibi. (3. *Reg.* 3.) Quia postulâsti verbum hoc & non petiisti tibi dies multos, nec divitias, nec animas inimicorum tuorum, sed postulâsti tibi sapientiam ad discernendum judicium: ecce feci tibi secundùm sermones tuos & dedi tibi cor sapiens & intelligens. Verè sapiens Salomon sciebat quid peteret, & agnovit liberalitatem DEI dantis omnibus abundanter & superaffluenter, nec improperantis in petitione sua justa. (*Jacobi* 1.) Sed & hæc quæ non postulâsti dedi tibi, ait Deus, divitias scilicet & gloriã; & si ambulaveris in viis meis, longos faciam dies tuos. (3. *Reg.* 3.) Neque Elisæi petitio fuit incongrua postulantis ab Elia: 4. *Reg.* 2.) obsecro, ut fiat in me spi-

Petitio Elisæi digna Propheta.

ritus tuus duplex. Liceat mihi interrogare. Quid Elisæe duplicitatem petis, non simplicitatem? vis corde & corde loqui? (*Psalm.* 11.) Nonne

Simplicitas.

Sapientiæ DEI sermocinatio cum simplicibus? (*Prov.* 3.) Ita: Dominus protegit gradientes simpliciter, (*Prov.* 2.) simplicitatem cordis lubens intuetur. Nonne simplices sunt filii DEI, (*Philip.* 2.) quorum gloria, est testimonium conscientiæ in simplicitate & sinceritate DEI? (2. *Cor.* 1.)

Spiritus duplex tropol.

Ita est. Cur ergò petis duplicitatem spiritûs? Sciebat quid peteret Elisæus. Voluit sapientiam serpentis cum simplicitate columbæ. Appetivit per-

Charitas,

fectionem legis in duplici fundatam amore, DEI & proximi; & hæc tamen una est charitas in Deo terminum habens, in Deo unita; viscera in se continens misericordiæ. (*Coloss.* 3.) Sanctus Pater noster Stephanus

Petitio S. Stephani.

plenus Spiritu DEI (*Gen.* 41.) hoc equidem à Deo petivit quod & stabilivit,

Charta charitatis.

bilivit, nimirum charitatem æternæ memoriæ per chartam Charitatis consignatam. Petivit non minùs augmentum Ordinis à Deo, & impetravit revelatum sibi, imò re ipsâ consecutus est per susceptionẽ S. Patris nostri Bernardi cum triginta sociis summi Ordinis nostri Amplificatoris & Propagatoris. Venitis & vos duo filii Neophyti ad Sacrum Ordinẽ nostrum; venitis petentes, & verè scitis quid petitis. Justa enim postulatis, nec digna negari, videlicet misericordiam Dei & Ordinis. Equidẽ duplex est misericordia Dei; hìc in terris est ad veniam, est ad gratiam: & hæc duplex unitur in tertia, quæ in cælis tendit ad gloriam; quam deprecata est S. Agatha orans Deum: *Jube me ad tuam misericordiam pervenire.* Utramque hanc petitis, & meritò; ut per primam à peccatis justificati, (*Rom. 6.*) per secundam in gratia DEI vivatis. Neque alia est Ordinis in voto nisi hæc: hanc omnes à Domino postulamus. Hanc libri Machabæorum manifestant; ubi cum Juda Machabæo congregatus est conventus, ut essent parati in prælium, & ut orarent & peterent misericordiam & miserationes. (1. *Mach. 3.*) Non enim volentis hominis vel currentis, sed miserentis DEI opus est in nobis. (*Rom. 9.*) Scitis autem quomodo petentes erant misericordiam à Domino? cum fletu & jejuniis, ait Scriptura. 2. *Mach.* 13.) Isti habebant virtutem benè petendi. Petitis & non accipitis, eò quod malè petatis, dicit Apostolus Jacobus *cap. 4.*) ut in concupiscentiis vestris insumatis. Quomodo ergò petendum? Si manseritis in me, dicit Pater misericordiarum, *Joan.* 15.) & verba mea in vobis manserint; quodcunque volueritis, petetis & fiet vobis. En obedientia. In nomine meo petetis, (*Joan.* 16.) quod est Jesus, per merita Christi Salvatoris: en paupertas; en nuditas vera, nihil sibi attribuere, totum Deo. Si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? (1. *Cor. 4.*) Quæcunque orantes petitis, credite quòd accipietis & evenient vobis. (*Marci* 11.) En fides. Omni petenti te tribue, imperat Deus: *Lucæ 6.*) qui petit à te, da ei. (*Matth. 5.*) En misericordia: & justè; quia quâ mensurâ mensi fueritis, eâdem remetietur vobis: (*Matth.* 7.) ac ideò date & dabitur vobis. (*Lucæ 6.*) Denique in omni oratione & obsecratione petitiones vestræ innotescant apud Deum. (*Philip. 4.*) Oratio autem debet procedere à mundo corde, quia peccatores Deus non audit. (*Joan. 9.*) En castitas. Ita ergò in obedientia, paupertate, fide, misericordiâ, & castitate petite filii misericordiam DEI, & implebit Dominus petitiones vestras; (*Psalm.* 19.) dabit vobis petitiones cordis vestri, (*Psalm. 36.*) & sic per consecutionem misericordiæ, nimirum impetrationem veniæ & gratiæ, apprehensione demùm gloriæ, petitio vestra feliciter coronabitur: si tamen feceritis etiam hoc, quod petit à vobis Deus. Declarat id Moyses in Deuteronomio *cap.* 10.) Et nunc Israel, quid Dominus Deus noster petit à te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus, & diligas eum & servias Domino Deo tuo in toto corde tuo, in tota anima tua, custodiasque mandata Domini & cæremonias ejus, quæ sunt in Ordine nostro juxta regularem disciplinam, quam Sanctus Stephanus

Misericordia gratiæ & gloriæ.

Adjumẽta bonæ petitionis fletus & jejuniũ.

Obedientia.

Paupertas.

Fides

Misericordia.

Castitas.

Quid petit à nobis Deus?

Regul. disciplina à S. Stephano.

Patriarcha noſter tenuit & docuit, quas ego præcipio tibi, ut benè tibi ſit. Quid petit ampliùs à nobis Deus? Honorem, gloriam & timorem. Gloriam meam alteri non dabo: (*Iſaiæ 48.*) ſi ego Dominus, ubi eſt timor meus? Si ego Pater, ubi eſt honor meus? (*Malach. 1.*) Quid adhuc petit à nobis Deus? Hoc quod expetiit ab Achaz. (*Iſaiæ 7.*) Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo, ſive in profundum inferni, ſive in excelſum ſuprà. Non ſimus Achaz poſſidentes, quaſi contenti de nobis, & nihil indigentes nec dicamus; non petam & non tentabo Dominum. (*Ibid.*) Dominus hoc petit ſignum à nobis, ut deſcendamus uſque ad profundum inferni petendo veniam pro peccatis per humilitatem, & aſcendamus in excelſum ſuprà petentes gratiam pro operibus bonis per charitatem. Hoc faciamus & ſignanter re ipſâ demonſtremus, ut veniam & gratiam impetremus. Quid denique petit à nobis Deus? Mihi vindictam & ego retribuam. (*Rom. 12.*) Ac idcircò benè monet Eccleſiaſticus *cap. 28.*) Relinque proximo tuo nocenti te, tunc deprecanti tibi peccata ſolventur: quaſi diceret, quod docuit nos Divina Sapientia, quod petere & orare debeamus: (*Matt. 6.*) Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus. Hinc interrogat Eccleſiaſticus; (*cap. 28.*) Homo homini reſervat iram & à Deo quærit medelam? In hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam, & de peccatis ſuis deprecatur? Judicium ſine miſericordia erit ei, qui non facit miſericordiam. (*Jacobi 2.*) Proſequitur ultrà Eccleſiaſticus C *cap. 28.* interrogationem ſuam. Ipſe dum caro ſit, reſervat iram, & propitiationem petit à Deo? Minimè equidem impetrabit. Quis exorabit pro delictis ejus? Eapropter docet: (*Ibid*) memento noviſſimorum & deſine inimicari. Faciamus igitur ea, quæ Deus petit à nobis, & faciamus ea, quæ proximus petit à nobis: (Quis enim ex vobis homo, quem ſi petierit filius ſuus panem, nunquid lapidem porriget ei? vel ſi piſcem petierit, nunquid ſerpentem dabit ei? *Matth. 7.*) & ſic cum fiducia accedamus ad thronum gratiæ DEI, ut miſericordiam conſequamur; (*Hebr. 4.*) & tunc ſanè Pater noſter cæleſtis dabit bona, (*Matth. 7.*) dabit ſpiritum bonum nobis petentibus ſe. (*Lucæ 11.*) Eam ob cauſam oremus & dicamus: *Job 6.*) D Quis nobis det, ut veniat petitio noſtra, & quod expectamus, tribuat nobis; videlicet miſericordiam ſuam? Quia non ſecundùm juſtitias Patrum noſtrorum, nec ſecundùm Divi Patris noſtri Stephani veram abſque omni diſtractione relictis omnibus aliis cogitationibus pietatem, nos fundimus preces & petimus miſericordiam ante conſpectum tuum Domine Deus noſter: (*Baruch 2.*) neque in juſtificationibus noſtris proſternimus nos ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis, (*Daniel. 9.*) quarum non eſt finis neque numerus. Vitam petimus à Te in miſericordia tua, quam nobis tribuas. (*Pſalm. 20.*) Unam hanc petimus, hanc requirimus, ut inhabitemus in domo Tua Domine, (*Pſalm. 26.*) quæ eſt hæc Oliva noſtra, & videamus voluntatem tuam eamque adimpleamus; & ſic ſemper viſitemus templum hocce tuum, (*Ibid*) donec ad templum gloriæ Tuæ

Honor & Timor D.

Achaz quid?

Profundũ Humilitas, Excelſũ Charitas.

Condonatio injuriarum.

Benignitas erga petentes.

Quid petendũ omnibus à Deo Patre?

Tuæ aſſumamur. Tibi qui potens es facere ſuperabundanter quàm petimus aut intelligimus ſecundùm virtutem, quæ operatur in nobis: Tibi, inquam, ipſi ſit gloria in Eccleſia & in Chriſto JESU in omnes generationes ſeculi ſeculorum. *(Epheſ. 3.)*

Sermo in feſto Omnium Sanctorum, Et Profesſione octo Fratrum.

Octo animæ ſalvæ factæ ſunt. (1. Petr. 3.)

OCtonarium beatitudinis numerum aperuit nobis ineffabilis DEI Sapientia in Evangelio hodierno. Poſt ſex enim dies laborum & dolorum hujus mortalis vitæ, ſeptimus eſt quietis ſive dormitionis, quando dicet nobis Spiritus; (*Apoc.* 14.) ut requieſcamus à laboribus noſtris: octava autem æternitatis vitæ dies planè in tempore conſummationis (*Eccli.* 39.) cæleſtium nobis confert beatitudinem gaudiorum. Ita ſanè in hoc diluvio vanitatis mundanæ, in hac carnalium voluptatum inundatione; in hac terrenæ ſubſtantiæ abyſſo, octo tantùm animæ ſalvæ fiunt, (1. *Pet.* 3.) illæ nimirum, quæ per octo beatitudinum ab æterna Veritate recenſitarum gradus tendunt ad perpetuæ ſalutis conſecutionem. Et quia vos octo Fratres, Sacri Ordinis Neophyti viam hanc ſalutis quærendæ & adipiſcendæ in hoc loco (qui dicitur Olivâ) ingreſſi eſtis: beati eritis ſi feceritis ea, (*Joan.* 13.) quæ octo beatitudinibus exprimuntur. Scitis quæ Divinæ Sapientiæ oraculo prædicantur? paupertas ſpiritûs, manſuetudo, pænitentiæ luctus, eſuries & ſitis juſtitiæ, miſericordia, cordis mundicies, pacificatio, denique tolerantia perſecutionum. (*Matth.* 5.) Hæc ſunt, quæ à Verbo DEI incarnato beatificantur; & æternæ fructum referunt ſalutis. Unde hæc vobis ob oculos proponite reſpicienda, hæc intellectu concipienda, hæc mente ruminanda, voluntate amplectenda, opere exequenda vobis ſtatuite, ut mercedem beatitudinis copioſam mereamini in cælis adipiſci. Inde gaudere poteritis & exultare; quia nomina veſtra de cælis à Deo profluentia ſcripta erunt in cælis (*Lucæ* 10.) illis animatis videlicet; venient in numerum Sanctorum, verè cælorum gloriam DEI enarrantium: (*Pſalm.* 18.) ſi & vos non tantùm nominibus, ſed etiam ac potiſſimùm operibus Deum glorificaveritis. Et quidem in hoc loco Deo Unitrino dicato juremeritò omnes Divini nominis participium habere, ejuſque ſignaculo inſigniri debemus, ut ſicuti homines vocant nomina ſua in terris ſuis, (*Pſalm.* 48.) ſic in nobis DEI hominibus è terra ortis nomen Dei ſit nuncupatum. Ac proinde frater *Samuel*, cujus feſtum vigeſimâ Auguſti agitur, neceſſe eſt ut cogites te dici, *Nomen ejus à Deo*; ac ideò vide, ne aſſumas & portes DEI nomen in vanum, (*Exodi* 20.) ſed potiùs ſemper in Te nomen DEI ſanctificetur. (*Matth.* 6.) Tu autem frater *Gabriel*, quem Archangelum decimâ octavâ Martij Sacra colit Eccleſia, fortitu-

Dies vitæ octo; ſex laborum, ſeptimus quietis, octavus reſurrectionis.

Octo animæ ſalvæ.

Opera Chriſtiani 8 beatitudines.

Cæli animati Sancti.

Olivæ Filij portant nomen Dei.

Samuel.

Gabriel.

dinem seu virtutem DEI significantem, tu quoque viriliter age, confortetur cor tuum & sustine Dominum, (*Psalm.* 26.) ut in virtute DEI magis ac magis invalescas, manum tuam mittens ad fortia (*Prov.* 31.) fortiter agendo & patiendo. Jam verò frater *Elia*, cujus memoria celebratur vigesimâ Julii, Deum Dominum tuo nomine declaras, ut nullum alium præter Deum Dominum agnoscas, illique soli servias. (*Lucæ* 4.) Porrò frater *Theophanes* dictus *à Deo illustratus*, cujus celebritas duodecimâ Martij recolitur, si continuâ Divinæ præsentiæ memoriâ illustraberis, quidni hìc apparente tibi DEI benignitate ac misericordiâ eris illustratus, donec apparebis coram ipso in lumine gloriæ? Deinde frater *Daniel* judicium DEI indigetans, cujus festivitas vigesimâ primâ Julij exhibetur; securus in DEI judicio stabis, si Deum Judicem operum tuorum, & corda ac renes scrutantem (*Psalm.* 7.) nunquam non spectaveris. Quid tibi frater *Hierothee* dicam, magnum Divi Pauli discipulum, qui quartâ Octobris memoratur, nomine referens, & sacrum te Deo designans? Utique talis esto, qualis diceris, ut ad profana minimè deflectens perpetim Deo sis consecratus. Quid tibi frater *Godefride* è Comite Religiosi nomine gaudenti & decimâ tertiâ Januarij celebrati proferam? nisi ut in pace DEI sit locus tuus; (*Psalm.* 75.) inquiras pacem & persequaris eam, (*Psalm.* 33.) donec apprehendas, quam nominis tui signaculo manifestas. Denique frater *Deogratias* Episcopi piissimi captivorum Redemptoris & vigesimâ secundâ Martij in cælum translati nomine prædite, virorum DEI novorum concludens agmen; nonne in omnibus semper & ubique Deogratias agere teneris, ut gratiis Divinis perennes reddas grates, ampliorem & copiosiorem cælestium gratiarum thesaurum à Deo valeas obtinere? Vos ergò octo Animæ DEI nomen participantes ita agite, ut tàm singuli omnium, quàm omnes singulorum nomina ad exemplum Patronorum & ad expressionem significationum in vobis referatis, cumque ex statu novitio in album Professorum transitis, ita Deo profiteamini vota vestra, quatenùs antiquis nominibus depositis, veterem hominem exuti, novum hominem induti secundùm Deum in justitia & sanctitate veritatis, (*Eph.* 4.) in novitate vitæ ambulantes, (*Rom.* 6.) novis nominibus excellatis. Sic agite, sic state in Domino charissimi Filii, (*Phil.* 4.) ut animas vestras per sanctam professionem salvas faciatis. Facietis autem, si octo beatitudinum viam calcaveritis, verè pauperes spiritu, verè mites & humiles corde, (*Matth.* 5.) condignos fructus pænitentiæ, (*Lucæ* 3.) etiam in fletu & lachrymis (*Joel.* 2.) peragentes, esurientes & sitientes justitiam DEI, (*Matth.* 5.) viscera misericordiæ ergà omnes demonstrantes, (*Coloss.* 3.) mundum cor absque peccato gerentes, pacis & concordiæ sectatores, (*Rom.* 14.) pacem ad Deum & homines habentes, (*Rom.* 5.) ac demùm persecutiones, tribulationes & pressuras generoso ac patienti animo propter justitiam perferentes, (*Matth.* 5.) crucem Sacri Ordinis post Christum bajulantes, votorum quæ distingvunt labia vestra, (*Psalm.* 65.) nempe obedientiæ, pau-

Elias. *Theophanes.* *Daniel.* *Hierotheus.* *Godefridus.* *Deogratias.* *Esto quod audis.* *Mutatio nominum & hominum.* *Professionis substantia 8. beatitudines.* *Vota profess.*

paupertatis, castitatis & stabilitatis stricti observatores. Ita salvabitis animas vestras, (*Jacobi 1.*) ita beatitudinem consequemini temporalem & æternam, quam vobis impertiatur Deus, cui vos impræsentiarùm dedicatis. Fiat, fiat.

Sermo habitus post Visitationem pro exhortatione ad stabilitatem loci servandam.

Itaque fratres mei dilecti, stabiles estote & immobiles: abundantes in opere Domini semper; scientes quòd labor vester non sit inanis in Domino: concludit Apostolus epistolam suam primam ad Corinthios *cap.* 15. Ad idem jureméritò exhortari vos cogor, P. R. F. D. quando video aliquos circa stabilitatem loci vacillantes. Et quidem stabilitas est virtus constantiæ, est perseverantiæ basis ac fundamentum: quâ quis firmus & sanus est in fide, (*Tit. 1. & 2.*) in bono proposito, in opere recto, in servitio DEI, in amore DEI & proximi: nec ab iis ullis tentationum motibus potest avelli vel separari. Et talis assimilabitur viro sapienti, qui ædificat domum suam supra petram. (*Matth. 7.*) Descendit pluvia fluxibilitatis animi, venerunt flumina alicujus tribulationis, torrentes apprehensionis vagæ inundaverunt, flaverunt venti tentationum diaboli, qui in loco suo non stetit: & irruerunt in domum illam & non cecidit, non mutavit locum suum. (*Ibid*) Quare? quià fundata erat supra firmam stabilitatis petram. Considerate arbores, quando semel plantantur vel transplantantur ad aliquem locum; nunquid ut fructum suum dent in tempore suo, (*Psalm. 1.*) non debent in eodem, ubi positæ sunt loco, persistere & permanere? Ita omninò. Si enim loco moveantur & in alium transferantur, multum deperdunt de vigore suo, & ut plurimùm in ramis suis marcescunt. Idem de homine dicendum, nisi in eo, quod semel assumpsit & constituit, proposito permaneat constans, nullum jaciet solidæ virtutis stabilimentum. Homo instabilis, inconstans est in omnibus viis suis, (*Jacobi 1.*) propriique sensûs impetu ductus, fit sicut ovis quæ periit (*Psalm. 118.*) errabundus. Impius facit opus instabile, ait Sapiens *Prov.* 10.) pius autem stabilitur prudentiâ. *Justum & tenacem propositi virum*, inquit Poeta *Hor. l. 3. Ode 3. Non civium ardor prava jubentium*, id est passionum & perturbationum animi, qui sunt cives corporis nostri & animæ; *non vultus instantis tyranni* infernalis, pellicientis animas instabiles & ad inconstantiam pertrahentis, *mente quatit solidâ.* Justus solidus est, non commovebitur in æternum. (*Prov. 10.*) Scitis quare Jerusalem instabilis facta est? quia peccatum peccavit. (*Thren. 1.*) Instabilitas, est pœna à Deo inflicta pro aliquo peccato ex sensu Prophetæ Jeremiæ. Quidsi jam stabilitas voto firmetur; quantò magis stringit hominem? Et hæc est, quam nos omnes Deo vovimus dicentes ante omnia in Professione: *promitto stabilitatem meam.* Ubi? num in Ordine tantùm? Non equidem: sed

Quid Stabilitas?

Fructus Stabilitatis.

Domus supra petram.

Transplantata nocet transplantari.

Instabilitas vitiosa.

Ierusalē instabilis facta per peccatum.

Stabilitas Professi & loci.

etiam in loco hoc, qui dicitur Oliva. Tenemur proinde ex voto ad locum hunc Oliva nominatum; ut in eâ plantati, non simus inutiles oleastri, sed Olivæ fructiferæ in hac domo DEI. (*Psalm. 51.*) Jam scitis, quàm poten-ter exhortetur Regius Propheta. (*Psalm. 75.*) Vovete & reddite Domino Deo vestro. Cui Deo? Terribili? Cui Deo? Ei qui aufert spiritum principum. (*Ibid.*) Cui Deo? Terribili apud Reges terræ. (*Ibid.*) Idem monet Ecclesiastes: *cap. 5.*) Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis & stulta promissio; sed quodcunque voveris, redde: multòque meliùs est non vovere, quàm post votum promissa non reddere. Sed longè acriùs per Moysen intonat Deus in Deuteronomio *cap. 23.*) Cùm votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus: & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum; quantò ampliùs si illud mutaveris, si contrarium ei feceris; nonne voti tui prævaricator eris? Quàm gravis sit votorum infractio, vel exinde patet, quòd abominabilis sit Domino omnis illusor. (*Prov. 3.*) Talis autem est ille, qui vota sua non servat; illudit enim Deo, infidelis ipsi est, imò rebellis & refractarius. Instabilitas est quasi scelus idololatriæ; & quasi peccatum ariolandi nolle acquiescere. (*1. Reg. 15.*)

Oliva.

Votorum observantia.

Voluntas propria pestis.

Quid enim sequitur Religiosus instabilis? Nonne proprium sensum? nonne propriam voluntatem, pestē omnium Religionum? Hanc ergò pro idolo sibi statuit, hanc adorat, huic immolat, huic obsequitur & obsecundat. Quid ultrà sequitur? Non Dei, cuius consilium manet in æternum, (*Psalm. 32*) apud quem nulla transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, (*Jacobi 1.*) sed diaboli qui in bono non mansit, qui hominem à constanti præcepti Divini custodiâ præcipitavit, cùm ipsemet priùs cecidisset, obtemperat consilio & inspirationi. Super custodiam meam stabo, asserit Propheta Habacuc *cap. 2.*) & figam gradum super munitionem. Ad quid? Et contemplabor, ut videam quid dicatur mihi. (*Ibid.*) Contemplatio est hominis quieti in loco suo permanentis: vagatio corporis, facit divagationes mentis, & instabilitatem cordis. Vis speculari? mane in specula. Vis contemplari? sta super custodiam. Vis munitus esse? fige gradum. Denique *in quâ sede sedes si sit tibi commoda sedes,* (& hæc est commoda, quæ per Professionem placuit; jam quod semel placuit, semper placere debet) *hâc in sede sede, nec ab illa sede recede.* Bonum est viro cùm portaverit jugum Domini ab adolescentia sua: (*Thren. 3.*) sed quomodo? sedendo solitarius & tacendo, (*Ibid.*) verus erit contemplativus: quia levabit se supra se; (*Ibid.*) ascendet, crescet sicut lignum plantatum secùs decursus aquarum; (*Psalm. 1.*) influentias gratiarum DEI & instinctus Spiritûs Sancti experietur. Sponsa resolvit se quoque ad divagationem, ut quæreret dilectum, & ait; *Cant. 3.*) Surgam & circuibo per vicos & plateas, quæram quem diligit anima mea. Sed quid consecuta est? nihil; quæsivi, ait, non inveni illum. (*Cant. 5.*) Quid ampliùs? percusserunt me & vulneraverunt me. Nec hoc satis. Deniq; tulerunt palliū meum. (*Ibid.*) Hoc lucri habuit

Consiliū diaboli instabilitas.

Vitā cōtēplativā decet stabilitas.

Certa pro incertis non relinquenda.

Sedebit solitarius.

Væ Vagis!

buit Sponsa ex circumcursitatione, quòd nec Sponsum repererit, & percussa fuerit ac vulnerata; necnon pallio innocentiæ spoliata. Manendum erat Sponsæ domi, secum habitandum, latendum in foramine petræ, in caverna maceriæ. (*Cant.* 2.) Ibi quæritur & invenitur expectando & sustinendo Dominus: ibi cum Moyse & Elia videndus Deus animarum nostrarum Sponsus. Ille quoque homo descendens ab Jerusalem in Jericho à latronibus spoliatus & plagis impositis semivivus est relictus: (*Lucæ* 10) Quare? quia descendit de Jerusalem visione pacis; quia ibat in Jericho, quæ luna vocatur. Jam scitis, quòd stultus ut luna mutetur: (*Eccli.* 27.) & talis est vagus, variæ vicissitudini subjectus. Jam quid ultrà consequitur juxta Apostolum? (*1. Cor.* 15.) stabilis & immobilis, abundans erit in opere Domini semper; extendet ramos suos in altum & latum, quia ad humorem mittet radices suas, (*Jerem.* 17.) per continuam stabilitatem. Quàm absurdum *genus Monachorum sit gyrovagum*, Regula nos docet, & monstrat causas, cur vagationes istæ fiant *semper vagorum & nunquam stabilium, ut semper & ubique propriis voluptatibus & gulæ illecebris serviant.* Fratres mei; dico vobis, quòd talis gyrovaga instabilitas, via est proxima ad apostasiam. Habetis exemplum in fratre nostro N. qui tantùm petiit pro mutatione auræ aliò mitti. Quid accidit? per hanc libertatem vagandi, venit in dissolutionem, ruit in inobedientiam, & velut impius in profundum veniens contempsit (*Prov.* 18.) Ordinem, deseruit Olivam; profugus factus est & vagus super terram velut Cain: (*Gen.* 4.) & peribit, si non resipuerit. Qui stat, videat ne cadat. (*1. Cor.* 10.) Quò cadat? in partem infidelium, (*2. Cor.* 6.) in vitium instabilitatis, in excessum vagationis. Nonne in circuitu impii ambulant? (*Psalm.* 11.) Seqvuntur illum, qui circuit quærens quem devoret. (*1. Pet.* 5.) Væ illis, qui in via Cain abierunt, ait S. Judas Apostolus, & hi sunt vagabundi: hi sunt semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur; arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, sidera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in æternum. (*Ibid.*) Ruina est homini, censet Ecclesiastes *cap.* 20.) vota retractare: præcipitium est, dico ego, vota transgredi & immutare. Placet scire fructum alterum stabilitatis, (primus enim juxta Apostolum 1. *Cor.* 15. est abundare in opere Domini semper) scientes, subinfert, quòd labor vester non est inanis in Domino. Verè non in vanum ædificat, non in vacuum laborat, (*Isaiæ* 49.) non quasi in incertum currit, (*1. Cor.* 9.) qui stabilis est & immobilis in cæpto semel proposito ad salutem in Domino consequendam. Est instar stellæ fixæ in firmamento constanter lucentis, permanentis in ordine & cursu suo, ac pugnantis contra Sisaram: (*Judæ* 5.) nimirum hirundinem videntem. Et quis est videns hirundinem? nisi oculis vagus, veluti continuo volatu vaga gyratur & circumvagatur hirundo. Quod oculis facit iste, hoc agit instabilis & circumforaneus corpore. Sed contra hunc manens in ordine stella fixa pugnat; quando ejus-

Tecum habita in Christo.

Descendēs ab Ierusalem incidit in latrones.

Stultus ut luna Iericho.

Girovagum genus.

Instabilitas disponit ad apostasiam.

In circuitu impij cum suo Duce.

Via Cain vagabundorum.

Fructus Stabilitatis.

Stellæ fixæ.

Sisara quid?

modi levitatem & inconſtantiam animi & corporis debellat. Sit nobis pro coronide & ſtabilimento maximo ſtabilitatis noſtræ, ipſius Divinæ Sapientiæ & æternæ Veritatis effatum: (*Matth.* 10.) Qui perſeveraverit uſque in finem, uſque ad mortem, hic ſalvus erit. Ergò qui non perſeveraverit, hic erit damnatus. Quod à nobis avertat Deus, cujus thronus & cujus regnum eſt ſtabile & firmum in æternum. (2 *Reg.* 7.)

à perſeverãtia pendet ſalus.

EPITAPHIUM

R. D. Ditthardo Primo Abbati Olivæ à Contemporaneis ejus factum, & in Eccleſiæ ambitu dextro proſtans; quod hìc ſubnectitur propter Sermonem ſuprà habitum in ipſius memoriam.

PRæfuit hìc Primus, qui vitâ non fuit imus
Abbas Ditthardus, *redolens ut florida nardus.*
Sobrius & largus, ſenſu fuit inſuper Argus:
Carne fuit caſtus, devitans Dæmonis aſtus.
Ipſum ſeduxit, ſeductos ipſe reduxit:
Per ſolidos mores dans nôſſe vias meliores.
Curavit rebus, quô noctibus atque diebus
Fratrum Grex Chriſto clauſtro ſerviret in iſto.
Veſtitu tantùm Monachatum non fore ſanctum
Semper prædixit, dum vivus corpore vixit.
Idcircò in cælis laudes canit iſte Fidelis,
Cujus in hâc foſſâ ſervantur corporis oſſa
Incluſa hoc muro, ſed ſurrectura futuro
Tempore, venturâ vitâ non pòſt moritura.
Laude Tuâ, Chriſte, benedictus ſit locus iſte,
Quem benedixiſti, Tua Gratia dum dedit Iſti
Ditthardo *flores virtutum, res & honores.*
O Lux prædiva, cunctos Fratres in Oliva
Sub Chriſti dextrâ præſerves intùs & extrà.

Hoc S. M. Veneranda Antiquitas R. D. Ditthardo Primo Abbati Olivenſi, Profeſſo Colbacenſi poſuit.




SY-



SYNOPSIS
Sermonum ex Quarto Tractatu.

Sermo





HHVI